
IHS

Collg. Dom. Soc. Jesu

PARADISVS PVERORVM:

IN QVO

PRIMÆVÆ HONESTATIS TOTIVSQVE PVERITIÆ RECTE INFORMATÆ REPERIVNTVR EXEMPLA:

SENIBVS IVXTA ET PVERIS AD SPECVLVM, ADMIRATIONEM, IMITATIONEM.

OPVS NOVVM, ET CONCIONIBVS NON MINVS QVAM CATECHISMIS VTILE.

PER R. P. PHILIPPVM DE BERLAYMONT SOCIETATIS IESV.

Catalog.  inscript.

DVACI,
Ex officina IOANNIS BOGARDI,
M DC XVIII.

Cum Priuilegio.

B. 5.

APPROBATIO.

HOc opus, cui titulus *Paradisus puerorum*, à R. P. PHILIPPO DE BERLAYMONT Societatis IESV conscriptum, quo varia & admiranda de paruulis exempla, cùm ex sacra scriptura, tum ex diuersis auctoribus collecta, continentur, nihil habet quod fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ aduersetur: Quinimmo illud vtilissimum fore censeo, & dignissimum, quod & typis mandetur, & omnium manibus teratur. Actum Cameraci pridie Conceptionis Beatæ semperque Virginis MARIAE 1616.

Gabriel le Gay S.T. Baccal. insignis, ac primariæ Ecclesiæ Collegiatæ Scholasticus & Canon. ac librorum Censor.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIET. IESV.

EGo IOANNES HERENNIVS *Prouincialis Soc.* IESV *per Gallo-Belgiũ, potestate mihi ad hoc à Reu.*^{do} *admodum P. N. Præposito Generali Mutio Vitellesco factâ; facultatem concedo Ioanni Bogardo Typographo Duacensi, vt Paradisum puerorum à* P. PHILIPPO DE BARLAYMONT *Societatis* IESV *collectum, & ab illis qui eum recognouerunt dignum prælo indicatum, typis mandare possit. In cuius rei fidem has manu nostra subscriptas, & officij nostri sigillo munitas dedimus prima Ianuary* 1617.

IOAN. HERENNIVS.


PARADISVS
PVERORVM
Per P. Philippū de Berlaymont
Societ. IESV.
parvulos venire
ad me
talium enim est regn
Nisi efficiamini
sicut
parvuli
TV NON POTERIS QVOD ISTI ET ISTÆ?
Confes. 8



ILLVST.MO AC REV.MO DOMINO

D. FRANCISCO VANDER-BVRCH

ARCHIEPISCOPO,
AC DVCI CAMERACENSI,
S. R. IMP. PRINCIPI,
COMITI CAMERACESII

PHILIPPVS DE BERLAYMONT
D. C. Q.



ENISTI tandem, magne *Præsul*, venisti, magne dignitatū aspernator; venisti tandē: senserunt iam emanātem circumfusi populi virtutem, ad quam aridi sitientesque

velut ore aperto anhelabant: nec, vt vidimus, venisses, nisi tergiuersantem, tot piorum votis, tot acclamationibus, tam constanti totius Capituli postulatione, tam inclinata Ser.[morum] Belgij Principum voluntate, Deus impulisset. ita nostro sæculo reuiuiscit illud: *Gloria virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.* Et verò si ominari licet, prensauit Infulam nemo magis solicitè, quàm tu refugisti; ostentauit nemo fructu cum vberiore, quàm tu recondis; nemo, quàm tu, magis assiduos adiunxit ad Pedum labores: vt si quid cœptis tuis possit desiderari, vnum hoc videatur, modus; vt quod agis, hoc agas, & verò diutius agas, & fructu perenniore: neque animus virium prodigus citò

D.Hiero. l.3. Epist. in Epitaphio Paulæ, ad Eustoch.

con-

concidat, & magnos contingat conatus elidi citò, quos optamus increſcere diu.

Hęc tanta *Boni Paſtoris* indicia, ad quem non ouium modò, ſed & agnellorum pertineat cura (iuuentutis inſtitutionem intelligo) animum incitarunt meum, vt quę ad informandos Puerorum mores exempla pridem collegi, Illuſt.^mæ ac Reu. D. T. tot nominibus de Societate noſtra bene meritæ, tanta piorum expectatione Eccleſiam Cameracēſem adeunti, dedicarem. Parua quidem ſunt hæc, & quæ ob dignitatem tuam amplitudinemq́ue, me offerre parantem reuocent, niſi & dixiſſet S. Hieronymus, *Non eſſe contemnenda quaſi parua, ſine quibus magna conſiſtere non poſſunt*, & ſcirem eſſe mihi negotium cum humilitatis,

Sicut Paſtor, gregem ſuū paſcet; in brachio ſuo congregabit Agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Iſaia 40.

Ad Lætā de inſtitutione filiæ.

tis, ac innocentiæ sectatore, qui à se non repellet, quos ad se venire, nequicquam prohibentibus ceteris, iussit Christus; quique minimè dedignabitur quos cum grauissima interminatione exclusionis à regno cælorum, omnibus imitandos proposuit ille, qui cùm magnus esset, nostri causa paruulus factus est, *Magnus Deus, Paruulus IESVS, Magni fabri filius, Puerorum nostrorũ Antesignanus.*

Matth. 9.


Accipe ergo Illust.me Domine hæc exempla, Puerorum quidem, sed ex quorum ore diuinam laudem esse perficiendam discimus ex Propheta. hos Pueros, atque adeo horum intuitu totius Cameracesij iuuentutem eo affectu complectere, quo complexans Pueros IESVS benedictione sua impertiuit. Sospitet interim Deus Opt.

Psal. 8.

Marci 10.

Opt. Max. vitam Illuſt.mæ ac Reu. D. T. ſecundet conatus fauore, gratiarum ſufficiat incrementa. *Hoc vnum Collegij noſtri Cameracenſis votum, hæc vna omnium tibi, tuiſq; ſtudijs, atque obſequijs addictiſsimorum, comprecatio. Vale.*





AD LECTOREM TOTIVS OPERIS EPIGRAPHE.



BISNE, *Lector, ad voculam Puerorum? siste paulisper; hic enim habes quæ te remorentur: est ad illicem, Ingressus; sunt ad oblectationem, fructúmve, Areolæ & Topiaria; sunt ad mentis excessum, Adyta penetralia. Etiamnum oculos auertis? an quia dumtaxat in pueros me conuerto, nihil hic viro dignum arbitrer? fatebor equidem, pueriles annos hic tantùm complector, & vltra quartum decimum vix me porrigo; hic enim aiunt terminari pueritiam. Sunt tamen quæ in puero æmuleris, & quò te inuitat, qui quæ paruuli erant, vel maximè euacuauit:* Malitiâ, *hortatur,* paruuli estote. *Si (quod absit) cum paruulis Gentium Doctorem existimes delirantem;*

prouoco

protoco ad diuinam ſapientiã: Niſi, *inquit,* Matth. 9.
efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.

Quæris quid in paruulis tantopere commendetur? inſignis manſuetudo, animi demiſſio, promptitudo. Sed hîc ego te inſuſurrantem, non tam hæc eſſe virtutis, quàm illi primæ ætati cognata. Bona verba. non vulgarem ipſe vel infantiam vel pueritiam attēdo, vagitu, crepundijs, luſibus ſua tempora tranſcurrentem; ſed raram illam penitus ac ſingularem, in ſeſe ſtupenda diuinæ mentis arcana cuilibet explicantem. Hanc ego tibi diſpiciendam exhibeo ceu malum auream, vel ſi mauis, Aſſyriacam nullo non tempore, quà germine, quà flore, quà fructu renidentem. Illam, ſcio, non ſine animi tui voluptate diſpicies, ſi minimè quorundam virorum puerili mente ſis, ſed puerorum noſtrorum virili prorſus & maſculâ. Hanc ipſe tibi mentem voueo, quiſquis es ſenſu puer; aut quod peius, adducto ſupercilio vir. Vale.

PRÆ-

PRÆLVDIVM INVITATORIVM AVTHORIS.

Volo ciere Canos,
Volo viros ciere,
Pueros volo ciere
In hortulum rosarum
Et hinc, & inde amœnũ:
In septa purpurata,
Cælo vel inuidenda,
Solo magis videnda.
Ades togata turba,
Senum seuera turba,
Hîc pone fronte rugas,
Supercilîque sulcos,
Puer senis voluptas
Tenella, mollis ætas
Ministrat vnde discas.
Quid pendulus resistis?
Habes quod inde discas.
Nestórne callet vnus?
Cumana callet vna?
Tacens docebit infans,
Loquens puer docebit.
In ore paruulorum,
Manu puellulorum,
Sonat verenda VIRTVS,
Micat sequenda VIRTVS.
Ades virile robur,
Puerile cerne robur.
Nuces, ais, reliqui,
Lallare desijsti.
Viri est valere dextrâ,
Viri est valere mente;
Nuces, nuces reliqui.
Et te docebit infans.
Nucẽ ecce tendit infans:
Sapis? nucem reclude,
Et nucleum capesse.
Dices, nuces amatę,
Nuces viro redite.
Firmat virile robur
Puellulare robur.
Sed vos adeste, adeste
Tenella paruulorum
Corona pusionum,
Puellulis dicamus
Hæc Hortuli roseta,
Myrteta delicata,
Amœnulos recessus,
Saltusq́ue fructuosos.
Hac cinge fronde frontẽ,
Sitimq́ue fonte vince,
Famemq́ue vince fructu.
O septa, septa sacra!
Seni, viro terenda,
Puero magis terenda!
O nobilem palęstram!
Puer docere Canos,
Viros Puer docere
Parat, magis Puellos.
Documenta vultis edam?
Nulli patebit ęther,
Qui non sit vt puellus,
Patiens, pudicus, insons,
Sincerus, integellus,
Virtute, mente, vita.

IN

IN TITVLVM LIBRI.



V c conglobatis vndique Paruuli
Adeste turmis; currite, vos vocat
Cælo triumphans in triumphum
O Pueri, Puer ipse IESVS.
Auditis? ecquæ vincula tam graues
Hephæstiano robore firmiùs
Moras catenant? huc adeste,
Deliciæ properate IESV.
Vetatne cælum pondere tardior
Subire moles terrea corporis?
At hocce BELLO MONTE *surgit*
Par superis PARADISVS *oris.*
Huc vos citatis cursibus aduocat
Terris IESVS *iam nouus incola;*
Adeste, Paruis hospitalis
Porta patet, nimis arcta Magnis.
Attentiori singula lumine
Vireta, riuos, & topiaria
Spectate, virtutumq; flores
Insolitos viridantis horti.
Obliuioso nonne silentio
Collata Tempe Thessala suppriment,
Suoque diuinos honore
Elysij superant honores?
Congratulanti murmure personans
Vox ergo clamet: Quæ puerilibus
Seges triumphis! Parua magnis
Vt decoras titulis IESV!
Insueta pignus adorea
Fastigioso tramite subsequar.
Ibo: quid obstet? hic & ille
Hoc potuit; dubitabo? Possum.

M. ÆGIDIVS SCOVILLE.

IN

IN AVCTOREM.



Vm versum modico plaustrum temone reuoluo,
  Quasque ferunt muscâ delituisse rotas;
Dum stupeo cæci spatiosa volumina Vatis
  Exigua penitus clausa fuisse nuce;
Dum mihi momentis libratam æqualibus horam
  Vix certam faciunt æra locuta fidem;
Ecce aliud lætas prælo sudante sub auras
  Dat paruâ immensum fronte PHILIPPVS opus.
Si titulum spectem, Puer est, inscribitur Infans:
  Vix bene firmato paruula turba gradu.
Quantus, Musa, Puer! canorum gloria; & Infans,
  Præ quo sunt humili virque senexque loco.
Pygmęi membrorum artus, animæque gigantes:
  Quanta in quàm tenui corpore vis habitat.
Primùm conceptus materna mirus in aluo
  Hic agit: insolitis nascitur ille modis.
Viuit hic angustis animo robustior annis:
  Non ætas mentem sustinet ægra suam.
Ille aciem tingit ceruicis rore nouellæ;
  Leniter addicto clauditur ille die.
Deniq; quicquid habet laudis Puer vsque, recēset
  Hoc tua sinceris charta, PHILIPPE, notis.
Ilicet ingenti suspectet parua theatro
  Qui volet, in magno nomine parua legat:
Tu mihi das paruo sub nomine magna, PHILIPPE;
  Et tibi de paruis nomina magna facis.

M. ALBERTVS PRINCIPE.

Gene-

Geborardus.
Georgius Maigret.
Gerardus Vossius.
Glaber.
Granatensis.
Gregorius Magnus.
Gregorius Turonensis.
Gregorius Presbyter.
Gretserus, Societ. Iesu.
Gulielmus Gazet.
Henricus Sedulus.
Hieronymus.
Hieronymus Rubeus.
Hincmarus.
Historia Tripartita.
Horatius Tursellinus, Soc. Iesu.
Hualbaldus.
Hutterus.
Iacobus de Vitriaco.
Iacobus Sprengerus.
Iacobus à Voragine.
Iacobus Bõfręus. Soc. Iesu.
Ignatius.
Ioannes Gerson.
Ioan. Matthias Tiberinus.
Ioan. Iunior Dominicanus
Ioannes d'Assignies.
Ioannes Cardinalis à Turre-cremeta.
Ioannes Maria Politianus.
Ioannes Mariana, Soc. Iesu.
Ioannes Hayus, Soc. Iesu.
Ioan. Bonifacius, Soc. Iesu.
Io. Crombeecius, Soc. Iesu.
Ionas Monachus.
Iordanus de Saxonia.
Iosephus.
Iulius Nigronius, Soc. Iesu.
Lanspergius.
Legenda aurea.
Leonardus Iustinianus.
Liber miraculorum Montis-Serrati.
Liber miraculorũ D. Virginis Salutiferæ.
Liber miraculorũ Louan.
Liber qui dicitur Angela de Fulgino.
Lignum vitæ.
Lipeloo.
Lipsius.
Literę Societ. Iesu.
Lucius Marinęus.
Ludouicus Richeomius, Societ. Iesu.
Ludgerus.
Maffeius, Societ. Iesu.
Maiolus.
M S. codices varij.
Marcus Gazæus.
Mare exemplorum.
Martinus Delrio, Soc. Iesu.
Marulus.
Matthæus Tympius.
Matth. Westmonasteriẽsis.
Menæa.
Mercurius Gallobelgicus.
Metaphrastes.
Methodius Patriarcha.
Meyerus.
Michaël ab Isselt.
Molanus.
Mombritus.

Moschus

Moſchus Eucratus.
Nauclerus.
Nicephorus.
Nider.
Nicolaus Godignus.
Nic. Lyranus.
Nic. Monachus Sueſſion.
Nic. Rigaltius.
Nic. Trigautius, Soc. Ieſu.
Nic. Serrarius, Soc. Ieſu.
Nili Monachus.
Notgerus Epiſc. Leod.
Osbertus Monachus Cantuar.
Paſchaſius Corbienſis.
Paulinus.
Paulinus Diaconus.
Pelbartus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Damianus.
Petrus Venerabilis.
Petrus Ranſanus.
Petrus Aliacus Cardinal.
Petrus Binsfeldius.
Petrus du Iarric, Soc. Ieſu.
Pitheus I. C.
Procopius.
Prudentius.
Roghoel.
Raymundus.
Ribadeneira, Soc. Ieſu.
Ribera, Soc. Ieſu.
Riccius, Soc. Ieſu.
Robertus de Hault-port.
Rodericus Toletanus.
Rufinus.
Rupertus Tuitienſis.
Rutilius Benzon.
Sabellicus.
Salazar.
Sebaſtianus Roullardus.
Sedulius.
Seraphinus Razius.
Sigebertus.
Socrates.
Sozomenus.
Speculum Exemplorum.
Spondanus.
Stapletonus.
Sulpitius.
Surius.
Theatrum vitæ humanæ.
Theodoretus.
Theodoricus de Appoldia.
Thomas à Cantiprato.
Thomas à Kempis.
Thomas Morus.
Thyreus, Soc. Ieſu.
Toletus, Soc. Ieſu.
Trithemius.
Victor Vticenſis.
Villaneus.
Villegas.
Vincentius Belluacenſis.
Vincentius Barralus.
Vincentius Mainardus.
Virgilius Ceparius, Societ. Ieſu.
Vitæ Patrum.
Wilhelmus Abbas.
Wilhelmus Lindanus.
Willibaldus.
Zonaras.

FINIS.



ELENCHVS CAPITVM.

PRIMA PARS.

PARADISI PVERORVM INGRESSVS:

Vbi de iis igitur, quæ pueris circa ortum contigerunt.

SECVN-

SECVNDA PARS

PARADISI PVERORVM VIRIDARIA, AREOLAE, TOPIARIA:

Vbi de ijs agitur, quæ gesserunt pueri vitæ suę progressu.

TERTIA PARS.

PARADISI PVERORVM
ADYTA PENETRALIA:

Vbi de ijs agitur, quæ pueris circa obitum contigerunt.

FINIS.

PRIMA



PRIMA PARS.

PARADISI PVERORVM INGRESSVS,

VBI DE IIS AGITVR, QVÆ pueris circa ortum contigerunt.



SI luctuosa parentum primorum calamitas locum nobis aliquem in amplissimo illo atque amœnissimo deliciarum theatro fecisset reliquum, neque tam tristi lapsu omnē ad illud aditū posteritati suæ præclusisset, licuisset profecto mortalibus in eo versari immortalibus, atque in iucundo oblectationis Paradiso ita conquiescere, vt extra illum ne voto quidem (cælum demo) posset quicquam exoptari. Sed quoniam excidimus tanti boni non possessione modò, sed etiam illius recuperādi spe; satagit humana industria, & vndique circumspicit, si qua possit limen istud optatissimum aliquādo pulsare; sin minùs, aliquam certe eius ideam atque similitudinem consequi, qua velut fomēto desiderio suo medeatur. Est præter Ægyptum (si topographis nostris credimus) crux, cui ab incolis

 risus


risus nomen dedit, in edito quodã monte sita, quã qui emensi sunt, tanta suauitate deliniri dicuntur, vt cibi potionisque expertes æuo beatissimo perfruantur, atque illos campos quasi Elysios paradisum appellant; re autē vera vis quædam mouet isti à natura indita est secreto quali tune hominum corpora ad se protrahens, attractaq; fame enecas; quę etiam illo periculo frequētatur idemdem, suadente ficto illo paradisi nomine, & falsam quietē pollicente. Quę res legentibus fortasse risum faciet; sed satis mihi fuit, si probarem vobis, innatā illam Paradisi appetentiam historicis eius loci aut referendi, aut fingendi dedisse occasionem. Eam ipsam testatur quod de crudelissimo Solymorum tyranno memoriæ proditum est, locum illi fuisse arboribus ad amœnitatem consitis ornatissimum, cui paradiso nomen fecerat, cuius adeundi spe puerulos ad magnus hostibus suis ex insidijs inferēdat, & quod ipsis flagitium audiendum incitabat.

Paradisus Puerorum. Sed ecce Paradisum orbi aperimus, non vbi corpora adeuntium inedia consiciantur; sed animi grata rerum inusitatarum lectione pascantur: ad quem puerorum greges non cōiciendis sceleribus, sed virtutibus exercendis aditum inuenerūt. Adeste animulæ, beatæ puerorum mentes, vobis Paradisus hic reseratur, hoc solum vestris nominibus excolitur, quos singulari quodā modo hominum Sator aliquid supra naturam secum voluit in lucem attulisse: ortus ille vester admirandus habet operis nostri vestibulum, inauditus vester in orbem ingressus primum apparebit, pedem in Paradisum nostrum inferentibus; qui (si quid licet

Genesis 13. augurari) sicut olim Loth: *Vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur sicut Paradisus Domini*, in ea habitauit; ita illi tanta hortuli nostri amœnitate, vel primo in limine, pellecti, diutius animo atque oculis inhærebunt.

Tu Le-

Tu Lector, primus pedem infer: monitum tamẽ velim, si non illico flores intueris, spes te non vana sustineat: nam quid non pollicetur cęlum tum suis fœcundis imbribus, tum vitalibus solis radijs? si quę etiamnum in semine plantę, citò terrâ se tollent, si quarum germinans apparet tumor, breui illos expandetur e germine. Quæris quęnam illæ mihi plantæ? ipsas accipe, vel adhuc in aluo materna informes, formatasue proles, quarum omnium tot pręcurrunt à cęlo pręnuncij, vt qui iam enatas vident, in easdem cum vicinis & notis Christi Præcursoris admirationis voces erumpãt.



CAPVT I.

PVERI NASCITVRI REVELATIO, PRÆDICTIO.

Solent pręcones aduẽtum Principũ pręcurrere, qui vel clata voce, vel inflatâ tubâ venturos prænuncient. ad eum fere morẽ nasci turis Deus pręcones nõ rarò præmittit, qui quo nobiliores sunt, eo præstantiorẽ quoq; futurũ eum qui prædicitur, colligimus: hinc Angelũ hoc munere frequẽter perfũctum accepimus, vel è Sanctis, vel etiam è mortalibus aliquem, neq; tot immutabilia veterũ Patrũ de ipso Christo, humani generis assertore, vaticinia, tot de Sanctis viris reuelationes temere sunt patefactæ; magnos scilicet ac præclaros omnino fore fama hęc pręnuncia indicare vult; dum quæ alios solet sequi, hos eadem honori sibi ducit anteire.

§. 1. *Deus promittit Abrahæ filium Isaac.*

ABrahæ promisit Deus Isaacum, *Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas si potes, & dixit ei: Sic erit semen tuum.* Gen. 15.

§. 2. *Reuelatur Moysis conceptio Ægyptijs exitiosa.*

Iosephus Antiq. Iudaic. l. 2. c. 5.

PRænũciârat Regi Ægypti quidã sacrarum litterarũ peritus, nasciturũ per id tẽpus apud Israëlitas puerũ quendam, & res Ægyptiorũ olim grauiter afflicturũ; Israëlitas cõtrà euecturum (si modò ad ætatẽ adultam peruenerit:) nam & virtute fore præcellentissimum, & gloriâ per omne æuum celebrem. quo terrore percitus Rex, edicit ex ipsius monitoris sententia, quicquid masculini sexus inter Israëlitas nasceretur, in flumen proiectum necari: obstetrices etiam Ægyptias diligenter obseruare partus Hebræarum, ac parturitiones. proposuit etiam pœnam, si quis clam seruare fœtus auderet, vt cum tota familia tolleretur. Grauis fuit hæc calamitas, non eò solùm quia liberis orbabantur, & quia parentes ipsi ministri eorum interitus esse cogebantur, sed futurum quoque tempus prospicientes, inconsolabiliter tristabantur, certum generis exitium exspectantes, quandoquidem & proles necabantur, & ipsis parentibus non multo post erat moriendum. Amarames Hebræus, vir inter suos nobilis, solicitus tum publico periculo, ne gens defectu iuuentutis ad nihilum redigeretur; tum priuatim, quòd domi prægnantem vxorem haberet, inopià consilij laborabat, & ad implorandum diuinum præsidium conuersus, orabat vt tandem miseraretur homines, à quibus vnis perpetuò cultus fuerit, daretque finem præsentis afflictionis, quæ toti generi perniciem minaretur. Deus autem precibus supplicis ad misericordiam flexus, adstitit ei per somnum, iussitque in futurum bene sperare; memorem se esse pietatis eorum à maioribus acceptæ, nec ipsis defutura præmia, sicut nec progenitoribus defuissent, &c. Puer verò iste, inquit, cuius natiuitatis

tibus metu Ægyptij fœtus vestros ad necem damnauerunt, tibi nascetur, hic neque deprehendetur ab obseruatoribus, & postquam euaserit, præter opinionem educatores nactus, suo tempore Hebræos ex Ægyptia seruitute liberabit. Quæ res per visionem cognita, non parum solicitudinem auxit.

§. 3. Samson parentibus Reuelatur.

ERat quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan, nomine Manue habens vxorem sterilem, cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & absque liberis: sed concipies & paries filium. Caue ergo ne bibas vinum ac siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies, & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris vtero, & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum, &c. Iudic. c. 13.

§. 4. Prædicitur Iosias nasciturus.

ECce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. dedit q; in illa die signum dicens: Hoc erit signum, quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est. Cumque audisset Rex Ieroboam sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam in altari, dicens: Apprehendite eum, & exaruit manus eius quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se; Altare quoque scissum, & effusus est cinis de altari. 3. Reg. 13.

§. 5. *Angelus Ioannem Baptistam prænunciat.*

IVcundum Ioannis Baptist. ortum prænunciauit Angelus Zachariæ, quem prædictioni fidem habere differentem, alligatis tam diu linguæ vinculis castigauit, donec dicta rei comprobaret euetus. Luca 1.

§. 6. *De Christo prophana oracula.*

NE ignorantiam prætexere vlla natio posset, vbique gentium vera fides habuit interpretes, nam Sibyllas, etsi loco, & natione discrepantes, Sanctus afflauit Spiritus, quæ diuini verbi in Virgine corporali cæleste mysterium, quod longo ante cecinerunt tempore; declarant: & cùm decem Sibyllæ numerentur, teste Varrone, totidem hic responsa breuiter subijciemus.

PERSICA.

Ex peruetusto M.S. Canisius l. 2 de B. Virg. c. 7 l. de falsa relig. c. 6.

Virgine matre satus, pullo residebit asello
Iucundus princeps, vnus qui ferre salutem
Rite queat lapsis,
Ille Deus casta nascetur virgine magnus.

LIBYCA.

Ecce dies venient, quo æternus tempora princeps
Irradians se læta viris sua crimina tollet,
Æquus erit cunctis, gremio Rex membra reclinat
Reginæ mundi sanctus per sæcula viuus.

DELPHICA.

Huius pertentant cor gaudia magna prophetæ
Eximij, qui virginea conceptus ab aluo
Prodibit sine contactu maris, omnia vincit
Hoc naturæ opera: & faciet qui cuncta gubernat.

SAMIA.

Hunc poterunt clarum viuorum tangere Regem,
Humano quem virgo sinu inuiolata fouebat.
Annuit hæc cælum, & rutilantia sydera monstrant.

CVMANA, CELEBERRIMA,

Iam mea certa manent, & vera nouissima verba,
Vltima venturi quod erant oracula Regis,
Qui toti veniens mundo, cum pace placebit,
Vt voluit, nostra vestitus carne decenter
In cunctis similis castam pro matre puellam
Deliget, hæc alias fama præcesserit omnes.

HEL-

HELLESPONTICA.

Dum meditor quondam Verbi decorare puellam
Eximio castam quod se seruauit honore
Munere digna suo, & diuino numine visa,
Quae sobolem multo pareret splendore micantem,
Progenies summi speciosa & vera Tonantis,
Pacifica mundum qui sub ditione gubernat.

PHRYGIA.

Virginis in corpus voluit demittere caelo
Ipse Deus prolem, cum nunciet angelus almae
Matri, quae miseros contracta sorde lauaret.

TIBVRTINA.

Verax ipse Deus dedit haec mihi numina fandi,
Carmine quod sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet quae Nazareis in finibus illum,
Quem sub carne Deum Bethlemitica rura videbunt.
O nimium felix caelo dignissima mater,
Quae tantam sacro lactabit ab vbere prolem!

ERYTHRÆA.

Cerno Dei matrem, qui se demisit ab alto
Vltima felices referunt cum tempora soles,
Hebraea quem virgo feret de stirpe decora,
In terris multum teneris passurus ab annis.
Magnus erit tamen hic diuino carmine vates
Virgine matre satus, prudenti tempore verax.

CYMMERIA.

In teneris annis faciei insignis amore
Militiae aeternae Regem sacra virgo cibabit
Lacte suo, per quem gaudebunt pectore summo
Omnia, & Eoo lucebit sydus ab orbe.
Mirificum sua dona Magi cum laude ferentes
Obycient, myrrhamque aurumque & thura Sabaea.

Qui quidem versus manifestissimè mysteria & adhuc nube Infidelitatis tecta, & à nostris sensibus remotissima, patefaciunt.

Multa Dodonaei Iouis, & Apollinis tum Pythij, tum Delphici, & Ammonis, quibus Ethnici mul-

tum tribuunt authoritatis, valentque ad eos conuertendos plurimùm, oracula afferri possent: sed pauca tantùm in medium adducam. Ita Iasoni, nil tale suspicanti, respondit Apollo Delphicus de Christo nascituro: Cùm enim Argonautarum Dux ille à Græcis Poëtis celebratus, de templo, quod Athenis, in arce constructum esset, Apollinem consuleret in hunc modum; Prædic nobis Phœbe Vates, cuiusnam erit hæc ædes? & cui sit in posterum seruitura? sic ille respondit: Quæcunque ad virtutem & honestatem vos inclinant facitote: de me sic habete, tres cupere Deum regnantem apud Superos, cuius Verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici Virgine, qui velut ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet donum Patri: huius erit hæc ædes. MARIA autem nomen eius.

Procopius Martyr apud Metaphrasten 8. Iulij. his enim oraculis Flauiano Præsidi Christianã religionem probare conabatur.

Cùm verò quidam Battus nomine hunc eundem Apollinem de Deo percunctatus esset, hoc accepit responsum. Vnus mihi, Batte, vim affert, vir cælestis, cùm passus sit, Deus est, & tamen non ipsa passa est diuinitas: vtrumque enim simul est; Deus, & Mortalis, à Patre ferens omnia, & omnia Matris habens: ex Patre quidem habens vitam, & vires; ex Matre autem Mortali, crucem, sepulcrum, molestam & grauem contumeliam. cuius ex oculis aliquando calidę fundebantur lacrymæ, & quinque hominum millia satiauit quinque panibus, Christus est meus Deus, qui est in cruce extensus, qui mortuus, qui è sepulcro venit ad polum.

Ibidem.

Huius rei non mediocriter ex vetustissimo illo sepulcro, Irene matre, & filio Constantino im-

Nauclerus tom. 2. gener. 27.

no imperantibus reperto, fides augetur, in quo hæc erat inſcriptio, aureæ inciſa laminæ: *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum; ô Sol ſub Irene & Conſtantini temporibus, iterum me videbis*. Et hanc quidem laminam Conſtantinus hoc nomine VI. & eius prçclara mater Irene, inuentam in mortui hominis pectore, ex ſolido auro, habuerunt in maximo precio, fuitque ea dies Byzantinis maximè lçta, cùm ambigeret nemo, quin illud eſſet hominis antiqui, & Chriſto præcurrentis.

Volateranus in Anthropolog. l. 23. *D. Tho. 2. 2. q. 2 a 7. ad 3.*

Non parùm etiam probat hanc rem quod Martinus Polonus ſcribit Archiepiſcopus Coſentinus, quendam Iudçum Toleti, dum rupem exſcindit vt vineæ terminos proferat, in medio ſaxo latibulum inueniſſe, quod non manu factum videbatur, intuſque librum folijs quaſi ex tenuiſſimo ligno læuigatis, tribus quidem linguis, Hebræa, Græca, & Latina, conſcriptum; in eo de triplici mundo diſſeri, & ab Adamo vſque repetentem in Anti-Chriſtum deſinere, vltimi operis illud eſſe principium; In tertio mundo, Chriſtus naſcetur ex Virgine MARIA. quin etiam ſingularum ætatum, in quocunque mundo, hominum res, mores, ingeniaque deſcribi: Iudæum iſtum, Chriſti ac Virginis lecto illo vaticinio, quod eſſe videbat antiquum, & Chriſtianorum ſæculis præpoſitum, cum tota familia baptizatum; legebatur etiam tum arcani, ac retruſi huius voluminis inuentionem tum fore, cùm dominaretur in Caſtella Ferdinandus. ſed quotus eſſet, aut liber non dixit, aut Polonus omiſit.

In ſuo Chronico repurgato, c. 187.

Altioris ordinis eſt de Chriſto naſcituro prædictio, apud S. Lucam. *Ecce concipies*, &c. *Hic erit magnus,*

Luca 1.

gnus, &c. Paſtoribus quoque primis reuelata eſt Saluatoris Natiuitas, voce Angeli. Magis verò, nouæ ſtellæ exortu; Simeoni Pontifici, & Annæ Prophetiſſę tacitâ Spiritus ſancti reuelatione.

§. 7. *De SS. Maria Virgine oracula.*

QVę de Chriſto ſuprà attulimus, pleraque ſanctiſſimę eius Matris manifeſtiſſime meminerunt, & non rarò etiam nominatim.

In Cōpendio l. 36. c. 15. Sed prętereà ſcribit Cedrenus, templum omnium nobiliſſimum ab Argonautis ędificatum fuiſſe, conſultumque ab illis oraculum, cui conſecrari deberet, his carminibus reſpondiſſe, quæ Martyr Procopius ita expoſuit.

Aſſiduâ virtute decus ſublime parate,
Atque vtinam (ſic mando) Deum, qui cuncta gubernat,
Cæleſti reſidens ſolio, colite, atque timete:
Illius æternum ante omnia ſæcula Verbum
Neſcia Virgo viri noſtras emittet in auras.
Quod velut igniferis impulſa ſagitta procellis
Edomitum reddit diuino munere mundum,
Huius, cui MARIÆ *nomen, ſanctiſſima mater,*
Agnoſcet templum proprium ſibi rite dicatum.

Hoc oraculum adeo ſuſpexit antiquitas, vt illud æreis literis in marmore inciſum, æternitati commendarit, atque in ipſis templi valuis affixū, cunctis legendum propoſuerit. Enimuero populi ſincerę veritatis ignari & à dęmone ſeducti fabuloſę Deorum Matri templum illud dedicauerunt, quod tandem imperante Zenone ad ſanctiſſimæ Virginis MARIÆ cultum Chriſticolæ traduxerunt.

Affirmat Dorotheus in Synopſi, & Epiphanius in vita Hieremiæ. Ægyptios etiam ſuadente Hieremia Propheta, Virginis MARIÆ pręcultores fuiſſe, accepimus: cùm enim S. Propheta in illo Ægyptiaco exilio ſacerdotes illius gentis conueniſſet, ipſiſque audientibus, ſimulacrorum, quibus ſe impiè

piè dabant, vastationem prędixit, & eius rei tum fore tempus adiunxit, cùm virgo in pręsepi filium collocaret, quem salua integritate peperisset, atque in Ægyptum non multò post Deo iubente, secederet. Huic Hieremiæ vaticinio sacerdotes credidisse; exinde virgineam imaginem in lecto collocatam, iuxtaque infantem in pręsepio cubantem venerari cœpisse, cumque Ægyptius quidam Rex, decursu temporis, quid illa sibi vellet effigies, rogauisset, solemnem ritum illum esse, virginem, virginisque partum adorandi, respondisse, quem maiores ab Hieremia Domini Propheta didicissent, suisque posteris ita tradidissent.

Ad oracula referri debent prædictiones sacræ, & typi; ac inter prędictiones quidem innumeras, hæc, vt tēporis antiquitate: sic promittentis authoritate, pręcellit: quā dæmoni, post mulierem deceptā, interminatur Deus, implacabiles, inter ipsam, & serpentem, inimicitias, adiunxitque, quod MARIÆ est perhonorificum, nobis salutare: *Ipsa conteret caput tuum.* *Genesis 3.*

Typum MARIÆ gessit, præter res mutas innumeras, Mosis, & Aaronis soror germana, prima omnium Maria appellata, virginitatis, prophetię, magisterij laudibus illustris. hanc etiam adumbrauit Eua dicta mater viuentium. Rebecca, dum filijs suis benedictionem procurat. Hester, dum fouet affectu singulari Populum. Iahel, dum insigni prudentiâ hostem fallit. Iudith, dum masculâ virtute hosti caput amputauit, & inimicas acies in fugam conuertit. Abigail, & aliæ, nominatim verò sponsa illa ornatissima in Canticis: quem librum sic affirmat Rupertus esse conscriptum, vt præcipua ex parte ad Dei Sponsam MARIAM referri posse videatur. *Exodi 15.*

§. 8. De

§. 8. *De S. Vrſmaro.*

Ratherius Epiſc. Veron. apud Suriũ 18. Apr.

MAtri eius grauidæ ſenex quidam venerandus apparuit per viſum, dicens: Accipe, inquit, hunc puerum (ducebat manu infantulum) & nutri eum. Verùm cùm maxima tunc fames graſſaretur, ait mulier ſeni: Vnde hoc faciam, Domine, cùm deſit mihi panis? Hoc, inquit, pane nutries illum, deditque ei panem valde candidum, quem in manibus ſuis multùm creuiſſe cùm vidiſſet mulier, Quid hoc, inquit, ſibi vult, Domine? reſpondit ſenex: Filium es paritura, qui de regno aliquam Chriſto lucrifaciet partem: fecitque; nam tantam à Deo conſecutus eſt gratiam, vt quotquot ad eum alloquendi gratiâ venirent, omnes diuini verbi pabulo reficeret.

§. 9. *De S. Theobaldo.*

Surius Iunij 3.

THeobaldus Viennenſis Epiſcopus, auunculus auiæ S. Theobaldi, à quo æquiuoci nominis vocabulum ſortitus eſt, cùm aliquando colloquium haberet cum matre Dominæ Giſlæ, huius beati viri genitrice, inter cętera, ait: O generoſa parens, gaude, & lætare, quia ex te prodiet mater, quę paritura eſt magni meriti filium, qui omnibus noſtræ affinitatis hominibus præeminebit: & ante Deum, & homines, magnus vocabitur. huic etiam præſagio teſtimonium perhibuit paupercula quædam, quę iam grauidam matrem beati viri ſic compellauit: Gaude, Domina, inquiens, quæ in vtero geſtas filium, qui apud Deum pręcipuum obtinebit locum, & ſuorum erit gloria parentum.

§. 10. *De S. Birgitta.*

CVm naufragium, in quo multi perierant, ope Henrici, fratris Regis Suediæ, euasisset mater S. Birgittæ, prægnans, ab eoque ad littus tandem perducta esset, eâdem nocte, illi adstitit persona quædam, veste luculentâ induta, dixitque ad eam: Salua euasisti propter bonum illud quod habes in vtero. Itaque nutri illud pro amore Dei, sciens specialiter id tibi diuinitus esse donatum. *Surius 23. Iulij.*

§. 11. *De S. Clara.*

HOrtulana S. Claræ mater fructiferam Horto Ecclesiæ plantulam editura, cum non parum de partus periculo solicita, ante crucem in templo oraret, vocem sibi audire visa est: *Ne paueas mulier, salua enim lumen quoddam parturies, quod ipsum mundum clarius illustrabit.* Quo edocta oraculo natam infantulam Claram appellari voluit. *Ex eius vita scripta iussu Alexandri 4. Pontif. Et Sedulius in Seraphica. hist.*

§. 12. *De S. Nortberto.*

MAter Nortberti audiuit per somni quietem sibi dici: *Æquo animo esto Hadevvigis; Archiepiscopus futurus est, quem gestas in vtero.* *Surius to. 3.*

§. 12. *De Sancto Stephano Rege primo Hung.*

GEisa Dux Hungarorum, cùm iam factus Christianus, omnes suæ ditionis homines ad Christum perducendi cogitationes, sanè ardentes, suscepisset, & de edomandis rebellibus, ac sacrilegis ritibus abolendis consilia secum agitaret, secundum quietem iuuenem eximia specie fulgentem conspicatus est, qui blandâ voce, *Facessat*, inquit, *hęc superuacanea solicitudo:* *Surius 20. Aug. Baronius to. 10. anno 989.*

nam

nam tu, quod meditaris, propter manus humano sanguine pollutas effectui mancipare non potes: nascetur autem tibi filius, qui Regis titulo decorandus, id efficiet, quod animo concepisti. Experrectus Princeps, humi prostratus, principatum suum cum nascituro filio lacrymabundus Deo commendat: quin & vxori eius S. Stephanus, habitu Leuitico ornatus, apparuit, his vtens verbis: Confide mulier in Domino, & certa esto te filium parituram, cui primo, huius gentis & regnum & corona debetur: tu verò illi nomen meum imponito. Ego namque Stephanus, qui primus pro Christi nomine sanguinem profudi, eum meo tutabor patrocinio, precibus in fide promouebo.

§. 14. *De S. Romano Episc. Rhotom.*

Nicolaus Rigaltius 23. Oct.

BEnedictus (id erat Patri S. Romani nomen) hoc vno infortunij genere anxius tenebatur, quod filium non habens, alieno censum seruabat hęredi: post igitur varias preces, & opera pia, quib. Dei numen solicitabat, mittitur eò insperati gaudij nuncius, Angelus scilicet de cælo, qui sub nocte, viro consolationis verba intulit: Ne paueas, inquit, electe Dei; Ecce ago ad te à Deo missus sum: ne ergo suspectus verearis phantasię spiritu illudi; ego sum Angelus ille, qui vestra bona studia, & orationes Deo obtuli; quæ diuinę gratiæ conspectibus proximo tempore implebũtur, quia Fœlicitas vxor tua pariet tibi filium à Deo electum, nomine Romanum: hunc tu immunem ab omni labe corruptionis seruare memento, quia ipsum necdum genitum superna prouidentia ad regimen sanctę Ecclesiæ præordinauit. Quod quidem visum vbi vxori aperuisset, fit eleemosynarũ largior distributio.

§. 15. *De S. Bonito.*

ORiginem traxit Bonitus ex inclyta Aruernorum vrbe patre Theodato, matre Syagria, qui ad Romanos Senatores referunt suos natales: priusquam autem in lucem esset editus, sacerdos quidam Fregio nomine, fertur ad eius parentum venisse ædes, atque à genitrice eius cum magno acceptus gaudio & pro more rogatus, vt ipsi bene precaretur, his verbis vsus: Tu mihi benedic Dei sacerdos venerabilis Domine, quæ verba tacite secum expendens Syagria, tandem ex sacerdote percunctatur, quid illa sibi vellent; tum Fregio: Non equidem vt tu putas, à te petij benedictionem, sed ab illo quem gestas in vtero, quippe quem diuinitus video ad summum vocari sacerdotium. Et [illegible], Pater, inquit, vt tuis precibus eueniat, quod dicis. *Surius 15. Ianuarij.*

§. 16. *De S. Eucherio.*

SAncti Eucherij mater cùm se quieti dedisset, vidit in somno suo virum adstantem, miri candoris vestibus indutum, capitis veneranda canitie splendidum, oculis instar gemmarum coruscantibus terribilem, sibique dicentem: Aue Deo dilecta, benedictum in vtero tuo ferens puerum, olim in hac vrbe Deo electum futurum Antistitem. Cui venerabilis matrona: Obsecro te, inquit, vt benedictionem tuo ore largiaris, priusquam à me discedas; intueor enim vultum tuum veluti Angelicum. Et ille Angelus: Rectè quidem cernis; ego enim Angelus Dei sum, missus ab eo vt benedicam puero, qui est in vtero tuo. *Ex M S. codice Sur. in eius vita.*

§. 17. *De S. Stephano Iuniore Martyre.*

CVm eximius vir Germanus in Patriarchicũ thronum ascensurus esset, plebs ingenti frequentia ad maximum S. Sophiæ templum, ipsius viden- *Surius 28. Nou.*

vitam, qui pendentem è collo D. Virginis imaginem habebat, cui appensa erat alia S. Dominici, re, & nomine Bonus, dixit, Lætare Domina Theodora, paries enim filium Thomam, qui toto orbe ob vitæ, & eruditionis præstantiam, celebrabitur; quin & S. Dominici institutum ipse amplectetur.

§. 20. *De S. Vigore Episcopo.*

S. Vigor, Atrebas, & nobilissimo genere procreatus, olim Monachus S. Vedasti, Childeberti tẽpore fuit Sanctus ab Angelo pronunciatus, priusquam nasceretur. *Lignum vitæ 1. Nouemb.*



CAPVT 2.

MIRACVLOSA QVORVMDAM CONCEPTIO.

INnusta priscis temporibus nota feminis quæ vterum non ferrent, fecit vt pleræque minùs fortasse de liberis suscipiendis, quàm de fugienda infamia laborantes, ad humani generis parentem Deum (cuius manus potẽtissima omnem sterilitatẽ excludit) precibus ac votis, interposita etiã Sãctorum interpellatione accederẽt. Verùm quid insultas fœcunda sterilibus antiquitas? an nescis cùm Deus alicuius vterum claudit, ad hoc facere, vt mirabiliùs denuo aperiat, vtque non libidinis

esse quod nascitur, sed diuini fore muneris cognoscatur? Luculenter id probat vieta Sara, quæ postquam ad nonagesimum vsque ætatis annum sterilitatis opprobrium magno animi sui mœrore pertulisset, Isaacum tandem, cui repromissa erat omnium gentium benedictio, in lucem edidit. Rachel quoque à pulchritudine tantopere laudata, sed diu infœcunda, Iosephum, penes quem totius postea Ægypti summa fuit, enixa est. Quis fortior Sampsone, quis Samuele sanctior? vterque tamen ex aluo sterili prodiere. Omitto hic Elizabetham & Annam; hoc etiam nomine infelices, quarum prior edidit Ioannem Christi prodromum, altera Mariam: & hæc ipsum Christum adeo felici effudit partu Virgo, vt matribus omnibus fœcunditatis palmam præripuerit. Multæ præterea occurrunt, quæ post vigesimum annum ab initio matrimonio, aut etiam trigesimum, partus honore lętatę sunt, de quibus sigillatim agendum.

§. 1. *De filijs Abimelech.*

Genesis 20 ABraham orante, Abimelech, Regis Gerarę vxor, & ancillæ, cùm antè steriles essent, prolem multis votis desideratam susceperunt, & matrum nomine lętatę sunt.

§. 2. *De Isaac.*

Genes. 18. ABraham & Sara ambo senes erant, prouectęque ætatis, cùm conceptus est Isaac. Abraham centum erat annorum, Sara nonaginta.

§. 3. De Iacob.

Genes. 25. *DEprecatus est Dominum Isaac pro vxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebecca.*

§. 4. *De Sampsone.*

Iudic. 13. STerilis erat vxor Manue, Sampsonis mater, sed ei apparēs Angelus enixuram filium prędixit.

§. 5. De

§. 5. De Samuele.

Affligebat Annam æmula eius, & vehementer angebat, intantum, vt exprobraret ei sterilitatem. Porro illa flebat, & non capiebat cibum, dixit ergo ei Helcana vir suus: Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum, quàm decem filij? Surrexit autem Anna postquam comederat, & biberat in Silo, & Heli sacerdote sedente super sellam, ante postes domus Domini, cùm esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius. 1. Reg. 1.

§. 6. *De* MARIA *Deipara.*

MARIÆ Conceptiones duæ sunt, vna in ęterna Dei mente, quando præstantiora illi assignauit charismata, quàm vlli nũquam puræ creaturę: altera in B. Annæ vtero. Pater eius fuit Ioachim, mater verò Anna, ambo genere, & virtute nobiles, qui, vt Epiphanius & alij scribunt, licet essent senes, multisque annis in matrimonio vixissent steriles, tamẽ quia magnam in Deo spem habebant, ab eo prolem multis ieiunijs, eleemosynis, votoque eam diuino cultui consecrandi concepto, flagitabant. Legimus apud S. Hieronymum, eos quotannis suas facultates distribuisse in tres partes, vnamque templo eiusque ministris, alteram pauperibus solitos diuidere, tertiam sibi reseruare. Tandem post annos 20. prolem consecuti sunt, & Anna Decembris die 8. huius mundi mundissimum ab omni labe cœlum, MARIAM inquam, concepit. Et ita quidem, vt ab ipsa etiam originis labe puram plerique iure merito contendant, si non aiente, certè annuentę Ecclesia. Quid enim

Epiphanius hær. 70. Nic. Eccl. hist. l. 1. c. 7. Niss. de hum. Christi gener. D. Hieron. tom. 4. de Natiu. B. V.

enim sibi volunt anniuersariç Conceptionis feriç, apud Græcos ante annos mille celebrari cœptæ? in Romanç verò Ecclesiç multis partibus, annis ab hinc quingentis? Iamque est festæ huius lucis religio apud omnes Christianos ducentorum annorum corroborata vetustate: idque ex reuelatione diuina (vt putatur) sanctæ Brigittæ, & alijs facta, quod admittit Bonauentura, nec reijcit Bernardus, vt constat ex eius exemplis. Immo Sixtus IV. vocat Conceptionem puram, & immaculatam: immensos quoque Ecclesia thesauros aperit hoc pie credentibus, & colentibus. Alexander verò VI. Iulius II. & Leo X. ordinem religiosum in honorem immaculatç Conceptionis institutum confirmarunt, & varijs priuilegijs exornarunt. Denique in Academia Parisiensi, Valentina, & nonnullis alijs, nulli ad sacræ Theologiæ fastigium ascensus datur, qui priùs non iurârit, nunquam se hanc assertionem oppugnaturum.

Extra. Cũ præcelsa. &, Graue nimis. de reliquijs & venerat. Sanct.

Et sanè si primus Adam ex immaculatâ conditus est terrâ, nunquid necesse erat Christum, qui secundus est, ex intaminata virgine nasci? planè decebat Diuinam bonitatem, prouidentiam, sapientiam, vt dignam Dei filio matrem conderet; cuius dignitati repugnasset, mancipium dæmonis vel breuissimo tempore aliquando extitisse. id ergo matris Dei postulat dignitas, vt agnoscit D. Augustinus, de hereditaria culpa differens, cùm ait: *Excepta sancta Virgine MARIA, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit Dominum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Et certè nunquid ex purissimo Virginis sanguine, Christi caro formata est? & eadem portio, quç Christi nunc est, MARIÆ fuit aliquando? quomodo ergo aliqua fal-

Aug. li. de Natur. & Gra. c. 36.

tem

tem oratione peccati eam labe infectam fuisse dicemus.

Nec obstat vnus aduersariorum Achilles, Christum sic non foré omnium (si nullo fuerit temporis momento MARIA sub communi lege peccati) redemptorem; idque repugnare decreto Dei, quo statuit, Adam peccante, omnes concipi in peccato originis: nam decretum ita debet illud accipi, vt si Adam peccaret, omnes homines, vi conceptionis peccato forent obnoxij: non tamen eo decreto facultatem Deo adimi, quo minùs quemquam possit ex singulari gratiâ, à peccato præseruare. Nemo enim inficias iuerit, quin ipsa, debito (vt sic loquar) contrahendi peccatum originale obnoxia fuerit, verùm ne illud contraheret, fuit primo conceptionis suę momento à Deo præseruata; quod abundè sufficit, vt & prorsus intaminata sit, & tamen necessariam Saluatoris opem lubés agnoscat, cantetque beneficij memor, *Fecit mihi magna qui potens est.* Simile est de eo qui preueniente succurrentis manu eripitur ex cœno, in quod alioquin erat necessariò casurus. Ergo *Tota pulchra es, &c.* Cantic. 4.

§. 7. *De S. Galactione.*

EMesę in ciuitate Phœniciæ nobili Clitophon fuit, genere insignis, & diuitijs ciuium nulli secundus, sed hac in re omnium miserrimus, quòd vxore Leucippe sterili, nullam posteritatis spem sibi relictam videret: qua de causa multis frequenter opprobrijs coniugem appetebat: adeoque vt ipsa mœrore penitus contabesceret. Accidit eâ tempestate, vt secundus Emesæ gubernator, animo planè barbaro, Christianam pietatem radicitus exscindere conaretur, omnesque pij, præsentis periculi magnitudine perculsi, fugâ sibi consulerent. Vnus Onefrius Monachus, in tali procella periclitantes imbecilliorum

Ex Metap. Baronius to. 2.

animos deſerere, nequaquam eſſe viri pij, ac religionis ſtudijs deditι, ratus, mutato habitu impietatem eludere, & imbecilliores Chriſtianorum animos confirmare aggreſſus eſt, mendicitatem ſimulat, vt dum oſtiatim ſtipem corrogat, ipſe ſub ſordido pallio veros theſauros abſcondens, eos locupletaret: Venit igitur aliquando ad Clitophontis ædes, ſed ſtipem quęritanti Leucippe, vt erat tum triſtitiæ plena, fores occluſit, & quadam cum indignatione eum amandauit. Inſtat ille importuniùs, inopiam multis exaggerat: mulier miſericordia mota, eum admittit, & pijs eius ſermonibus prouocata, ſuam ei viciſſim calamitatem exponit, additque, nullum Deorum hactenus inuentum fuiſſe, qui ſterilitatis opprobrium tollere potuiſſet. Tum ſenex; Nihil, inquit, mirũ, ô matronarum præſtantiſſima, quòd remedium ab ijs conſequi non potueris, qui dedecore & probro pleni, nefandis ſemper operibus ſe per omnem vitam contaminarunt: ſed ſi placet ab Omnipotente & vero Deo opem poſtulare, equidem te voti compotem breui futuram ſpondeo. Leucippe eam orationem mentis attentâ conſideratione ſuſcipiens, ſpe concipiendæ prolis, ſe Catecheſi inſtruendam tradidit, & aquis deinde ſalutaribus expiandam: nec multò pòſt, ſolutis ſterilitatis vinculis, ſpem prolis haud dubiam ſibi fecit, prorſus vt ipſe eius maritus ad libanda Dijs ſuis ſacrificia in gratiarũ actionem properaret: at vxor, Ne feceris, inquit: Non enim dęmonum, vt tu exiſtimas; ſed Dei cæli, terręque conditoris beneficio concepi: Exponit deinde totam conuerſionis ſuæ ſeriem, hortatur ad fidem ſuſcipiendam, & miraculi magnitudine inclinato facilè perſuadet, vt ab eodem Onefrio vndâ piaculari lauętur: Atque hęc concepti infantis ratio.

§. 8. De

§. 8. *De S. Gregorio Naz.*

S. Gregorij mater, cùm prolis masculę cupiditate flagraret, Deū omnium dominorum authorē precatur, eique vouet, si desiderij compos fiat, nasciturum filium oblaturam, quemadmodum Anna Samuelem. Quid igitur ille qui voluntatem timentium se facit? Per noctem ei filium nondum procreatum ostēdit, puerique vultum, nomenque indicat, quâ re mirificè recreata mater, vix adhuc natum Deo, vt promiserat, obtulit.

Gregorius Presbyter Graecè scripsit. Surius 9. Maij.

§. 9. *De S. Euphrosyna.*

IN ciuitate Alexandrina vir erat, non virtute minùs, quàm diuitijs locuples, Paphnutius nomine, iuuenis adhuc, cum coniuge, sed sterilis vterque diu. Implorant ergo diuinam opem, probrum vt auertere velit, socias religiosorum preces adiungunt: & cum audissent in monasterio quodam esse senem, cui magna vitę puritas conciliabat apud Deum fiduciam; eius genibus aduoluti, preces efflagitant: spondet ille cum Deo se precibus acturum: & (tantum valet oratio iusti assidua) Paphnutio nascitur filiola, quam Euphrosynem, id est, lętitiam nominauit, quòd parentum tristem animum exhilarasset.

Sur. 1. Ianuarij ex Metaph.

§. 10. *De S. Nicolao Tolentinate.*

IN castro S. Angeli, territorij Firmanæ ciuitatis, quæ est in Marchia Anconitana, honesta quędā matrona, Amata nomine, multo tempore sterilitatis opprobrio obnoxią cum marito suo vixerat, nullis interim non precibus ac lacrymis à Domino postulans, vt prolem largiri dignaretur, quam perpetuo ipsius obsequio consecrare posset. hæc illâ assiduò precante, nocte quadam Angelus Domini vtrique parenti adstitisse dicitur, eisque mādasse, vt ad sanctum Nicolaum Barrensem properarent, cognituri illic quis ex ijs propediem nasciturus esset: eâ visione mirificè exhilarati, nihil

Sur. 10. Sept.

de Angelica promissione hæsitantes, sanctum arripiunt iter, ac peregrinorum instar, ad B. Nicolai Barrensem perueniunt ecclesiam. vbi cùm ante altare preces, ac munera obtulissent, ex longo fessi itinere, dulci sopore corripiuntur. Et ecce mox in habitu Pontificis visus adesse Nicolaus, cuius precibus meritisque innixi in spem concipiendæ prolis veniebant. Is verò diuturnum mœrorē eorum consolans, nasciturì pueri prædicit sanctitatem: hortaturque, vt disciplinis & exemplis pia eius studia promoueant.

§. 11. *De S. Liberto Martyre.*

Molanus 14. Iunij.

S. Libertus precibus S. Rumoldi, ex parētibus Adone Comite & Eliza, qui iam consenuerant, natus est Mechliniæ.

§. 12. *De S. Stephano Iuniore.*

Surius 28. Nou.

ANna Stephani nostri mater, post diuturnas preces ante D. Virginis imaginem fusas, cùm se, si voti compos fieret, ipsius filio, quem peperisset, consecraturam esse recepisset, sub orationis finem somno correpta, feminam incredibili quadam formâ præditam cernit, quæ & ipsius pedem vellicans; Abi, inquit, in pace, muliercula, habes enim in vtero filium vt postulasti: quâ quidem visione abeunte, summâ voluptate est perfusa.

§. 13. *De S. Ludouico Rege Galliæ.*

Ex Alano Rupensi libro quem fecit de Rosario, Seraphinus Razius in hortulo exemplorum titul. de B. Virg. exēplo 26.

CVm concionaretur Patriarcha D. Dominicus, cum magno feruore, in regno Franciæ, Christianissima Regina nomine Blanca rogauit ipsum, vt vellet sibi orationibus à Deo impetrare filiolum: S. verò Dominicus respondit; Regina, te exhortor, vt recites *Rosarium* B. V. MARIÆ, & compares tibi multa *Rosaria*, desque eis, qui volent legere; promittens ipsi his verbis: Regina, spera in Deo, quod si hoc feceris, & fueris deuota B. Virgini, Deus per ipsius preces, & aliorum, qui legent hoc *Rosarium*, dabit tibi filium sibi charum,

tum, virumque sanctum. Hoc facto, deuota Regina tempore statuto peperit filium, qui fuit Christianissimus Rex Ludouicus, inter sanctos relatus, ob suam virtutem, opera, & miracula.

§. 14. *De S. Remigio.*

ERat venerabilis quidam, ac professione sua non minùs quàm nomine dignus, Montanus Monachus, qui in vita solitaria à prophanorum hominum congressu, ac familiaritate, penitus seclusus cælestibus sæpe & Angelicis fruebatur alloquijs; is cùm nocte quadam in oratione peruigil anxie pro pace Sanctę Ecclesiæ, quæ multis, ac diuersis apud Galliarum & Belgicarum prouincias calamitatibus affligebatur, laboraret, & indefessis precibus Omnipotentis Dei clementiam exoraret, tandem leui præ nimia lassitudine oppressus sopore, subitò Angelorum choris, & beatissimarum animarum visus est sibi interesse cœtibus; qui humanæ salutis auidi, de Gallicanæ Ecclesiæ deiectione queritabantur: cumque varia inter se crebro sermone conferrent, subitò vox à superioribus adytis intonans, gratulabunda huiusmodi suauissime promulgabat sententiam: *Dominus prospexit de excelso sancto suo*, &c. *In conueniendo populos in vnum, & Reges, vt seruiant ei.* Porrò Cilinia, cum marito suo Æmilio, ambo genere nobiles, sed effœto corpore steriles, & ab omni concipiendę spe prolis prorsus exclusi, audito venerabilis viri Montani oraculo, hæsere animis, ægreque nimis dictis eius fidem commodare potuerunt. Tum verò Montanus, qui vtroque lumine orbatus erat, vt (inquit ad Ciliniam) vera me nunciare scias, tu ablactato infante oculos meos tuo lacte perunges, & ego eiusdem infantis meritis pristinam videndi facultatem recipiam. quæ omnia contigerunt.

Hincmarus in eius vita. Petr. de Natal. l. 9. c. 9.

Psal. 101.

§. 15. *De S. Zenone.*

Baron. to. 6. an 476. CVm magni Danielis sanctitatẽ didicisset mulier nomine Rais, fide quidem feruentissima, & maximè pia, gloriâ autem valde insignis, prompto & alacri animo ad eum accurrens, & similiter atque illa meretrix, illius pedes rigans lacrymis precibus ab eo contendit, vt sibi nasceretur filius. Cùm autem humi deiecta vidisset eius pedis soleã exercitatione à tendine discissam, stupens tolerãtiam, & emittens voces Chananææ similes, dans ei funiculum, rogat, vt eum circa eius pedem inuolueret, & ei rursum reddat: Hæc est, inquiens, summa meę petitionis. Ille verò primùm quidem non sustinebat: deinde motus illius lacrymis, & præterea Episcopi & ceterorum verbis flexus, non solùm illum cùm funem circumuoluisset, ei reddidit; sed etiam significauit, fore, vt ipsa pareret filium, & prędixit nomen filij, Zenonem, dicens, ô mulier, vocabis filium.

Ita puer alius per Zonam S. Theodori Siccotę est conceptus. Baron. to. 8. pag. 14.

§. 16. *De S. Georgio Episcopo.*

Ex Menæis 21. Februarij. HIc parentibus pijs Theodoro, & Megethone patriam Cromnam incolẽtibus, natus, qui vitam sine prole acerbam ducentes, oratione, & ieiunio à Deo prolem sibi dari postulabant: quod accidit: Nam cùm profundam senectutem attigissent, Diuina voce futurę prolis conceptionem, appellationem, & sacerdotij dignitatem acceperunt.

§. 17. *De S. Ioanne.*

Ribad. 2. Iunij. S. Ioannes Vrticensis à Deo impetratus est post 20. annos infœcunditatis parentum.

§. 18. *De S. Godefrido Episc. Ambianensi.*

Nicolaus Monachus Suessionensis aquaticus. Sur. 8. Nouemb. ANtistes S. Quintini Godefridus perhumaniter exceptus hospitio à Frodone, B. Godefridi nostri patre, & Elizabetha matre, post multos de rebus diuinis habitos sermones, quibus amantissimos coniuges vir Deo plenus incendebat, quęsiuit, aliquamne ex suis prolibus Deo consecrassent?

sent? Respondet Frodo, non sine magno animi sui dolore, quod non; duos se omnino genuisse filios, Fulconem, & Odonem, ac vtrumque militaribus iam studijs adstrictum, nec iam effœtis spem prolis vltrà alterius generandæ relictam, nihil alioquin accidere sibi posse iucundius. Hic animæquiores esse iubet Antistes, votis id à Deo postulandum, etsi Elizabetha à decem iam annis parere cessârit, Deo tamen haud esse difficile votis annuere, quod toties alijs victis concessit, ac imprimis Præcursoris matri, cuius nomen gereret. His animati promissis vota concipiunt, preces in animo destinant, & abiturienti Abbati vineas duas in Eleemosynam attribuunt, remque religiosorum omnium precibus commendant; & haud diu post voti compotes fiunt.

§. 19. *De S. Stanislao.*

S. Stanislaus Polonus apud Cracouiã nobili genere natus, & pijs parentibus, qui antea per annos 30. steriles, illum à Deo precibus impetrârũt. *Petrus Ribad. in eius vita.*

§. 20. *De S. Alberto Carmelita.*

S. Alberti parentes 26. annis sine prole vixerant coniuncti matrimonio. *Surius 7. Aug.*

§. 21. *De S. Veneranda.*

VEneranda Virgo apud Galliam passa est sub Asclepio Præside, fuitque filia Agathonis & Politæ Christianorum, qui 35. annis in coniugio sine prole manserunt, sed oratione tandem ad Deum fusa filiam obtinent, quam pater Venerandam vocauit. *Petrus lib. 10. c. 63.*

§. 22. *De B. F. Bartholo à S. Geminiano.*

HVius mater cum esset S. Petrum Apostolorũ principem impensius venerata, solita post viginti annos sterilitatis, quos totos mœsta transegerat in coniugio, tandem ille secundum quietem, & eam bene sperare iubet concepturam filium, *Ex Chron. S. Franc. l. 6. c. 24.*

lium, qui virtutum laude, ad gloriam nitatur sempiternam: nec fefellit euentus.

§. 23. *De S. Modesto.*

Ex Menæis Radermin Viridario Sanct. SAnctus Modestus Patriarcha Hierosolym. precibus sterilium parentum impetratus est, post quadraginta infœcunditatis annos in matrimonio transactos.


§. 24. *De alijs pluribus.*

Varij. ALij occurrunt item non pauci, qui ab infœcundis parentibus precibus à Deo impetrati fuerunt: Tales sunt Daniel, & Simeon Stylitæ, Ildephonsus, Gregorius Nazianzenus, Suibertus, Alexis, Odo Cluniacensis, Iulianus Archiepiscopus, Andreas Fesulanus, Ludouicus Rex, *&c.* & Ioannes Hayus in historia Indica de Omurano Coll. vnum refert; Bencius alterū in historia Varaliensis Missionis prouinc. Austriæ.



CAPVT 3.

PORTENTA DE NASCITVRIS VISA, AVDITAQVE.



SCIO equidem nonnullos è Romanis nimio plus portentis captandis deditos, etiam in medio germanoque naturæ cursu portenta inuenisse, vt quod vel ipsi in mentem cogitabundi admitterent, aut sponte sese inijceret somniantibus, pro rato habendum putarent: nec me latet, ficta sæpe portenta, auguria, omina ab Ethnicis fuisse

fuisse captata; si quis tamē ijs vti volet ad eorum, quæ à nobis dicenda sunt, eleuandum fidē, næ ille mihi dignus videatur qui in tenebris infidelitatis quoq; cęcutiat, qui lucem à caligine densa clarissima non discernat. Stant à nobis tot testes integerrimi, quot hîc censa nomina: nec ambigēdi relinquitur locus, vbi toties res ipsa, quid eius signum voluerit portendere, loquitur.

§. 1. *De S. Dominico.*

CVm mater eius sancto fœtu grauida esset, videre sibi visa est catulum vtero gestare, ardentem ore faculam ferentem, & ex vtero egressum, totum mundum flammis ab eius ore prorūpentibus illuminantem. *F. Theodoricus de Apoldia Dominicanus apud Sur. 4. Aug.*

§. 2. *De S. Andrea Fesulano.*

VOto nuncupato Nicolaus & Peregrina coniuges optimi, promiserunt, si filium haberent, eum religioni B. Mariæ consecraturos. Nec vanæ fuere preces, nam paucis pòst diebus concepit Peregrina; verùm instante partu, in somnis lupum visa est sibi peperisse pro homine, qui cum templum intrasset, paulatim in agnum fit conuersus. Excusso somno, quamuis exterrita, visum marito celat. Nascitur infans ipso S. Andreæ festo, educatur, instruitur, verùm (vt prçuiderat mater) feros didicit mores, & quasi lupinos, quibus tandem depositis in mitissimum agnum est conuersus. *Sur. 6 Ian.*

§. 3. De S. *Praiecto.*

S. Prçiectus Aruernorum Episcopus, & Martyr, cùm adhuc vtero gestaretur, visa est sibi mater videre infantem per ipsius latus egredi, vndę instar sanguinis rubentis baptismate ablutum. Quod cùm viro sancto cuidam aperuisset, id retulit responsi, puerum ex ipsa nasciturum, magnum quandoque futurum, & cum palma Martyrij ex hac vita decessurum. *Surius 25. Ianuarij.*

§. 4. *De S. Hugone.*

Sur. 1. Apr. HVgonem Episcopum Gratianopolitanum cùm suis clauderet mater visceribus, visa est sibi elegantem peperisse puerum, quem Dei conspectibus sistendum Sancti, & imprimis B. Petrus, deferebant in cęlum.

§. 5. *De S. Vincentio.*

Sur. 5. Apr. PAtri dormienti visum est per noctem, quod cùm in templo Fratrum Prædicatorum esset, quendam in ipsorum Fratrum habitu, virum pulcherrimum ac venerabilem concionantem audire: cumque eius dicta exciperet auidis auribus, hęc ei verba ab illo dici videbantur; Congratulor tibi, ô charissime fili, post paullulum vxor tua pariet tibi filium, cuius tanta erit vitę integritas, tanta doctrinę vtilitas, tanta famę, ac mirabilium operum claritas, vt omnes Galliarum, Hispaniarumque populi eum tanquam Apostolum veneraturi sint: eritque Frater ordinis cuius me vides. Post quæ dicta, multitudo quę ibi adesse videbatur, magnis vocibus Deo gratias referebat: Itaq; dum & ipse suas gratiarum actiones adiungere conaretur, somno solutus est, conatuque vocis vxorem excitat, eique visa narrat. verùm etsi eiusmodi somnijs non facilè credendum didicissent, fidem tamen adstruebant, quę adiecit vxor, tum quod Vincentio grauida, nihil molestiarum quas aliàs cùm vterum ferret, experta sit; immo potius agilitatem magnam, & corporis robur senserit: tum quod ex vtero velut latrantis canis vocem sæpe audierit, qui quidem latratus eum concionatorem eximium fore, satis videtur adumbrasse, vt viri graues super hac re consulti, sunt interpretati.

§. 6. *De S. Guthlaco.*

Surius 11. April. Ex M S. codice. NAsciturо Guthlaco manus quasi hominis, rubri nitoris, cęlitus missa, & ad ostium domus paternæ extensa, ineffabili fulgore visa est coru-

scare:

scare: quę signaculo crucis ostium muniens, fœlici prę figurauit auspicio, oriturum esse breui, qui constanti perseuerantia Christi crucem in suo corpore circumferret.

§. 7. *De S. Alberto Carmelitano.*

BEnedictus, pater eius, nocte quadam secūdum quietem, vidit è suæ coniugis vtero prodeuntem cereum mirificè radiantem. quæ visio sanctissimos illos coniuges, qui 26. annos sine spe prolis fuerant, mirificè refecit, & in spem magnam adduxit, fore, vt infans eximia vitæ sanctitate aliquando fulgeret. *Ex Ioanne Maria Politiano. Sur. 7. Aug.*

§. 8. *De S. Dunstano.*

DVnstanus ex nobilissima gentis Anglorum prosapia originem ducens, eò nobiliùs in huius mundi lucem prodijt, quò sub materni sinus ipso adhuc angustiâ clauso, diuino miraculo designatum est, præclarum mundo per eum lumen oriturum. Cùm enim mater eius spe prolis propediem nasciturę lętaretur dies, Purificationis B. *MARIÆ* Matris Dei festiuus illuxit. Multitudo ergo hominum ingens vndique confluxit in ecclesiam, quæ antiquitus Glasconiæ de lignis miro opere ędificata in honorem erat eiusdē Dei Genitricis consecrata: & eam, inter alios, adit pater S. Dunstani, Herstanus nomine, cum Chinedrita vxore sua. Iam Missæ officium celebrari cœptum erat, & immensâ accensorum cereorum claritate, pro ritu eius festi, locus refulgebat, cùm repentè sereno cœlo, omnino luminaria extincta sunt; respiciūt inuicem singuli, & pro insueti prodigij nouitate, metu nimio percelluntur; verùm dum starent perculsi; flammam ignis cęlitus labi, & cereum, quem mater Dunstani tenebat, eâ accendi, magis quàm antea attoniti, conspiciūt. Accedunt itaque singuli ad lumen cœlo demissum, & inde recipiunt lumen amissum. *Surius 19. Maij.*

§. 9. *De*

§. 9. *De S. Alipio Cionita.*

Ex Metap. Surius 26. Nouemb. HVnc cum mater adhuc gestaret in vtero, noctu visa est videre formosum Agnum, in cuius cornibus duo pulchri accensi cerei complebant domum lumine, nec priùs reuersus est ad locum suum, quàm in lucem prodierit natus infans, matre à partus doloribus liberatâ. Non multò verò post quam eum esset enixa, somno sopita, rursus videt è sua ciuitate populū in hymnis, & cāticis, & supplicationibus, venientem ad infantem suum, eumque tanquam sacrosanctum, & diuinum aliquem adorātem: quæ res tanta piæ matris animum affecit religione, vt marito paullo post defuncto, solius Dei obsequijs sese statuerit mancipare.

§. 10. *De S. Eligio Noniomensi Episcopo.*

S. Eudoënus apud Surium 1. Decemb. HVnc cùm adhuc corporis sui clausum ergastulo teneret mater, vidit aquilam supra stratum suum volitantem, cumque reciproca voce euigilasset, perterrita cœpit mirari quid istud portenderet. Interim adest partus hora, de vita non leuiter periclitatur, vocatur Sacerdos, qui animæquiorem esse iubet vates: erit enim, inquit, quem parturis, vir sanctus, & in Ecclesia Dei celebris.

§. 11. *De S. Roberto.*

Surius 29. Apr. GRauidæ Roberti matri gloriosa Dei Mater, in somno apparuit, aureum induta annulum, quem his est verbis affata: Volo eum, quem gestas in vtero, filium, hoc mihi annulo desponderi: hisq; dictis abscessit, visionē iussionēque præclaram euigilans matrona retractabat, & qualis prænuncius ille esset, secum tacita cum gaudio cogitabat: ostensionem Dei Mater iterauit, & eadem prorsus verba repetiuit, vt, quod de Samuele in Scriptura legimus, tantæ rei veritas clariùs appareret. Robertus vbi natus, altusque est, eam vitam egit, quæ Sanctiss. Virginis sponsum deceret, in cuius honorem Monasterium Molismense constituit, &

ipse

ipse Abbas gubernauit.

§. 12. *De S. Hugone Abbate.*

CVm adhuc esset in vtero matris Hugo, Abbas Cluniacensis, & Presbyter quidam missam, tam pro illa, quàm pro fœtu celebraret, vidit in calice imaginem pueri resplendentis, Hugonis videlicet, nondum nati. *Petrus de Natal. l. 6. c. 58.*

§. 13. *De S. Asella.*

SAncta Asella Virgo in phiala nitentis vitri, & omni speculo purioris, patri traditur per quietem. *Hieron. ad Marcel. to. 1. Epist.*

§. 14. *De S. Theodoro.*

CVm Iustiniano imperante vir quidam in equestribus certaminibus clarus, Cosmas nomine, in hospitium diuertisset, vbi puella formosissima, cui Mariæ nomen erat, quæstum faciebat, eius amore captus est, cumque ex eo ipsa concepisset, in quiete, stellam vidit ingentem, & claram, e cœlo in vterum suum descendere: experrectaque ac timoris plena, ipsi Cosmæ visum narrauit, qui, Serua te, inquit, mulier, si fortè Deus aspiciat, & tibi det fructum, Episcopatus sorte dignum. Et egressus mane, lętus discessit. at mulier cùm ad Sanctum quendam, in loco sex millibus passuum distante habitantem venisset, narrauit ei somnium quod viderat: qui ait, Magnus profectò vir erit iste puer, qui ex te nascetur, & plurimùm valebit, non apud homines, sed apud Deum: Lucida enim stella regiam significat gloriam, vt indicant sapientes viri, qui somnia interpretantur: verùm hoc de te dicendum non est, sed splendida virtutum & gratiarum gloria: solet enim seruos suos antequam edantur, sanctificare. *Greg. Presbyter eius discipulus. Surius 20. Apr.*

§. 15. *De S. Geraldo.*

HIc vir illustris Lemouicensi territorio, Aureliaco pago natus est, à patre Geraldo, matre *Petrus de Natal. lib. 9. c. 65.*

Adaltrude, nobilissimis, atque ditissimis; qui dum insimul castè viuerent, nocte quadam in somnis diuinitus admonentur, vt prolem procreent, Geraldum nominent: excitatus igitur pater debitoque soluto, iterum obdormiuit, viditque ex pollice pedis eius dextri vngulam nascentem, quæ in arborem magnam succrescens, palis, & perticis protegebatur, nec tamen in pede pondus aliquod sentire videbatur.

§. 16. *De S. Daniele Stylita 2.*

Metaphr. AIt Metaphrastes matri Danielis Stylitæ secundi, gemina sydera ante eius conceptum, quæ futuram eius claritatem pollicerentur, per quietem diuinitus ostensa.

§. 17. *De S. Iuliano Episcopo.*

Ribad. 28. Ianuarii. ex aduectione sanctorũ Galliæ. HVius parentes diu absque liberis vnà vixerãt Masburgi in Hispania, cùm orationibus, sanctisque operibus solito impensius insistentes, voti damnantur. Patri secundum quietem visum est cubiculum conflagrare, illudque nigras quasdam bestias subingredi, alias circumlatrare, alias vlulatibus circundare fugacibus: catellum verò niue candidiorem exire ab vxore, oculis acrem, ore flammiuomum, qui bestias latratibus insectaretur, ac eò deinde regrederetur, vnde prodierat.

§. 18. *De S. VVolfgango.*

Surius 31. Octob. MAter sancti Wolfgangi stellam in vtero visa habere.

§. 19. *De B. Thoma Moro.*

Stapleton. de tribus Thomis. THomæ Mori mater primâ nocte à contractis nuptijs, vidit in somnis quasi in annulo suo nuptiali descriptum numerum prolium, quas habitura erat, & formas singularum, quarum vna tamen sic obscura erat, vt eam dignoscere non posset (passa est enim de vna aborsum) altera miro quodam supra cæteras splendore eluxit.

§. 20. De

§. 20. *De S. VVillibrordo.*

MAter S. Willibrordi, intempesta noctis quie- *Albinus*
te, cæleste in somnis vidit orama. Visum est *Flaccus Al*
ei quasi nouam in cælo videret lunam, crescente *cuinus,*
illa vsque dum videretur esse plena. quam diligē- *Caroli Ma*
tius intuens, repentino cursu lapsa, ruit in os eius, *gni præce-*
quâ deuoratâ, eius intima splendore perfusa sunt. *ptor apud*
Euigilans verò, timore perterrita, cuidam [illegible]gio- *Sur. 7.*
so Presbytero retulit somnium, illoque interrogā- *Nouemb.*
te, si eâ nocte, quâ ei visio facta est, suo more solito iungeretur viro, acceptaque ab ea eius responsione, ita respondit: Luna, quam ex modica vidisti in magnam creuisse, filius est, quem in ea nocte concepisti, qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, & quocunque perrexerit, comitante superni luminis splendore, plenum suę perfectionis ostendet globum, coruscanteque rumoris eius candore, & morum pulchritudine, multorum in se alliciet aspectum.

§. 21. *De S. Bernardo.*

S. Bernardi mater proles habuit omnino septē, mares sex, filiam vnam, qui omnes bonâ paren- *Gulielmus*
tum pace, religionem ingressi sunt. tertius fuit Ber- *Abbas a-*
nardus, quem cùm parturiret, vidit candidū velut *pud Sur.*
catellum se gestare, rufis in dorso respersum ma- *20. Aug.*
culis, suoque latratu multos vndique populos excitantem. Quo viso territa, virum quendam sanctitatis opinione præstantem consuluit, qui mox prophetico spiritu futuram pueri sanctitatem explicauit, monuitque vt eum Christo munus acceptabile offerret. quod etiam impensè fecit.

§. 22. *De S. Columbano.*

CVm S. Columbani genitrix aluo grauida te- *V. Beda in*
neretur, subitò per intempestam noctē sopo- *eius vita*
re depressa vidit è sinu suo rutilantem solem, & *c. 1.*
nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere. Postquam autem sopor

membra laxauit, & cæcas surgens tenebras aurora fugauit, intra semetipsam pensare cœpit, quæ viderat, & ancipiti gaudio tantę visionis vim sagaci animo trutinans, solaminis supplementum à vicinis petit, auditque se egregiæ indolis vtero concepisse virum, qui & suæ saluti vtilia,& proximorum prouideret vtilitati opportuna.

§. 23. *De B. Francisca.*

Ex officio Breuiarij Cistert. impresso anno 1501. Fr. Ioan. d'Assignies relig. Cāber. de sacris Monialib. ord. Cister.

B. Francisca virgo sanctissima, ex nobili familia Comitum de Videlta, in vrbe Placentina est inlucem edita, cuius mater non rarò sibi visa est habere catellam in vtero, quæ magnos ederet latratus. quod cum ei magnum incuteret pauorem, didicit à prudenti suo confessario parituram se fidelem prudentemque filiam lingua medica præditam,& quę latratibus suis improbos insectaretur, pios in Dei obsequio contineret. res dictis respondit.

§. 24. *De Pio II. Pontifice.*

Sabellicus l. 1. exēpl. c. 1. Auentinus in eius vita.

Adijciatur his recens exemplum. Senis Hetrusci matrona nobilis, cui Victoriæ fuit nomen, cùm proxima esset partui, in somnis sibi visa est puerum se parere, mitram capite gestantem. Fuitque id pręsagium humanæ mentis veriùs, quàm somnium. Infantem enixa est, quem Pontificem Maximum Pij II. appellatione nostra vidit ætas.

CAPVT



CAPVT 4.

MIRA DE PVERIS ADHVC VTERO MATERNO CONCLVSIS.

CERTAT natura cum gratia in vtero materno, tanquam in theatro vndique septo, ne diffugio pateat locus, vtra scilicet plus mereatur admirationis, dum pro se quæque, hęc corpori, illa animo pręcurrere tētat excolendo: & licet genere illa suo supra omnem naturę dignitatem elato pręferri se velit gratia, & verè debeat, mirum tamen quantum altera etiam mirifica sapientum iudicio videatur. Quis enim cum Propheta Iobo non miretur, secum ipse reputans conceptum hominis stupendum? quis non obstupescat ad membra tantopere dissimilia adeo artificiosè compingenda tam vilem assumi materiam? hanc materiæ portionem in os indurescere, istam in pedum plantas, aut digitorum articulos dispensari, illam in neruos lentescere! quis non miretur hominem inter cęcas tot inuolucrorum latebras in globum conuolui? alimentum ei ex tam venenato alioquin ferculo elici conuenientissimum? per vmbilicum illud accipi? in maiorem sensim molem assurgere, donec maturus, vt pomum ex arbore, ita ex vtero fœtus stato tempore decidat? Scio Philosophos

inter, & Medicinæ peritos nō leue de quibusdam esse dissidium, sed nihil ea dubitatio de re nostra tollit dignitatis: & si experientia doctis credimus, qui infantes formari cœptos cæso matris vtero scrutati sunt, hepar quidem primo aiunt, deinde cor generari, ac cerebrum, postea artus singulos neruorum compagibus, venarum commissione, ossium cōfirmatione compingi, donec in masculis die circiter quadragesimo, in feminis octogesimo, vbi fortè ad digiti magnitudinem massa peruenerit, illi animam Deus infundendo creet, & creando infundat: Sed ad ea quæ non omnibus contingunt, veniamus.

De hominis cōcept. vide Aug. in lib. 83 quæstionū. q. 56.

§. 1. De Esau, & Iacob.

Genes. 25. *Collidebantur in vtero Rebeccæ paruuli: quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? perrexitque Rebecca vt consuleret Dominum, qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori. Cùm autem tempus pariendi aduenit, qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esau. Protinus alter ingrediens plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob.*

§. 2. *De Hieremia.*

Hierem. 1. Hieremias in vtero materno sanctificatus est, vt plerique putant ex his verbis: *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* Quamuis alij ea verba intelligenda existiment de sanctificatione secundum prędestinationem, sicut Ioannis 11. vocantur filij Dei, nondum regenerati, sed secundum Dei prædestinationem adhuc regenerandi.

§. 3. *De Ioanne Baptista.*

Ioannes Baptista, antequam in lucem editus esset, sanctificatus fuit secundum Angeli vaticinium,

nium dicentis: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Item exultauit in vtero existens materno, velut gestiens fungi Præcursoris officio, & tarditatem incusans suam. Opinio D. Thomæ est, (& notat Regius in dilucidationibus) puerum ad rationis vsum accedētem, teneri se ad Deum conuertere & amare illum super omnia. Indicat ergo hoc saltu Ioannes & gaudio, se, vt vsu rationis præditum, ad adorandum Deum, illumque amandum conuertisse: est enim Physicorum sententia, infantem ita locatum esse in vtero, vt facies in dorsum matris conuersa sit: iam verò doctores non ignobiles opinantur, conuertisse Ioannem faciem ad Christum adorandum tunc, cùm in vtero saltasse dicitur, quasi illi reuerentiam exhibentem.

Luc. 1.

Infantis vtero clausi facies in dorsum matris conuersa.

§. 4. *De Christo IESV, Dei filio.*

IN vtero Virginis *Verbum caro factum est.* quod miraculorum omnium est caput, vt ait Damascenus; quæ verò ibi contigerint miracula, refert Canisius. Miraculum est ad talem, tantumque fœtum formandum, viri omnem operam excludi, & post talem legationem, Virginisque consensum, virgineum dumtaxat vterum adhiberi. Miraculum est, tantum de purissimo Virginis sanguine transferri, & coagulari, in masculumque formari, quantum ad generationem hominis sufficiebat. Miraculum est consuetum dierum numerum, qui ad formandum hominis corpus desideratur, non expectari, vt & semen ad figuram corporis aptetur, & anima in corpus ipsum postea influat; sed eodem planè momento, & sine successione temporis corpulentam substantiam à Virginis corpore diuidi, formari; simul & animari, vegetandi, sentiendi, & intelligendi vires omnes pariter adesse, & ad suas functiones in ipso corpore, rationali anima iam perfectè informato, exercendas conspirare. Miraculum est, dum anima corpori

Oratione 1. de Annunciat. Canisius, de V. Deipara l. 3. c. 22. Barradius & alij.

iungitur, eodem momento diuinitatem homini in vnam personam vniri, ac Verbum æternum se carni inseparabiliter sociare, vt idem Dei, & hominis filius, in virgineo vtero constitueretur. Miraculum est MARIÆ filium, inde ab ipso conceptu, tantâ cumulari gratiâ, vt anima eius cum Angelis, Dei essentiam clarissime intueri, ac Dei gloriâ beatissimè perfrui posset. Miraculum est, eiusdem animam ab initio vndecumque perfectã, & summis Dei donis refectam fuisse, vt non solùm omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei illic reconderentur; sed etiam vt simul atque *Verbum caro factum est*, mox plenitudo diuinitatis in homine Christo corporaliter habitaret. Omitto plura id genus miracula, quę tum in Christo, tum in Virgine tunc enituerunt, vt meritò Virginis Deiparæ vterum *miraculorum officinam* appellet Damascenus.

Damasc. orat. 1. de eius Natiu.

Tradunt rerum diuinarum consulti; Christum, simul ac in Virginis vtero cœpit homo esse, in primo illo instanti gratias summas egisse Patri pro acceptis excellẽtissimis in humanitate beneficijs, insuper votum crucis subeundæ suscepisse, Deumque Patrem gratissimum hoc habuisse, pręcepisseque, vt solueret. audi Soaresium nostrum. *Ex quo probabiliter aliqui opinantur: sicut Christus habuit præceptum moriendi pro hominibus, ita etiam de eadem re votum emisisse, atque ad hoc accommodant illud Psalmistæ,* Vota mea reddam: *Nam psalmum illum de Christo omnes interpretantur, in eo enim habentur verba illa, quibus* Christus *in cruce vsus est;* Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? *& ita Glossa ibi verba illa de Christo interpretatur. Et quamuis Diu. Thomas probabiliter dicat, Christum ibi esse locutum in persona suorum membrorum, si tamen propriè & sine incommodo potest de Christo intelligi, cur non ita interpretabimur? Nam & Hieronymus ibi inter alia inquit; Vota*

Barradius lib. 7. c. 9. Soarez & alij.

Soarez to. 2. q. 28. sec. 1.

Psal. 21.

Christi; sunt Natiuitas, vel passio, vel mysterium corporis, ac sanguinis eius, quæ non possunt vota dici, nisiquatenus voto oblata sunt. eodem ferè modo exponit August. ibi. Basilius vero & Theodo. addunt votum ibi significare propriè promissionem. Est ergo probabile Christum in primo instanti conceptionis suæ, se voto consecrasse Deo, ad redimendos homines, & in hunc finem, omnes actiones, ac passiones vitæ suæ, voto obtulisse.

§. 5. *De MARIA Virgine.*

VIrginem MARIAM in vtero sanctificatam, antequam natam, admittunt etiam qui putârãt eam in peccato originis conceptam. quomodo verò etiam eius conceptio fuerit illibata, diximus suprà.

§. 6. De S. *Asella.*

HVc pertinet quod legimus de sancta Asella apud Hieronymum. *Prætermitto*, inquit, *quod in matris vtero benedicitur et, antequam nascatur: sit gratia, omne quod ante laborem fuit, licet Deus præscius futurorum & Hieremiam sanctificet in vtero, & Ioannem in aluo matris faciat exultare, & Paulum ante constitutionem mundi separet in Euangelium Filij sui.* *Epist. 15. ad Marcellam.*

§. 7. *De S. Gerardo.*

ALij infantes licet non legantur in vtero sanctificati, tamen miræ sanctitatis signa iam tum edidere, vt fecit sanctus Geraldus, quem cùm gestaret mater, die antequam nasceretur, contigit vt cum suo viro vigilanti, vigilans ipsa iaceret, cùm infans emisit vocem, quam omnes audierunt; cumque attoniti, quidnam esset, obstupescerent, neque ignorare poterant, quod illa vox in aluo matris sonuerit, vocat pater cubiculariam, & quonam ille vagitus increpuerit, adhibito lumine iubet disquiri: cùm illa nullum omnino *Ex Bibliotheca Cluniacensi in eius vita.*

omnino infãtem adesse, qui vocem illam ediderit, similiter attonita protestaretur, infans iterum secũdò sonuit, & post modicum interuallum sonuit & tertiò, sicut recèns natus vagire solet, quæ trina vox fortè prẹsagiebat, quod in huius mortalitatis clausura vitales actus erat habiturus, *&c.*

§. 8. *De S. Vincentio.*

Sur. 5. Apr. CVm gestaretur materno vtero Vincentius, velut latrantis canis vox audiebatur, quod magnum concionatorem quandoque futurum indicabat.

§. 9. *De S. Pontio.*

Surius 14 Maij to. 7. S. Pontius Dęmonolatras, & sacrificulos egit velut in rabiem: quâ de causa ventrem saxo tundebat mater ethnica, vt vel tanto suo malo deorum hostem extingueret.

§. 10. *De S. Victore Confessore.*

S. Bern. ser. de eius vita apud Sur. 26. Feb. S. Victor hoc nomen obtinuit, quod adhuc in vtero matris existens, dæmonibus terrori fuerit, & denique victoriam reportarit. *Miror & stupeo* (inquit D. Bern.) *infantem adhuc in vtero pauori fuisse pauendis dæmonijs; quippe ab ipsis præcognitum, & iam tunc ex nomine designatum. Nec vacuum nomen, vbi hostium fuga, & extorta confessio, victoriam concessit infantulo.*

§. 11. *De B. Iacobo.*

Ex Chron. S Fran. to. 3 l. 6 c. 1. B. Iacobus à Marchia Anconia, matrem prædones timentem, eiusmodi verbis solatus est: Ne time, mea mater, lento viam insiste pede, inoffensa domum peruenies.

Quod aliquando infantes adhuc in vtero, verba quædam clamasse dicantur, non id climati, sed prodigio adscribendum, secundum Aug. de Ciuit. Dei l. 3. c. 31.

§. 12. *De S. Stephano Presbytero.*

Petrus de Natal. lib. 10. c. 86. S. Stephanum Presbyterum mater quo tempore toto gestauit in vtero, nullâ ratione carnes, oua, vel lacticinia, vinum aut oleum gustare potuit, sed panem solum, & aquam, cum folijs, & sale.

§. 13. *De S. Germano.*

S. Germanum mater (quòd tam citò iterum concepisset) sumpto veneno extinguere conabatur, sed cùm nil effecisset, in ventrem incubat, vt vel sic eum suffocaret. *Fortunat. Pictauorũ Episc. apud Sur. Maij* 28.

§. 14. *De Gonsaluo Sylueria.*

P. Gonsaluus Sylueria, vt olim Beniaminus ille Racheli, ita ortu suo matri interitum attulit, quasi quæ talem ediderat fœtũ, nihil haberet amplius, quod posset pro dignitate edere, ideoque excederet è viuis. Illud de Gonsaluo proditur memorabile, quod tertio ante ortum die vtero adhuc inclusus matris, viscera vagitibus implerit, communem præoccupans hominum conditionem, quos in ipso statim vestibulo vitæ natura abijcit ad lacrymas. Enimuero præcox ille infantis ploratus id videtur significasse, quod postea in eo adulto est obseruatum: eam quippe tenuit viuendi rationem, vt non modò ex humanis rebus, quas altâ quadam animi celsitudine, & constantiâ, semper despexit, nullam perciperet oblectationem; sed etiam ad deplorandas huius vitę miserias, & mortalium scelera assiduo fletu prosequenda, natus esse videretur. *Nicolaus Godignus in eius vita c. 1.*

§. 15. *De S. Elzeario.*


S. Elzearium mater postquam concepisset, magnam præter morem sensit animi mutationẽ, ita vt sanctis arderet desiderijs, & ad pietatis opera inflammaretur: Dixit quoque crebro Garsendæ, celebri diuinis reuelationibus Dominę, mundum & mundana sibi adeo insipida esse, vt si viri lege soluta esset, diuino se seruitio mancipare statueret. hanc mutationem etiam notauit eius cõfessarius, qui & dixit prophetica voce: Si vixerit diu hæc fœmina magna per eam efficiet altissimus, aut certè insignis erit proles. *Surius 27. Sept.*

§. 16. De

§. 16. *De quodam infante.*

Hutterus in hist. Au striaca l. 3. INnitio anni 1506. in Hollandia, pago haud procul oppido Beuerwico, mulieris vterum gerentis fœtus, quatuordecim diebus antequam in lucem ederetur, à non paucis viris, ac feminis, in materno vtero flere vagireque est auditus.

Vide quædam c. præcedenti.



CAPVT 5.

DE IPSA NATIVITATE, ET PRODIGIJS *quæ in ea acciderunt.*

§. 1. Nascuntur Gemini, Esau & Iacob.

Genes. 25. C*Vm tempus pariendi Rebeccæ aduenit, qui primus egressus est rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatumque est nomen eius Esau: protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob.*

§. 2. Alij item gemini.

Genes. 28. T*Hamar ex Iuda socero, habitu meretricio occultata concepit, quoniam liberos omnino habere cupiebat. exactis ad pariendum temporibus, geminos in vtero ferebat: atque in ipso partu alter manum protulit, quam prehensam cocco alligauit, dicens priorem exiturum, sed cùm is manum reduxisset, & eius frater emergeret, obstetrix dixit: Quare obiectum tibi interstitium interrupisti? eoq; Phares, id est, diuisio, appellatus est. Deinde exijt alter, is qui coccum in manu habebat, qui Zara, id est, oriens nominatus est.*

§. 3. *Moyses sine difficultate editus est.*

Iosephus l. 2. antiq. c. 5. IOchabel Moysis mater, fœtum suum diuino oraculo munitum, ita facilè enixa est, vt obseruatores

tores (qui eum ad necem quærebant) fefellerit, nihil sentientes eorum, quę in vulgaribus puerperis sentiri solent.

§. 4. *Prodigium Elizeo nato.*

QVo die Elizeus in Galgalis natus est, bos aurea in Selom clamore horrendo vociferata est, destructionem sui preuidens. *Epipha. in vita Prophetarum.*

§. 5. *Iucundus Ioannis Bapt. ortus.*

NAtiuitas S. Ioannis Bapt. fuit iucundissima. Ita enim fuerat prædictum, *Multi in Natiuitate eius gaudebunt*, & in primis pater eius Zacharias vocem recuperauit nato Ioanne, qui vox erat: repletusque est Spiritu sancto, & prophetauit. Christi & Ioannis cōceptio natiuitasque, pulchram habent collusionem. quatuor erant menses apud Iudæos (vt habet Chrysost.) in quibus gaudia & celebritates magnæ celebrabātur, Martius, Iunius, September, December; in quibus quoque æquinoctia duo contingunt, & duo solstitia: capitales item illæ mutationes ijsdem contigerunt, cùm in æquinoctio autumnali conceptus sit Ioannes, 25. Septembris, in solstitio ęstiuali natus, 24. Iunij: Christus æquinoctio verno conceptus 25. Martij, natus in solstitio hyberno, 25. Decembris. Atque hæc omnia non carent mysterio: quod enim Ioannes ex vetula, & sterili natus est, ad Synagogam pertinet, cui suus imminebat terminus, dicente Christo: *Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem*. Ideo & pater eius veteris legis Sacerdos, in annunciatione eius mutus factus est. Incipiebat item tunc, tempore conceptionis eius, dies breuior fieri, nox augeri cœperat, natusque est longissima die incrementum declinante: vnde dixit Discipulis: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Christus autem concipitur cùm augentur dies; nascitur cùm augeri incipiunt. Vnde Ambrosius: *Quod quidem*, inquit, *factum,*

Luc. 1. *Chrysost. hom. de S. Ioanne.* *Matth. 11.* *Vide Aug. de Trinit. l. 4. c. 4.* *Ioan. 3.* *Ambr. ser. 4.*

factum, mysterium continere aliquod arbitrabor, vt Ioannes, qui veteris testamenti figuram gerebat, frigido sanguine nasceretur; Dominus autem, qui cælestis regni Euangelium prædicaret, feruentis iuuenculæ flore digrederetur.

§. 6. *Oritur ante Solem aurora, ante Christum Maria.*

ANno ante Verbum incarnatum 14. MARIA Augusta, Virgo Deipara, parentibus Ioachimo, & Anna est nata die 8. Septembris, quo mense secundum Iudęos Eua est à Deo in paradiso terrestri creata: & ita non sine mysterio hic idem mēsis nobis Euam, matrem viuentium, inter mulieres benedictam mirabili Dei opificio conditam manifestauit.

§. 7. *Christi IESU natiuitas toti orbi salutaris.*

Martyrol. Rom. 25. Dec.

ANno à creatione mundi, quando in principio Deus creauit cęlum, & terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: à diluuio verò, anno bis millesimo nongētesimo quinquagesimo septimo: à natiuitate Abrahę, anno bis millesimo quinto decimo: à Moyse, & egressu populi Israël de Ægypto, anno millesimo quingentesimo decimo: ab vnctione Dauid in Regem, anno millesimo trigesimo secundo, hebdomadâ sexagesimâ quintâ, iuxta Danielis prophetiam: Olympiade centesimâ nonagesimâ quartâ: ab vrbe Româ conditâ, anno septingentesimo quinquagesimo secundo: anno Imperij Octauiani Augusti quadragesimo secundo; toto orbe in pace composito, sextâ mundi ætate, IESVS CHRISTVS *æternus Deus, æternique Patris filius, mundum volens aduentu suo pijssimo consecrare, de Spiritu sancto conceptus, nouemque post conceptionem decursis mensibus in Bethleem Iudæ nascitur ex* MARIA VIRGINE, *factus homo.*

Ita antiq. tabulæ ecclesiarū secundū supputationē 72. Interpretum ex Eusebij Chronico.

Puerulo

Puerulo IESV recens nato, ita accinit D. Bonau. *Regnat in cœlo qui iacet in fœno, qui fecit omnia, locum habere non potest in diuersorio, sed locatus est in præsepio. qui continet omnia, breui inuoluitur panno, qui pascit volatilia, lacte pascitur modico: Quis ista tam mira non stupeat, cùm videat quod manibus femineis portetur portitor orbis?* D. August. Christi infantis occasione, in laudem infantiæ prorumpit. *B. Bonau. ser. de Nat.* *Serm. 9. de temp.*

Ecce tanquam sponsus de thalamo, MARIÆ *procedit ex vtero. occultatur in membris infantis potentia maiestatis; Deus pendet ad vbera genitricis, pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepij angustias, & totum misericors humiliter patitur, dummodo mundus, qui perierat, liberaretur. O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata! O gratissimi, delectabilesq; vagitus, per quos stridores dentium, æternosque ploratus euasimus! ô felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! ô præsepe splendidum, in quo non solùm iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum!* hactenus Aug.

§. 8. *Quæ tempore Natiuitatis Christi mira acciderunt.*

DEum nasci, & de Virgine, adeo mirum est, vt post illud nihil sit mirũ: Multa tamen narrari solẽt, quæ mirantur homines, & Christi natiuitatẽ sunt secuta, quorum quædam testimonijs fide dignis commendantur. Tradit Eusebius Cęsariensis Romę è taberna meritoria, in Transtyberina regione, ex terra oleum erupisse, fluxisseque toto illo die sine intermissione. Quo signo, inquit Orosius, quid euidentiùs, quàm in diebus Cæsaris toto orbe regnantis futura Christi natiuitas declarata est? Christus enim vnctus interpretatur. Itaque cùm eo tempore, quo Cęsari perpetua Tribunicia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum d. fluxit: sub principatu Cæsaris, Romanoque imperio per totum diem, hoc est per omne Romani tẽpus *Eusebius in Chronico.* *Baron. to. 1 in appar. n. 28.* *Orosius li. 6. c. 20.*

imperij,

imperij, Christum, & ex eo Christianos, id est, vnctum, & ex eo vnctos, de meritoria taberna, hoc est, de hospitali largaque Ecclesia affluenter atque incessabiliter processuros, *&c.*

Suidas in verbo Augustus Cæsar. Nicephorus l. 1. c. 17.

Suidas & Nicephorus scribunt Augustum Cæsarem facto sacrificio *Hecatombæ*, interrogasse Pythium Apollinem, quis post se administraturus esset Imperium: & cùm nullum daretur responsum, rursus altero sacrificio illum vrgebat vt responderet: quid esset in causa, & qui aliàs multis verbis vti soleret, nunc obticuisset. tunc in hunc modum respondit:

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemq; redire sub Orcum,
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Tunc tali responso accepto Cęsar Romam est reuersus, atque ibi in Capitolio aram Maximam extruxit cum huiusmodi inscriptione: *Ara primogeniti Dei.*

Innoc. ser. 2 de Nat. Anthon. 1. p hist. tit. 4. c. 6.

Alij verò scriptores, vt Innocentius III. & Antoninus, tradunt Augustum Sibyllam consuluisse, num in mundo quis eo maior futurus esset; eo autem die, quo Christus in Iudæa natus est, Sibylla circulum aureum Romæ, iuxta solem, vidit, in quo virgo pulchra residebat, quæ speciosum infãtem in gremio gestabat; quod illa Cęsari Augusto indicauit, & Regem ipso potentiorem natum esse aperuit, auditaque est vox dicens: *Hæc est ara cæli*, quo nomine illa ecclesia est insignita, cùm priùs esset Palatium Octauiani, quod erat in Capitolio.

De templo pacis Aloys. Lipom. to. 8. Sur. to. 6

Templum pacis quoque funditus corruit, siquidem Romani pro pace perfecta, quæ toti orbi sub Augusto imminebat, templum Pacis ingentis molis, & fortissimum construxerant, de quo consulentibus Apollinem, quamdiu esset duraturum, responsum fuit, *Quousque Virgo pariet.* Quo audito lętati sunt, arbitrantes illud impossibile esse, ac

per

per hoc æternum futurum credentes, quia nunquam virgo esset paritura, propterea ianuis eius insculpi iusserunt: *Templum pacis æternum.* Ipsâ tamen nocte, quâ Virgo peperit Saluatorem, funditus corruisse fertur, & in Ægypto, in templo Isidis, aram dicatam cum inscriptione, *Virgini pariture*; alteram similem aram in Gallia Carnuti tempore Druydarum fuisse quidam scribunt; sed si veritatem amamus, cùm templũ pacis opus fuerit Imper. Vespasiani, vt testes sunt Suetonius, & Plinius, minimè tempore Christi corruisse potuit. Plerique verò horâ illâ natiuitatis, tradunt ex B. Hieronymo, omnes infames infando Sodomię vitio obnoxios, fuisse interfectos, quemadmodũ eâdem etiam horâ omnes primogeniti Ægypti ab Angelo percussi sunt: & quamuis talis locus in Hieronymo non inueniatur, tamen id à ratione minimè est alienum, eos malè perijsse, qui naturã, quam Christus cohonestare & illustrare venerat, tantopere dedecorabant.

Suetonius in Vespasiano c. 9. *Plinius li. 36. c. 15.*

Sunt etiam qui scribũt vineas Eugaddi illâ nocte floruisse, Christumque veram vitem venisse testatas fuisse. Siue autem hæc vera sunt (vt probabile est esse) siue falsa, hoc indubitatum debet esse, maxima & admiranda signa atque prodigia *Christi* ortum & præcessisse pariter & consecuta fuisse, maiora etiam quàm fuerint illa, quæ in natiuitate Pręcursoris, & in ortu *B. Virginis* contigerunt; quâ ratione maior splẽdor est orientis solis, quàm vel aurorę præcedentis, vel Luciferi; Ioannes autẽ fuit Lucifer, *Maria* aurora, sol Christus.

Qui Palęstinam accuratissimè lustrauit, & magnâ fide posteris, quasi in tabula artificiosè depicta spectãdam, proposuit, Bartholomæus Saligniacus, testatur prope fontem Hælisęi nasci rosas, quę nocte quâ Saluator noster nasci dignatus est, quãuis exsuccæ sint, & siccę, paulatim sponte sua hia-

To. 8. descrip. terra sancta c. 6.

re, & tandem se prorsus pandere; postea in noctem ramos iterum contrahere, & in globum se colligere. Vide plura apud Lud. Granatensem de tempore in Epiphania, concione 1. & Bedam de locis Sanctis c.8.

§. 9. S. *Franciscus quoque in stabulo nasci voluit.*

Ex Chronicis l.1.c.1.

EDitus est in lucem Fraciscus anno reparationis humanæ 1182. in Italia, Assisij, in vallis Spoletanæ ciuitate celeberrima: plurimos verò dies hunc tantum infantem enixura, dolores partûs sensit acutissimos Pica (id erat eius piëtissimæ matri nomen) cùm interea mēdicus quidam pro foribus ei qui sibi stipē erogabat, Deferte, inquit, parturientem in vicinum stabulum, & continuò partûs difficultate liberabitur: creditum est, siue mendico, siue oraculo, & vix illata in stabulum mulier, partum fœlicissimè effudit. Atque humilis Franciscus humilem Christum in humili stabulo nascentem imitatus est: cui deinde in cruce morienti, acceptis stigmatibus, meruit esse non absimilis. Erectum est ad perpetuam rei memoriam, eo ipso loco, sacellum, quod à S. Francisco paruulo etiamnum nomen retinet; & miraculi series parietibus appicta visitur.

§. 10. S. *Lydvvina nascitur quo tempore historia passionis Christi legitur.*

Thomas à Kēpis parte 1. vitæ eius c. 1.

PEtronilla Lydwinæ mater, etsi quatuor adhuc filios pepererat, in quorum singulorum partu magnam difficultatem passa fuisset, in huius tamen filię natiuitate nullam fere sensit grauitatem: Nam in die Palmarum ingressa ecclesiam, dum sibi tempus pariendi adesse sentiret, cum celeritate domum intrauit, & quasi sine magno dolore, infra lectionem Dominicæ Passionis, hanc pręlectam filiam parturiuit, ann. Dominicę incarnationis 1380. decimo quinto Cal.

Apr.

Apr. estque dicta Lydwina conuenientissimo nomine, quod Latinè reddi potest *Lata patientia.*

§. 11. *Sanctij, Garsiæ Regis Nauarræ mirabilis natiuitas.*

MOrtuo Enechone Arista, Nauarrę Rege, regnauit Garsias eius filius, viro non minùs integritate vitæ, quàm armis præstans, qui vxorem duxit Vrracam, fœminam primariam, cum qua iã grauida, ac partui vicina (dum incautiùs per mõtes iter faceret) necopinato hostium Arabum superuenientium insultu oppressus, fortiter pro fide dimicans interijt. accidit verò vt digressis barbaris, nobilis quidam, cui Gueuarrę nomen fuisse affirmant, qui à tempore Enechonis Aristæ adhæserat Regi Garsię, ad eum locum fortè accederet, & infantem per vulnus ipsæ matris manum extendentem, & velut eluctantem conspicaretur. Miseratus vtriusque vicem, cæso matris vtero, eduxit infantem, ac domi suæ diligenter educauit, quod non sine testibus factum est, vt quando res ipsa posceret, facto fides constaret. Qui transactis infantiæ & pueritię annis cùm ad adolescentiam peruenisset, ętatem indole, & indolem strenuis operibus superabat, & successit in Regno Regi Garsiæ.

Roderic. Tolet. l. 5. de rebus Hisp. æra 918. & Io. Vasæus in Chron. 860.

§. 12. *S. Drogonis Ortus.*

IVxta Vallencenas, in pago Sebourg S. Drogo miro modo calculosis & ruptis inuocatus subuenit. Natus est in villa Espinoy, ex parẽtib. nobilibus, sed posthumus puer & cęsar: cùm enim nõdum natus patrem amisisset, inter diros parturiẽtis matris labores, consilio obstetricum, per maternum latus est editus in lucem: sicque natus est vtroque parente orbatus. quod cùm decennis intelligeret, sępius contristabatur, recogitans se maternæ necis esse occasionem.

Molanus 14. Iunij.

§. 13. *S. Lambertus item cæsar.*

Vincẽtius Barralus in Chronolog. SS. Cerinẽsis insula.

S. Lambertus Venciensis Episcopus floruit anno Domini 1154. huius mater partui vicina, doloribus victa, obijt, & de ventre illius inciso, puer manibus extractus est; ideo matris interitũ toties ipse postea doluit.

§. 14. *S. Nicetius cum corona clericali natus.*

Ex Greg. Turon. l. de vita Patrum c. 17

PArtu effusus B. Nicetius, aliorum infantiũ more, capillis nudus in lucem prodijt: in circuitu tamen capitis, tenuis pilorum ordo apte distinctus apparuit, haud secùs ac si clericali corona ex arte ornatus fuisset.

§. 15. *Munda sancti Edmundi natiuitas.*

Surius 16. Nou.

EDmundus præter communem nascentiũ morem ita mundus è maternis visceribus Dei singulari beneficio prodijt, (quod futuram eius puritatem declarauit) vt mundissimus pannus, cui inuolutus fuit, nullam prorsus maculã ab eo contraxisse videretur, ita vt obstetrices rei nouitate perculsæ non immeritò magna admiratione afficerentur: ideoque eum mater in baptismo Edmundum, tanquam à munditia nuncupandum censuerit.

§. 16. *Simul nati & educati.*

Sigebertus Monachus Gemblacẽsis vita c. 1.

NAtus est S. Maclouius ipso die Paschatis, & in eiusdem diei solemnitate nati sunt in ipsa viciniâ etiam alij triginta tres pueri: visa est res memoratu digna: ideoque singulorum parentibus placuit, vt qui nascendo sortiti fuerant vnius temporis exordium, vnum Christo viuendi tenerent contuberniũ: nam omnes simul cum S. Maclouio literarum studijs operam nauarũt; omnes diuinis simul obsequijs sunt mancipati.

§. 17. *Gemelli in multis simul æmuli.*

Iac. à Voragine & habetur, in Chron. F.

S. Medardus & B. Gildardus anno Domini 419. vixisse dicuntur, qui vna die ex vno matris vtero in lucem prodiere, vna & eadem die fuerunt

Episcopi facti, & eadem die hanc miseram vitam viuere desierunt. *Prædic. ab Ant. Sen.*

§. 18. *De alijs, simile.* *Ex Chron. Dominicanorum ann. 1250. & in viris Illust. F. Dominicanorum.*

F. Petrus & Arnoldus Galli, fratres vterini, simul vno partu editi, eadem die ad studia literarum missi Parisios, vnà Religionis habitum suscepere, vota emisere, primum sacrum fecere, eadem die & horâ mortui.

§. 19. *De S. Iuliano recens nato.*

S. Iulianus Episcopus statim atque vteri materni claustris egressus est, brachiolo suo in altum sublato, præsentibus omnibus facto signo crucis (vt solent Episcopi) benedictionem impertijt. *Ribad. 28. Ianuarij.*

§. 20. *De S. Rocho.*

Dicitur quod S. Rochus ex vtero matris attulerit crucis rubræ signum, super corpus suum expressum. *Ribad. 16. Aug.*

§. 21 *De S. Nicolao.*

Primâ die suæ natiuitatis S. Nicolaus, dũ balnearetur, erectus stetit in pelui fere dimidiâ horâ. *Petrus de Natal. l. 1. c. 33.*

§. 22. *De puero in cuius natiuitate exultabat quidam in Purgatorio.*

Veridicâ relatione didicimus, quendam defũctum, & subitò ad pœnas ignis purgatorij transeuntem, cuiusdam sanctissimi viri precibus ad vitam reuocatum. Hic tale quid visum, & auditum in purgatorio, referebat. Anima cuiusdam, quem prius in vita cognouerat, grauissime torquebatur: in medijs verò ignibus subitò illa gestiens exclamat: Eia misericordissime Deus, nec in finem oblitus es mei. Cui anima cõsors in pœna; Vnde, inquit, tibi, miserrima, in tam horrendis supplicijs ista exultatio? & illa: Meritò, inquit, læ-tabunda tripudio, quia mihi scire à Domino datũ est, in hoc instanti puerum natum, in cuius Missâ, quam ipse celebrabit primam tandem sacerdos, ab his pœnis ad requiem euolabo sempiternam. *Thomas à Cantip. siue de Brabanto Suffraganeus Cameracensis ord. Prædicatorum, de proprietatibus Apũ. l. 2. c. 53.*

Quantò iustiùs exultare poterant in limbo Patres, ob salutiferam Christi natiuitatem, qui oblato in ara crucis sacrificio, summus sacerdos, & Pontifex, totum genus humanum erat redempturus! & putant aliqui (vt notat Ribadenira) nato Christo, Angelũ ad Patres illos fuisse trāsmissum.

§. 23. *Franciscus Borgia felici editur partu.*

Ribad. in eius vita.

NAtus est Gandię Franciscus anno salutis 1510. patre Ioanne Borgia, Gandiēsium Duce, & Ioanna Aragonia, Alphonsi filia, eius qui Ferdinandi Regis Catholici filius fuit: Mater grauida cùm vteri doloribus angeretur, & religiosorum hominum preces, sacrificiaque adhibuit, & pauperibus multa eleemosynis elargita est, vt felicem partum ederet: tum B. Franciscum, cui addicta maximè fuit cùm viueret, appellauit: partui vicina, eius cingulo ex D. Claræ cœnobio oblato, feliciter enixa, & ex voto parens, Francisci nomine partum honestauit.

§. 24. *B. Aloysius Gonzaga Fernandi sacri Rom. Imp. Principis, Marchionis Castilionensis filius natu maximus baptizatus, antequam planè natus.*

Virgilius Caparius l. 1. c. 1. in eius vita.

SOlet ipsa Marchionis coniux ita commemorare: appropinquante partu, tantis se repentè doloribus oppressam esse; vt nulla spe fœtus enitendi in extremum adducta videretur vitæ discrimen. Vbi Marchionem, accitis compluribus Medicis, negotium dedisse, vt si prolem vitalem esse posse diffiderent, at certe collato baptismo æternam ei salutem dare, matrisque vitam tueri studerent. illos artibus omnibus, remedijsque frustra tentatis, quæ soluendi partûs esse visa sunt, & matris, & filij salutem in desperatis, ac depositis habuisse. Id cùm esset matri compertum, in tanta desperatione opis humanæ, ad Deum confugere, atque ad Virginem eius parentem, concipit. Ergo ac-

go accersito in cubiculum marito potestatem sibi in extremo itæ fieri postulat voti *Virgini Matri* nuncupandi : cùm ille annuisset, vouet ipsa, si hoc discrimine defuncta sit, sacram se Lauretanã ædem,vnà cum prole,modò & illi vita contingat, adituram.voto suscepto periculum omne depellitur, atque breui hunc filium partu dat : sed cùm inter medicos constaret eum mortem vitare non posse,instaretque Marchio,vt animi saltem incolumitati consulerent, obstetrix simul eo loci partum esse videt,vt baptismi patiens esset,priùs eum tingere occupat, quàm totus ederetur.Ita vtriusque vita seruata est, atque in filio,Dei gratia, meliorque ille, & diuinus ortus,huius mortalis absolutionem preuertit,non sine singulari Dei fauore, qui eum ab ipsis matris visceribus quasi mãcipio, & nexu sibi proprium esse voluit. Qua in re geminus Mechtildi S. Virgini fuit, cùm (vt in eius vita scriptum est) indicauit Deus sibi placuisse,vt quò eius animum,velut templum, quamprimum sibi sacraret, atque à primo ortu suâ gratiâ antecaperet, in similis metu periculi baptismus eius acceleraretur. Partu effusu mater è vestigio sublatum,crucis signo munit,faustisque precationibus prosequitur, dehinc horam ipsam tacitus, immotusque iacuit, nemo vt discerneret,viuúsne esset, an mortuus. Postea verò cùm vnicum vagitum edidisset, deinceps conquieuit, & lamẽtis,quibus plerique omnes recens nati infantes se dedunt, omnino temperauit.scilicet animi mansuetudinẽ suauitatemque morũ, quam ostendit in omni vita, portendisse crediderim.

§. 25. *Splendor S.Suiberti ortum irradiat.*

QVo tempore S.Suibertus in lucem editus est, totum cubiculum splendor irradiauit, mansitq; irreuerberatis radijs protensus, donec diuinum illud pignus in lucem editum esset, quo edito,pau- *Surius 1. Mart.*

to, paulatim recessit.

§. 26. Sanctus Petrus Cælest. nascens apparet matri veste indutus Religiosa.

Petrus Aliac. Card. Cameracēsis apud Sur. Maij 19.

SAnctus Petrus Cęlestinus, duodecimus fuit patri suo filius, velut Patriarchæ Iacob, alter Ioseph, prę cęteris dilectus; id enim parentes habuerant in votis, vt ex duodecim, vnum sibi Deus deligeret, quē haberet in delicijs; & non vana fuisse vota, rei comprobauit euentus: & in primis quod cùm Petrus nasceretur, matri suæ velut quadam religiosa veste indutus apparuerit.

§. 27. Nascens miracula edidit S. Cataldus.

Petrus de Natal. lib. 4. c. 143.

SAnctus Cataldus ex Hyberniæ partibus, insignibus statim miraculis coruscauit. nam statim vt ex vtero matris in lucem prodijt, caput eius in ipsum marmor, ac si in ceram mollissimam, intrauit, & signum verticis, concauitatem demisit. Et cùm mater ex dolore partûs exspirasset, infans sine cuiuspiam auxilio se erexit, & matrem brachiolis amplexus, ipsam suo tactu, Dei gratiâ mirabiliter suscitauit. Cumque marmor, in quo nascēs caput defixerat, sub dio positum esset, & in ipsam eius concauitatem pluuia caderet, omnes ægri ex aqua illa sumentes, à quacunque ægritudine curabantur.

§. 28. S. Heriberto nascente lux insolita refulsit.

Rupertus Tuitiensis apud Sur. 12. Mart.

CVm Heriberti pater cum familiari suo quodam Iudæo decumberet, vidit vterque eâ ipsâ horâ, quâ nascebatur infans, lucem ingentem in cubiculum partui destinatū infulsisse; & cùm alter alteri visum narraret, nesciretque illud vtriq; commune, continuò affuit ancilla, quæ natum infantem nunciaret, non sine ingenti lucis diuinitus circumfusæ miraculo.

§. 29. Cum ingenti lumine prodiit S. Auitus.

Surius 17. Iunij ex MS.

S. Auitus in ortu suo, tanto cum lumine prodijt, vt obstetrices ab officio deterritæ, cælestem splen-

splendorem ausæ non fuerint intueri.

§. 30. *S. Carolo Borromæo nascente, fulgor ingens apparuit.*

Editus fuit in lucem S. Carolus anno salutis supra millesimum quingentesimũ trigesimo octauo, duabus horis ante ortum solis in arce Arrona, quadraginta à ciuitate Mediolani leucis Italicis; patre Silberto Borromæo, matre Comitissa Margareta Medices, sorore germana Pij IV. Pontif. Max. quo autem temporis puncto nascebatur, apparuit supra cubile matris insolẽs quidam fulgor, radio solis similis, latitudine quidem cubitorum sex, longitudine verò non minore quàm glande sclopetaria traijceres: quem palam contemplati sunt pręsidiarij milites, & custodes loci, alijque plurimi. *Ernestus Colinus in eius vita.*

§. 31. *Infans instar canis venatici.*

Fuit in Theutonia nobilis quidã venationibus ita deditus, vt nullam saltem Dominico, vel festo die Missam audiret, sed semper venationibus intentus esset. Corripiebat autem eum frequẽtius vxor sua, deuota Deo, sed ille quasi muliebres monitus non curabat. Accidit autem vt ipsa vxor post multos partus editos impręgnata puerum pareret abortiuum, habentem caput canis venatici, pendentibus auribus, & porrectis. Confusâ ergo matre, cum multis matronis nobilibus quę adstabant, consilium fuit omnium, vt terrâ citiùs partus obrutus tegeretur. Veniens ergo à venatione maritus eius, quæsiuit quis puer esset, quem vxor peperisset. Dissimulantibus autem omnibus cum pudore, instat miles extracto gladio, vt ei partus ostendatur. & mox vxor timore compulsa, eijci de terrâ iubet prolem, in triste spectaculum, mõstrosam, dicens: Ecce quàm manifesto prodigio insipientiam tuam vindicauit Omnipotens, qui nullum honorem diebus sacris, nullam reuerentiam *Thomas à Cãtiprato l. 2 c. 49. §. 17.*

tiam

tiam corporis Christi Sacramentis tribuisti, sed vagis, & vanis ludis venationum, indiscretis temporibus instituisti: hæc vt vidit nobilis, correxit se, & egit pœnitentiam de commissis.

§. 32. *Infans abscisso labio nascitur in vindictam patris.*

Rutil. Benyon Eccl. Lauret. l. 1. discursu 1. q. 2.

VIr quidam, qui suo ipse nomini pepercit, cùm aleis luderet, & magnam pecuniæ summam perderet, accensus ira, & diabolico furore correptus in Lauretanam Virginem, eiusque filium, cuius tunc imaginem habebat, desæuit; cumq́; puero IESV supremum labium euaginato ac stricto ense confregisset, non multò pòst eius vxor filiũ peperit. Ne verò miser homo Deum sui facinoris immemorem cogitaret, vindex Deipara, quę imaginem filij sui supremo labio confractam sciebat, effecit vt natus puer inciso etiam labio in patris peccati vindictam, in omnium oculis appareret. Obstupuit pater, eumque non modò viso miraculo pœnituit, sed Lauretanę Virginis ædem petens, apposito miraculo filij sui in tabella peregrinus abscessit.

§. 33. *Terribile exemplum & iudicium ebrietatis.*

Michael ab Isselt l. 11. Mercurij Gall. Belgici ann. 1595

BAccharach oppidum est in ipsa Rheni ripa inter Constantiam & Moguntiam situm, quod quidam Bacchi-aras vocãt, ex vini præstantissimi nobilitate longe lateque celebre. Hic anno 1595. 14. Martij natum est monstrum horrendũ & maximè prodigiosum, anteriore superioreque parte homini, posteriore inferioreque serpenti simile, caudam habens tribus vlnis longam, nec diutius vixit, quam quoad munere suo propter quod missum fuerat, perfunctũ esset. Cùm enim pater, homo impius, contemptor Dei & hominum, ebriosusque Dominica Quinquagesimæ in cauponam abijsset, vt secundum consuetudinem suam ad vomitum potaret, luderetque aleis, & omnem improbi-

probitatem exerceret, vxor vero illius partui vicina eum secuta admoneret, vt ab ista impietate abstineret, homo impius non tantum monitricis verba contẽpsit; sed eam miserè percutiens præcepit cum viuo suo dęmone, quem vtero gereret, & qui illi in partu opitularetur, domum concederet; si non pareat, se gladium suum capulo tenus in ventrem illius impacturũ. Illa vero: Eia mi vir, Egone viuum gero dęmonem? Esto igitur. nec plura locuta, domum reuersa est, mariturũ inter combibones aleatoresque relinquens. Cum domum venisset mulier, dolores partus sensit, & terribile hoc monstrum omnibus qui aderant horrorẽ incutiens peperit. Phęax autem ille cum libidinem suam potando ludendoque satis explesset, & ipse domum redijt, ingressusq; est vbi & puerpera & partus iacebat. Monstrum instar falconis in eum illatum sibilans caudæ suæ implicatum hominem venenosis ictibus eum in modum pupugit, vt toto corpore tuberibus contusionibusq; pleno paulo post infelicem animam exhalauerit. Marito mortuo puerpura quoque extincta est, & tandem monstrum viuere desijt.

Ebrietatis iudiciũ tremẽdũ.

§. 34. *Mulier blasphema genuit nefrendes.*

MOtibus illis, eo Gesseorum anno vixdum exortis muliercula quędam oppido Hollãdiæ Aspera parturire cœpit: conuenere vicinæ, atque cognatę; vbi illa eniteretur difficiliùs, & grauissimè non minùs quàm periculosissimè laboraret, vna circumstantium, pio ex more puerperam admonet, vt D. V. MARIAM inuocaret auxiliatricem. Cui illa: Quid mihi istam, inquit, dicis scropham? erat namque infelix Anabaptistarum delirijs capta, qui supra omnes fere diuos, vnam illam Sanctorum Sanctam Deiparam V. MARIAM execrantur, oderuntque infensiùs. Verùm quidnam acciderit, accipe. Pro maledicti blasphe-


D. VVilhelm. Lindanus in Apologetico Religionis Cath. c. 11.

blaſphemia, fuit & Dei plaga, quâ nefariam ſuæ matris vindicauit contumeliam. Actutum enim illa miſera, quæ ſacroſanctam Virginem Dei Genitricem MARIAM impuræ ſuis nomine blaſphemârat, nigellas aliquot in lucem edidit, ſed emortuas ſuculas.

§. 35. *Monſtra alia duo, in punitionem.*

Ex literis Sec. prou. Germaniæ Coll. Dilingenſi an. 1581.

SAcerdoti e noſtris iter habenti, vir pius, qui eũ hoſpitio acceperat, duo ſane admirabilia narrauit, quę circa Dilingam non ita pridem contigiſſent. Retulit is, quod cùm ſibi notus ſancti cuiuſdam viri ſtatuę brachia præſcidiſſet, eius vxorẽ, eo ipſo anno filium ſine brachijs peperiſſe. coniugem item alterius, qui sãctorum Epiſcoporum capita gladio decuſſiſſet, filios amẽtes, capitibus in tiaræ ſpeciem faſtigiatis, genuiſſe.



CAPVT 6.

NVMEROSITAS PROLIVM VNO PARTV EFFVSA.



PRODIGIIS ſunt ſimilia quę de ingenti infantium vno partu effuſorum copiâ apud varios authores reperiuntur. Etſi verò plures eodem vtero edi non ſit ſupra naturæ vires, quando tamen tantam prolis multitudinem, cuiuſmodi mox oſtendemus exemplis, in lucem ſimul emitti contingit, id miraculo potiùs eſt, quàm naturæ adſcribendum, cũ natura ipſa tantæ rei refragetur: at Deus, qui etiã mon-

monstra sępe oriri permittit in reliquis animantibus, immo & in humani generis propagatione (vt paulò ante ostēdimus) quidnî & monstrosam multitudinem? Patitur autem id, vt naturam legibus communibus vti sinat: vult etiā quādoque, vt culpa aliquam intemperantiamve castiget. Miramur tamen, & meritò hanc superfœtationem: sed cur pari ratione nō miramur spirituales quos patitur quoq; Deus mōstrosos partus? vidimus quippe nostro hoc infelicissimo sæculo trecentas atq; plures etiā hęreses ab vna Germania profluxisse.

§. 1. *Septem simul editi.*

LAmissij Longobardorum Regis mater, septē vno partu edens filios, eos in piscinam quādam proiecit; quos cùm Agelmundus primus Longobardorum Rex post Ibor, & Agion iter faciens hasta reuolueret, Lamissius hastam eius fortiter tenuit. ab eo igitur nutritus postmodum, & regni hęres factus est. *Sigebertus in Chron.*

§. 2. *Nouem vtero vno, & vnà orti.*

CLericus quidam bonę indolis, & moribus approbatus, competētis literaturæ, & vocis, sed hæc omnia cōuertens ad gloriam B. V. MARIÆ, miraculosè, & solo iuuamine V. MARIÆ fit Episcopus Coloniensis. Hic cùm nocte in laudem Dei, & Matris eius surgeret, in palatio deambulās, & de fenestris prospiciens, vidit per fenestras feminas in platea portantes magnum canistrum cū octo infantibus in eâdem nocte genitis à quadam nobili matrona ciuitatis: quæ propter verecundiā vno retento, & dato obstetricibus magno precio, mittebat hos citò in Rheno mergendos. Quos pueros Episcopus baptizans, occultissimè nutriri fecit, & omnes literis, decem vel duodecim annis, informari. Episcopus faciens sibi negotium ad domum Burgensis illius sequentibus se scholaribus, & gloriose cantantibus, tandem domestico optan- *Discipul. litera M. §. 10.*

co optante pueros suos esse, Episcopus eidem, & matri finaliter indicans veritatem de pueris, adhoc per gratiam Dei induxit eosdem: qui vnà secum de suis diuitijs claustrum, quod dicitur Thuicum, construxerunt, in quo Episcopus, & nouem pueri, & parentes se Domino reddiderunt.

§. 3. *Duodecim vno partu procreati.*

Cromerus l. 11.

MAtthias Golanceuius Episcopus Vladislauiensis in Polonia fuit, sub Vladislao Locticо Rege. Eius matrem ferũt duodecim filios vno partu edidisse, verùm ex ijs vnum illum vixisse, reliquis, mox vt nati erant, mortuis.

§. 4. *Quatuor partubus* 20.

Antigonus in mir. Phlegon de mirabilib. & lõgæuis

MEmoriæ proditum fuisse Antigonus scribit, Alexandriæ mulierem quandam quatuor partubus viginti fœtus edidisse, quorum maior pars enutrita sit. Eadem in vrbe, alia mulier quinque infantes vnà peperit, tres masculos, duas feminas, quos suis sumptibus ali iussit Traianus Imperator, eademque mulier, circumacto exinde anno tres infantes peperit.

§. 5. *Duodecim simul nati, mirè educati.*

Theatrum vitæ humanæ.

ISenbertus Comes de Altorf vxorem habuit Irmentrudim; hæc cùm pauperculam feminam eodẽ partu tres liberos mares enixam vidisset, & tanquam impudicam reprehendisset, quòd ex eodem viro, tres simul filios suscipere impossibile videretur; ipsa post annum (Deo sic eius superbũ iudicium confutante) absente viro, duodecim mares enixa est: perterrita eo casu, quòd iam de sua quoque pudicitia dubitari posse arbitraretur, obstetrici vndecim in proximo torrente Schercio mergendos committit, vnicum illa seruat. parenti obstetrici obuius fit Comes, & quid velatum gestet, interrogat. Illa *VVelfos* (sic enim suâ linguâ catulos vocabant) deformes submersuram sese asserit. Mox ille: At permitte, inquit, vt videã,

ſintne aliqui qui venationi nobis inſeruire poſſint: repugnat illa. tandem coacta, infantes vndecim oſtendit, & negotium Comiti, ita vt erat geſtum, narrat. Imperat ergo Comes, vt factum apud vxorem ſuam diſſimulet, & filios educari pręcipit. Exacto iam ſexennio, cùm omnes viuerent, in arcem adduci iubet, atque illic coram omnibus amicis imprudentiâ vxoris detectâ, veniam illi dedit, filios porrò duodecim ęquali iure ſuos eſſe voluit: ſtatuitque, vt non Comites de Altorf, ſed ex vetulę obſtetricis ominoſa voce quę vitam illis vndecim dederat, *Vvelfi* vocarentur, & gratitudinis ergo, pro diuinitus ſeruatâ tam numeroſâ prole, in ipſo Altorfenſi oppidulo, cœnobiū Monialium conſtruxit. Hanc iſtius loci originem monaſtici eſſe, ex multorum ſenum, qui eadam ſeſe à ſuis parentibus, & maioribus audiuiſſe narrabant, teſtimonio ſcribit Bruſchius de Monaſterio Vinearum.

§. 6. *Vno partu effuſi* 150.

ALbertus Magnus compertum ſibi affirmat, in Germania mulierem vno partu enixam centum quinquaginta, articulis omnibus abſolutos, eâ magnitudine, qua eſt digitus auricularis. ***Albertus de animal. l. 9. tra. 1. c. 5.***

§. 7. *Sexaginta, varijs partubus.*

IDem narrat in Germania mulierem, annis ſingulis, quinos enixam fœtus, quâ fœcunditate peperiſſet omnibus partubus filios vtriuſque ſexus, ſexaginta. id recolit author qui Scholion ad Tertulliani librum de anima ſcripſit. ***Ibidem.***

§. 8. *Simul in lucem producti* 36.

TEmpore Boleſlai, in Cracouienſi regione, honeſta quędam matrona, Margareta Virboſlai Comitis vxor, triginta ſex pueros viuos vno partu edidit. ***Cromerus de rebus Polon. l. 9***

§. 9. Epi-

§. 9. *Epitaphium* 364. infantium.

Maiolus colloquio 3. 1. partis, qui citat plures authores.

IN Hollandia in cœnobio Sanctimonialium S. Bernardi, quod Losdum nuncupatur, regium sepulcrum marmoreum visitur, Guicciardino teste, qui eius regionis historiam conscripsit, in quo hęc annotata sunt, his verbis: *Illust.* D. *Florentij* Comitis filia, cuius mater fuit Machtildis filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Guilielmum Allemanię Regem. Hæc Domina Margareta anno salutis 1276. ætatis suæ annó 42. ipso die Parasceues, horâ nonâ ante meridiẽ, peperit infantes viuos promiscui sexus, numero trecẽtos sexaginta quatuor, qui postquam per venerabilem Episcopum Guidonem Suffraganeum, pręsentibus nonnullis proceribus, & magnatibus, in pelui quadam baptismi sacramentũ percepissent, & masculis Ioannes, femellis verò nomen Elizabeth impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matris animæ, ad Deum, ęternaliter victurę redierunt. Corpora autem sub hoc saxo requiescunt. *hæc ibi. Testantur idem annales Bronsuicensium, Albertus Crantzius in Vandalia, Ernestus Brotoffius l.* 4. *c.* 4. *historiæ Principum Anhaltinensium, Fulgosius l.* 1. *c.* 6. *Genebrardus in Clemente V. Andreas Eborensis, Annales Hollandiæ.*

§. 10. *Eodem partu editi* 1514.

Auentinus l. 7. *annalium.*

AVentinus verò ita scribit: Machtildis Comitissa ab Hermeberghe, filia Florentij IV. Batauini Comitis, soror Guilielmi Regis Romanorum, sub Frederico II. Imperatore, mille quingentos quatuordecim pueros simul genuit, qui in malluuio, ab Othone Traiectensi Episcopo, Auunculo eius, sacrâ aquâ lustrati sunt, & pòst mortui.

CAPVT

CAPVT VII.

LACTATIO PVERORVM MIRA, ET ABLACTATIO.

POSTQVAM ex cæco illo carcere materni vteri euasit infãs, ecce alius ei cibus adornatur, lac candidissimũ iuxta & suauissimum, ex sanguine tamen menstruo confectum, quem quidem sanguinem vi attractiuâ ad se vbera per venas alliciunt, & innata sibi facultate, candore & dulcedine, alijsque affectionibus lacti congruentibus imbuunt. Quæ tanta Dei in homines prouidentia matres ad sua illa viscera suo lacte alenda optimo iure satis impellere debuisset, quamuis non desint aliæ item causæ, quæ idem suadeant: nam principio iam in vtero infans illi nutrimento assueuit, & quod tum per vmbilicum admittebat, id optat sibi defæcatius in mammis propinari per venas vtero ipsisque communes. Adhęc quis neget matres maiori cum affectu suos educaturas quàm nutrices, quarum beneuolentia externa est, & conductitia? & idem de amore mutuo est intelligendum; vt mirum non sit, si infans aliorsum datus matris nullum habeat desideriũ, nõ magis quàm puer expositititius. Omitto periculum esse ne infantium animi & corpora alieno nutricis lacte corrumpantur: nam sicut valet ad fingendas animi corporisque similitudines plurimùm vis seminis, ita lactis ad ingenia & pro-

prietates. Quare quod in beſtijs ipſis cernimus, quę quantumuis feræ ſint, tamen fœtus ſuos alunt, omnino id à matribus, niſi aliud ſubſit impedimentum, eſt prolibus impendēdum officiū, Chriſti ipſius exemplo, qui (vt notat S. Chryſ.) proprio nos alit ſanguine, & ſibi coniungit, atque conglutinat. Verùm *non ſemper lac*, ſed ſolidior etiam cibus aliquando eſt adhibendus, quod fit poſtquam eſt à lacte depulſus infans, anno ſcilicet, & menſibus ſex, aut biennio integro poſt ortum; quo tempore infantes ſolidiorem cibum poſſunt dentibus diuidere. Inſtruebant verò tum Iudæi ablactationis conuiuium, cuius finis partim erat eucharisticus (nam parentes læti quòd infantes ſui cò ætatis deueniſſent, cum vicinis Deo gratias agebant) partim conſolatorius: quos enim hæc à lacte materno auulſio infanti & matri dolores affert, amicorum colloquijs leniretentabant. partim denique typicus: hac enim ablactatione ſpiritualis ablactatio adumbrata fuit, quâ veri & ſpirituales Iſaaci, id eſt, fideles, & electi, à lacte materno, atque naturali, id eſt, ab originalis labis prauitate, quam vnà cum lacte materno ſuxerūt, depellantur, vt ſolidi cibi, id eſt, veræ pietatis, atque adeo ipſius Chriſti compotes fiant. Significabatur item Spirituales Iſaacos in hac vita ceu infantiâ, plenâ ignorantiæ lacte tantum, id eſt, caduco cibo ſuſtentari, qui poſtea ſolido, æternoque cibo paſcerētur: nam vt ait Aug. *Sic nos vult (Deus) lacte nutriri, vt non ibi remaneamus, ſed creſcendo, per lac, ad ſolidum cibum perueniamus.* Et D. Petrus monet, *Deponentes*, inquit, *omnem inuidiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.*

In Matth. Hom. 83.

Auguſt. in Pſal. 130.

D. Petrus Epiſt. 1.

§. 1. *Virginis lac sugit IESUS.*

Fœno iacere pertulit, Præsepe non abhorruit, Sedulius.
Paruoq; lacte pastus est, Per quem nec ales esurit.

O æterna sapientia! ô IESV matris deliciæ! ô vber mundiciæ lac dans pueritiæ, antiquo dierum! ô beata vbera, quæ in ætate tenerâ, Deum lactauerunt! Sed qui eduxit aquam de petra, oleumque de saxo durissimo; ecce lac virgineo elicuit ex pectore, lac candidissimum, sapidissimum, vberrimum. Solet ille lacti cãdor induci decoctione, quæ tum in venis, tũ in mamillis fit, at in Virgine nostra ab igne Spiritus sancti in vtero matris suæ facta est primùm hæc decoctio, quando eam ipse Sanctificauit; iterumque in Filij Dei cõceptu, quãdo ei Spiritus sanctus superuenit. hinc etiam sapor ille mirificus, atque adeo nutriendi vis: nam cùm lac istud (nectar melius, vel Ambrosiam appellarim) ab eodem Spiritu S. sit depuratum, nullius vnquam mulieris extitit, tanti vel candoris, vel puritatis, vel efficaciæ; addo vel vbertatis, quam habebat à cœlesti subministratione: nec enim fuit à natura propinatum, sed è cœlo (vt dixi) subministratum, vnde canit Ecclesia: *Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat vbere de cælo pleno*, de quo sic eam alloquitur D. Aug. *Lacta* MARIA *Creatorem tuum, panem cæli, precium mundi: præbe lambenti mamillam, vt ille pro te percutienti præbeat maxillam.* Ipsa respondet: *Dilectus meus mihi, & ego illi: inter vbera mea commorabitur.* Ego verò dicam. *Quis det mihi te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* Sermo. de Annunc. Cant. 1. Cant. 8.

§. 2. *De sancto Sisinio.*

S. Sisinius Thaunensis Episcopus cùm genitricis adhuc suæ papillâ lactaretur, quartâ, & sextâ feriâ, & sabbatho, semel tantummodo tenelluli oris labella vberibus admouere consueuerat. Petrus de Natal. l. 3. Marul. li. 4. c. 1.

§. 3. *De sancto Nicolao.*

Ex Metap. Sur. 1. Dec. Leonardus Iustinian. in eius vita, & Methodius Patriarcha in eius etiam vita.

SAnct. Nicolaus non priùs viuere, quàm Deum venerari, non priùs comesse, quàm ieiunare visus est; compertum enim est, illum, cùm reliquos dies, noctesque omnes crebrò sugeret vbera, quartâ tamen sextaque feriâ nullo nutricis lenocinio, nullâ naturę necessitate induci potuisse, vt ante vesperam lac gustaret; immotoque hoc ipsũ seruauit ordine, prorsus vt non fortuitò, aut aliqua stomachi intẽperie, factũ fuisse cõstet.

§. 4. *De S. Catharina Bononiensi.*

Ioan. Antonius Flaminius in eius vita.

S.Catharina Bononiensis per tres dies integros non sumpsit mamillam, nec vllum aliud alimẽtũ, pręsagiũ summæ sanctitatis, & austeritatis.

§. 5. *De S. Stephano Diensi Episcopo.*

Dorlãdus in Chron. Carth. l. 4. cap. 10. & Sur. 7. Sep.

S.Stephanus, cùm adhuc ad nutricis vbera penderet, lacte sextis ferijs pasci nolebat, quod satis portẽdebat Carthusianum eum futurum, qui semper istis ferijs solent à lacticinijs abstinere.

§. 6. *De Ioanne de Firmo.*

Gretserus de disciplinis li. 1. c. 14.

IOannes de Firmo, vocatus de Aluerna, sanctitate vir mirabilis, & perfectione, cùm nutriretur infantulus in cunis, die Lunę, Mercurij, & Veneris semel tantùm mammam sugebat.

§. 7. *De S. Stephano Presbytero.*

Petrus de Natal. l. 10. c. 86.

HVnc infantulum mater cùm aleret, si quos aliquando cibos acciperet, quos sumere non consueuisset, puer se ab ea abstinebat, & vbera tangere nolebat.

§. 8. *De S. Canide Anachoreta.*

Ex Menæis 10. Iunij.

S.Canides ex Cappadocia oriundus erat, duxitque vitam tempore Theodosij Magni. dicitur verò eius mater omni crassiori cibo abstinuisse, cùm ipsum vtero gestaret: hunc verò natum ferunt omnino à sinistra abstinuisse mammâ, im-

mo si mater quandoque lautiorem sumpsisset cibum, etiam dextram minimè contingebat.

§. 9. De S. Roberto.

S. Robertus si quando nutricibus tradebatur vt lac sugeret, neutiquam vt hoc faceret, poterat adduci, si impuræ erant mulieres. *Surius 24. Apr.*

§. 10. De S. Catharina filia S. Birgittæ.

CAtharina sanctę matris suæ, & aliarum pudicarum mulierum vbera, citra difficultatem sugebat, ab incontinẽtibus verò feminis prorsus abhorrebat: quod lacrymis, & vagitu testabatur. *Surius 22. Mart.*

§. 11. De S. Catharina Suedica.

IDem quoque scribitur à Petro Ribadeneyra de S. Catharina Suedica. *Ribad. in eius vita.*

§. 12. Duorum mira lactatio.

TErræ motu Antiocheno, cùm ingentem turbã prostrata tecta, & subuersi muri obruissent, desinente tandem tremore, quidam ruinas ascenderunt: tunc mulieris vox, & infantis vagitus auditus est; matrem & filium ruinæ oppresserant, mirandumque fuit. quo pacto alendo puero lac sufficere potuerit. sed mater, & filius terrâ incolumes educti sunt. Dum verò accuratius protrita cadauera & collapsas domos rimarẽtur, alter infans est inuentus, qui matris mortuę vbera adhuc sugeret. De priori quoque scribit Zonaras, sub Traiano, Antiochiã ingenti terrę motu quassatam, hominum multa millia ruinis oppressisse: inter hos, in imo domus oppressa mulier cum infante vberibus hærẽte; sepulta igitur, non oppressa, auditâ eius voce, post dies multos, testata est, puerum lacte pro more vixisse: ipsam verò proprio etiam lacte sibi aliquando succurrisse. *Dion, de Traiano Imp.* *Zonaras.*

§. 13. Ablactatur Isaac.

CRevit puer (Isaac) *& ablactatus est: fecitq; Abraham grande conuiuium, in die ablactationis eius.* *Genes. 21.*

§. 14. Samuel à lacte depellitur.

1. Reg. 1. *ASCendit Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hostiam solennem, & votum suum; & Anna non ascendit, dixit enim viro suo, Non vadam donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter, & ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum, precorq́, vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte. Et adduxit eum secum postquam ablactauerat in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphorâ vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus.*

De S. Vdalrici ablactatione, vide infra c.14. §.5.



CAPVT 8.

PARVVLI IESV RECENS NATI ANNIVERSARIA VENERATIO, *& cunarum eius miracula.*

INNOTVIT omnibus laudabilis illa consuetudo, qua quotannis Christi Natalitia pio maiorũ instituto celebramus, paruasque IESV cunas stabuli Bethleemitici simulacra, veri recordatione effingimus: sicut enim pia fuit huius instituti ratio, ita omnibus penè regionibus familiaris, adeo vt in vltimas etiam terras penetrarit. Certè in India Orientali non ita pridem extru-

ctum fuiſſe præſepium in honorem nati Saluatoris accepimus, ad quod per dies viginti continuos tantus fuit hominum cōcurſus, vt ad quatuor hominum millia creditum ſit facilè cōfluxiſſe. Quid quod ab Ægyptijs hic mos reſeruatus fuit diu ante ipſum Chriſti ortum? Nam ſi Epiphanio credimus, cùm Hieremias vnà cum Iudæis apud Ægyptios aliquando exularet, Sacerdotibus eorum prædixit demolitionem ſimulacrorum, quę manu facta ipſi tam vanè colerent; in hæc verba: oportere olim cuncta eorum ſimulacra concidere, ſimulque manu omnia facta præcipitari, vbi Ægyptum aſcendet cum ſuo infante Virgo enixa, Deo ſimilis. Huic vaticinio tantum Ægyptij tribuerunt, vt ſolennem induxerint morem Virginem quandam in lecto, & infantem in præſepio paſſim collocandi, ſimulque adorandi. Rogati à Rege quodam poſtea, quid ſibi vellet hic ritus, hoc eſſe myſterium reſponderunt, quod maiores ipſorum à S. Propheta traditum iam pridem accepiſſent. Quid igitur mirum, ſi nos tantum myſterium tranſactum in memoriam hoc ritu reuocemus, oculiſque ſubijciamus? Hinc ſtramineam exſtruunt caſam, imminentem tecto ſtellam defigunt, medium inter Virginem & Ioſephum collocant in præſepi infantem, Paſtoribus Angelos admiſcent, idque tam appoſitè, vt intuentes maximum pietatis ſenſum experiantur, & ſe tanto myſterio intereſſe, vagitus aure excipere, faſcias ipſas contrectare, Angelorum concentum audire, non ſine horrore quodam ſacro, exiſtiment. Quod pietatis officium Deus frequenti miraculo ſibi gratum eſſe patefecit, vt, quod pleriſque Catonimanis ludicrum ac puerile videri potuiſſet, laudabile ac ſanctum diuino calculo comprobaretur,

Epiph. in vita Hieremiæ Prophet. prope finem operis.

§. 1. *Paſtores infantis IESV prima viſunt incunabula.*

Luca 2. PRæſepe Domini, ceu veri Salomonis thronum celeberrimum, Bethleemitici Paſtores adiere primi: hos adhiberi decuit aulæ cæleſtis ephebos honorarios.

§. 2. *Infanti IESV Reges accidunt.*

Matt. 2. HOs ſequuti ſunt Eoi Reges, qui inſolitę ſtellæ exortu permoti, longa magnis paſſibus emenſi ſunt ſpatia, maiore vt fide paruulo Infanti, magno Regique Deoque dona venerabundi deferrent.

§. 4. *Præſepe Domini pie repræſentat S. Franciſcus, & magna cum religione recolendum proponit.*

Bonauentura in vita S. Frāciſci c. 10. ANno tertio ante obitum S. Franciſci contigit, vt memoriam natiuitatis pueri IESV ad deuotionem excitandam apud Caſtrum Græcij Franciſcus diſponeret agere cum quanta maiori ſolennitate valeret. Ne verò hoc nouitati poſſet adſcribi, à ſummo Pontifice petitâ & obtentâ licentiâ, fecit pręparari præſepium, apportari fœnum; bouem, & aſinum ad locum adduci. Aduocantur Fratres; adueniunt populi; perſonat ſylua voces, & venerabilis illa nox luminibus copioſis, & claris, laudibuſque ſonoris, & conſonis reſplendens efficitur, atque ſolennis. Stabat vir Dei coram præſepio, pietate repletus, reſperſus lacrymis; & gaudijs ſuperfuſis, celebrantur miſſarum ſolennia ſuper præſepe, Leuitâ Chriſti Franciſco euangelium cantante, prædicat deinde populo circumſtanti de Natiuitate pauperis Regis, quem cùm nominare vellet, *Puerum de Bethleem* præ amoris teneritudine nuncupabat.

Miles autem quidam virtuoſus, & verax proter Chriſti amorem ſæculari relictâ militiâ viro

Dei

Dei fuit magna familiaritate coniunctus, D. Ioannes de Græcio; hic se vidisse asseruit puerulum quendam formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Franciscus ambobus amplexans brachijs, excitare videbatur à somno: hanc quidem deuotam militis visionem, non solùm videntis sanctitas credibilem facit, sed & dignata veritas comprobat, & miracula subsecuta confirmant: Nam exemplum Christi consideratum à mundo, excitatiuum est cordium in fide Christi torpentium, & fœnum præsepij reseruatum à populo, mirabiliter sanatiuum brutorum languentium, & aliarũ repulsiuum pestium diuersarum.

§. 4. *Hora Natiuitatis suæ Christus B. Claræ apparet.*

Clara virgo B. Francisci præceptis imbuta, dignaque tanto magistro discipula, pridie quam Natalis Domini veniret, ægrotauit, nec licuit illi cum reliquis sororibns ad agendas sacræ noctis precationes pergere. Veruntamen aduersa valetudo corpus impedire potuit, animum non potuit: & Ancilla Christi affuit in spiritu, vbi in carne adesse nequibat. Reuersis quoque sororibus, quicquid inter absentes dictum, actumque esset ordine retulit, & mirantibus adiunxit, sibi tunc ibidem loci IESVM puerum, quâ horâ quondam nasci voluit, apparuisse: IESVM ergo deuotè contemplata, cùm in lectulo iaceret, omnia quę procul in oratorio agerentur, perspiciebat. Et quod ne ipsę quidem quæ illò conuenerant, viderunt, videre meruit.

Surius to. 4. & Marulus l. 2. c. 4.

§. 5. *S. Bernardo reuelatur puer IESVS nocte natiuitatis.*

Aderat illa nox diebus omnibus clarior, Natiuitatis Dominicę, & omnes ad solennes vigilias se adornabant: verũ cũ celebrãda nocturni officij

Surius 20. Aug.

officij hora aliquantiſper prorogaretur, contigit ſedentem, expectantemque Bernardum cum cæteris ſomno paullulum ſopiri: affuit illico puero ſuo ſe reuelans, pueri IESV ſancta Natiuitas, teneræ fidei ſuggerens incrementa, & diuinæ in eo inchoans myſteria contemplationis, dum pueruli ſancti in ſe rapit minimè pueriles affectus.

§. 6. *Pia quædam mulier infantis IESV fruitur aſpectu, & emoritur.*

Diſcipulus literâ N. ex. 4.

QVędam deuota perſona circa infãtiam Domini afficiebatur ſpecialiter tempore Natiuitatis Chriſti, & rogauit Dominum, vt ei oſtenderet faciem pueritiæ ſuæ; & ecce poſt aliquot dies in eccleſia more ſuo commoranti, & oranti, adſtitit puer pulcherrimus, à quo quęſiuit, ſi ſciret *Aue Maria*. qui reſpondit, Prędic mihi; & dicente eâ, *Benedictus fructus ventris tui*, tunc dixit puer, Ego ſum ille, & euanuit. Illa iubilando clamauit, Reuertere chariſſime, dulciſſime, & amantiſſime puer. & ſic per triginta dies non ceſſabat vociferans. Venit IESVS dicens: Ego vocatus venio ad te, modò autem tu venies poſt me, vt mecum conregnes, quæ ſic iubilans fęliciter expirauit.

§. 7. *Puella duodecennis ad cunas Chriſti anniuerſarias ſanatur.*

Granatẽſis de Symbolo l. 2. c. 27.

IN eo cœnobio S. Bernardi quod eſt in Alcobazæ finibus, quædam virgo duodecim annos nata, & paulò antè monachali habitu induta, mẽſis Octobris initio ægrotare cœpit. Longum eſſet omnia narrare quæ huic virgini acciderunt, grauiſſima, vt eſt Epilepſia, & cætera huiuſmodi, quibus Medici nũquam remediũ accommodatũ inuenire potuerũt. In eodem cœnobio habebant Monachæ in quodam loco ſanctum præſepium, in quo & puer IESVS cum ſanctiſſimę Matris

imagine

imagine erat: petieruntque ab ea, num ad infantem IESVM, qui in eo præsepio erat, deduci vellet; quibus se velle respondit: Eam ergo per brachia (quòd ipsa per se ire non posset) ad sanctum infantulũ sistentes, eum in illius manibus posuerũt. Tunc illa ad Virginis imaginem oculos conuertens, sic dicere cœpit: Domina, hũc tibi minimè traditura sum, quoad bonam valetudinem, quâ tibi seruire possim, mihi tradideris. Quæ dum sæpius repeteret verba, Monachis ad id eam adhortantibus, & dicentibus: Dic puella, dic: paullò pòst illa ægrota se humi abiecit, & ibi tam diu tanquam si dormiret, stetit, quoad Monachæ quę aderant, verentes ne quid ei mali accideret, curarunt vt se ipsa colligeret: tunc illa: Cur me excitatis? nunc enim aliam videbam dominã, alium infantem, aliud præsepium, quæ omnia ab his quæ hic sunt longe differunt. Quo dicto, mirificâ huius sancti infantis virtute, & illius matris misericordiâ, tam sana surrexit, ac si nullo morbo laborasset. Serenissimus Cardinalis infans D. Henricus, qui nunc Rex noster Dominus est, hoc cœnobium visit, ad eumq; virgo hęc adducta est.

§. 8. *Quidam Christi recolens infantiam, eius fruitus alloquio, migrat in cœlum.*

QVidam Superior Cistertiensis ordinis amãs tenerrimè infantiam Saluatoris, recolebat frequentiùs qualiter idem Saluator pro nobis à B. Virgine conceptus, & enixus, & lactatus fuerat, & nutritus. qui per hoc in gratiâ simplicitatis, & innocentiæ profecit mirabiliter, & amicus effectus B. Virginis, hausit gratiam deuotionis abũdantem. die ergo quodam, cùm in refectorio cum conuentu comederet, raptus in ectasin, vidit B. Virginem formâ pulcherrimâ, & inter brachia puerum pulcherrimum portantem, per refectorium

Speculum ex. d. 9. §. 76.

rium intrantem, & ex sua simplicitate nondum intelligens visionem, mirabatur quomodo mulier contra consuetudinem illius ordinis in refectorium ingredi præsumpsisset, & credebat quod omnes hoc viderent; cùm ipsa coram omnibus portaret puerum, venit ante ipsum, & ita prope, quod puer suis pedibus fere tangebat cibum eius, nihil dicens, sed in eum respiciens. Tunc Superior porrigens ei panem dixit: Papa mi puer; cui respondit, Non papabo modò, sed tu post triduum papabis mecum panem vitę ęternæ in regno meo; quo facto disparuit visio: & statim infirmitas arripuit Superiorem, & post tres dies iuxta condictum pueri, ad Dominum migrauit, papaturus cum ipso panem viuificantem in æternum.

§. 9. *Infantis IESV præsentia festis Natalibus dæmonem excludit.*

Vincentius in Specul. hist. l. 16. c. 7. Petr. Venerabilis lib. 1. mirac.

REfert Vincentius Beluacensis, quia mos est Cluniacensis Monasterij, præ cęteris solennitatibus Natiuitatem Domini quodam singulari affectu agere, cantuum melodijs, quodque longè præstantius est, spirituali deuotione, multâ cum lacrymarum perfusione, cum Angelis solennizare. Hac igitur instante festiuitate, fratres more solitò sé & sua omnia præparauerunt. Venerabilis ille Pater Hugo, qui adhuc senex supererat, Capitulum, vbi fratres conuenerant, ingressus, hęc ad omnes verba protulit. Noueritis, fratres, benignum IESVM disposuisse nostris interesse solennijs, at contrà hostem nequam inuidiâ laborare, vt aliquas tenebrarum suarum nebulas tanto splendori possit immiscere. Frater enim, ait, quidam (se vtique dans intelligi) hac nocte vidit, matrem misericordiæ, ipsumque filium, quem præsenti genuit nocte, dulcissimo gremio

gremio continere, eique sanctorum Angelorum multitudinem cum immenso lumine adstare, & cùm in natiuitate Domini Monachi cantando recognoscerent beneficium incarnationis Domini, Hugo Abbas Cluniacensis vidit ordines Angelorum psallentium, & omne genus musicorum dicentium, *Gloria in excelsis Deo*. Idem Deus puer exultabat, & cordis lætitiam gestu corporis & plausu manuum demonstrabat: & conuersus ad matrem, aiebat, Cernis Mater noctem Natiuitatis meæ, quę imminet, gaudijs illustrandam, in qua & prophetarum oracula, & Angelorũ præconia reuelabuntur, & de meo ex te ortu, omnia simul, cęlestia, & terrestria, lętabuntur. vbi & nunc hostis mei damnata perfidia? vbi est potestas quæ ante hoc singulare gaudium dominabatur? Quo ille impudens audito, de latibulo suo egressus, à longè se pręsentabat, & ignominiosè deturbatus, cum multo planctu, & eiulatu, vt admitteretur orabat; Etsi, ait, in nulla parte ecclesię admittor, in aliquo saltem reliquarum, officinarum loco suscipiar. At filius Virginis, Vade, inquit, Lucifer, & ne te meâ sententiâ præiudicatum lamenteris, tenta quod poteris. At ille solum aditum Capituli petijt, & intrare non potuit: in tantum enim se tumidum, & Capituli introitum angustum inuenit, vt nullatenus introire valeret. Inde ad dormitorium Fratrum gressum conuertit, & phantasijs solitis se eos inquietare posse confidens introire tentauit: sed eadem crassitudine suâ ab ostio repulsus est. Postremò ad refectorium nocendi spem contulit, ibi propter aliquantulam corporis curam, maiorem suspicans mentium incuriam, ibi etiam tot obices ex diuinorum verborum lectione, tot trabes ex deuotione auditorum, tot repagula reperit ex charitate sibi inuicem seruientium, vt nullo modo vltra

valens

valens procedere, cogeretur retrocedere: ſic & ab omnibus officiis deiectus, à conſpectu pijſſimi Redemptoris, & glorioſę MARIÆ matris eius, cum ea qua dignus eſt confuſione peſtifer ille receſſit.

§. 10. Peccatrix conſiderata Chriſti infantia maximè in ſpem erigitur.

Pelbartus ſer 18. de Natiuit.

MOnialis quædam exiens ordinem, facta eſt publica meretrix: poſt multos annos rediẽs ad monaſterium, dedit ſe ad pœnitentiam. cùm autem de Dei iudicio, & iuſtitiâ cogitaret, & de pœnis inferni, deſperabat ſe veniam poſſe conſequi, propter magnitudinem, & multitudinẽ ſuorum peccatorum. Cumque etiam cogitaret de gaudijs cęli, diffidebat, ſciens quod nullus immũdus & inquinatus cælum inquinaret. Cùm autem cogitaret de Paſſione Chriſti, cogitabat quanta Chriſtus pro ea paſſus fuiſſet, flens clamabat, & dicebat: *Quid retribuã Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* In quadam autem ſolennitate natalis, recogitare cœpit quod puer eſſet natus nobis, & quod pro modico placatur: tunc coram imagine B. V. MARIÆ habenti puerum IESVM in ſinu, cœpit cogitare de infantia Saluatoris, & tota perfuſa eſt lacrymis ex vera contritione cordis, quam Chriſtus puerulus ei conceſſit. Tunc ipſa obnixè, & ex intimis cordis ſui viſceribus ſupplicauit, quod propter ſuam benignam infantiam, qua venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, ſui miſereretur; tunc audiuit vocem dicentem ſibi; quod propter benignitatem infantiæ illius quam ipſa allegabat, ſciret omnia peccata ſibi eſſe dimiſſa; quę poſtea vitam ſuam realiter emendauit, & eam in bono finiuit.

Pſal. 115.

§. 11. Re-

§. 11. *Religiosa quædam à diuturno morbo, imaginem infantis IESV venerans, curatur.*

IN Euora ciuitate, est virginum Augustiniana-rum cœnobium S. Monica appellatum, in quo IESV pueri imago est. Post Natalis festum solēt illæ virgines, cui datum est, illum puerum sumere, & in suo oratorio collocare, & quotidie ante illum aliquas preces fundere; anno verò elapso, aliquâ paruâ veste eum induere, & ad eum locum referre, vnde sustulerunt. Tum fortè quædam religiosa, omnibus virtutibus ornata, grauissimis morbis duodecim annis afflictata fuit, & primis tribus annis elapsis, nerui qui in poplitibus sunt, ita cōtracti fuerunt, vt vel duabus ferulis iret, vel quadrupedaret. Præterea quolibet primo mensiū die ita Epilepsię morbo afficiebatur, vt multę virgines magna cū difficultate eam tenere possent; vbi autem sanctū Natalis festum aduenit, eò spectabat Monacha, vt pueri IESV imaginem habere posset, vt illam deuotionem ei exhiberet, quam ceteræ exhibere solebant. Et ante festum, cœpit de cælo illam procurare medicinam, quam in terris habere minimè potuit. Cùm enim maior missa celebraretur, hęc Monacha apud cancellos inferioris chori sedebat, & dum Epistola legi cœpta esset, statim se sanam factam esse sensit: at nihil dixit, ne missæ officium turbaretur; qua confecta, surrexit, & matribus dixit: Ego pueri IESV magna bonitate, & misericordia, sana sum. Tunc vna ex matribus, quæ manu baculum gestabat, ei porrexit eam eiusmodi auxilio adhuc egere existimans: illa verò manu illum capiens, cœpit per chorum ambulare, & cum videret se sine eo incedere posse, eum proiecit. In toto autem templo tantus motus factus est, vt omnes qui in ecclesia erant sibi narrari vellent: & mater illarum ad

Granat. l. 2 de Symbolo c. 7.

puerum

puerum I E S V M se conferens,& in lacrymarũ lætitię, & pietatis flumen conuersa, manibus sacrum filium suscepit, neceum osculari cessabat, inquiens,Domine sanasti Creueram, Domine sanasti Creueram(sic enim illa vocabatur.) Sãctus verò puer hac misericordiâ non cõtentus, ipsam etiam paulò pòst Epilepsia liberauit.

§. 12. *Natiuitatis Christi imago insculpta cordi B. Margaretæ.*

Granat. de Natiuit. conc. 3.

PLurimi in hoc sacro pręsepi, & in his infantilibus membris, & lacrymis contemplandis miras quotidie delicias experiuntur. Hinc de B. Margareta (cui cognomen est à Castello, Italię vrbe,vbi nata,atque sepulta fuit) hoc quoque inter miranda virtutum eius insignia memoratur, quod frequentissimè in huius mysterij contemplatione versaretur, maximisque in eo delicijs frueretur. Cùm verò post mortem, intestina ab eius corpore extraherentur,quò cadauer aromatibus conditum, propter fidelium deuotionem incorruptum asseruaretur,vbi cor eius ab ea qua pendebat,intestinorum parte abscissum fuit,vnio quidam insigni magnitudine, & pulchritudine, non sine ingenti miraculo inde erupit, in quo, velut in tabula quadam, Dominicæ Natiuitatis imago sculpta erat, eademque virgo genibus flexis, ibidem ante Dominicum præsepe collocata. Qui quidem vnio ad hunc vsque diem in sacrario domus B. Dominici (cuius illa tertium ordinem professa erat)seruatur. Hoc insigni miraculo voluit Deus, quàm gratum sibi fuisset huius virginis obsequium, mortalibus cunctis esse testatum. Quod ideo à me dictum est,vt venerandi huius mysterij imaginem,nõ tam margaritis,vel tabulis,quàm animis vestris insculperem,quę vos ad speciosissimi huius infantis amorem incendat.

§. 13. B.

§. 13. *B. Angela de Fulginio Virginem MARIAM puerum IESVM in templo offerentem videt, eumque vlnis excipit.*

IN Purificatione B. Virg. dũ essem (inquit illa) mane in ecclesia Fratrum Minorum de Fulginio, facta est mihi locutio dicens: Hæc est hora, in qua Domina Virgo MARIA venit cum filio in templum. Et hæc audiuit anima mea cum magno amore, fuitque eleuata, & vidi Dominam nostram intrãtem in illa hora, & obuiauit sibi anima mea cũ magna reuerẽtia & amore. Et cũ aliquãtulum vererer accedere ad eã, ipsa Domina nostra dedit animę meæ magnã securitatem, & extẽdit versus me filium suum IESVM, & dixit: O dilectrix filij mei, accipe, tradiditque brachijs meis filium suum, & videbatur habere oculos clausos, quasi dormiret, & erat pãnis inuolutus: ipsa autem paululũ resedit, & faciebat tam pulchros & delectabiles gestus, & mores tam honestos præferebat, vt anima mea nõ solum posset respicere puerum IESVM quem sic adstrictum tenebam inter brachia, sed etiam cogebatur respicere ad Dominam nostram. Dum igitur sic starem, subitò puer remansit in brachijs totus nudus, & aperuit, atque leuauit oculos, & respexit, & statim in aspectu illorum oculorum sensi tantum amorem, quod vicit me omnino: exiuit enim de illius oculis tantus splendor & ignis amoris atque lætitię, vt sit mihi indicibile. Et tunc subitò apparuit immensa quædam maiestas ineffabilis, dixitq; mihi: Qui non viderit me paruum, nõ videbit me magnum: & addidit: Ego veni ad te, & obtuli me tibi, vt tu te offeras mihi. Et tunc anima mea modo mirabili & indicibili obtulit semetipsam ei, nihil sibi nec de se nec de suis reseruãdo. Et intellexit anima mea, quod Deus illã oblationem meam, multum & cum magna alacritate acceptabat.

In l. qui dicitur Angela de Fulginio c. 45. Purificat. B. Virginis

§. 14. *Infantis IESV imaginem colens mulier, incedendi facultate donatur.*

Granat. l. 2 de Symbolo c.7.

APud idem cœnobium S. Monicę, de quo paulò ante, quædā mulier morabatur satis probe virtutibus ornata, & vt columba, simplex, hæc quatuor annis cruribus capta, & debilis, in lecto iacebat, & vnà cum hoc morbo sæpe molestissimis symptomatibus laborabat: delatā aliquando ad templum, ad V. Sacramentum recipiendum, dixit ei sacerdos: Hic expectes, vt te puero IESV offeras. Sacerdos igitur de altari puerum IESVM sustulit, & illum ei obtulit: ipsa verò vbi illius vestem contigit, sibi intrinsecus dici visum est, Surge; cumque surgere incepisset, illius pater, qui ad illius latus erat, existimans solitā malā affectione moueri, eam tenere cœpit: illa tum respondit: Ego surgere possum. & ita surrexit sana; & quicunque in ecclesia erant, attoniti, & stupefacti eam domum comitati sunt. Ego ab ipso Medico, & ab alio, illius vrbis peritissimo, morbi causam & tēpus inquisiui, qui postquam omnia explorassent, miraculum obstupuerunt.

§. 15. *IESVM ex MARIÆ manibus excipit S. Catharina.*

Nata est hac anno 1413. 8. Sept. ordin. S. Claræ.

S. Catharina Bononiēsis, sanctis incarnati Verbi mysterijs, sacratissimā illā natiuitatis Christi nocte, quouis die splēdidiore, occupata, infantem IESVM ex munifica Deiparæ manu accipere meruit, qualem panniculis inuolutum sua mater in presepe aliquando deposuit.

§. 16. *Ida nocte natiuitatis IESVM videt in Eucharistia.*

Dassignies to 2. c 18. sec. 4. an nal. Cister.

QVā nocte augustissimum partum Deipara in lucem edidit, Ida Virgo monialis, matutinis decantatis, in epistylio (quod vulgò Monasterij clau-

claustrum nuncupant) confederat: cùm ecce inter sacerdotis,per mediam noctem sacrum faciẽtis, hostiamque populo spectandam præbentis manus, puerulum formâ speciosissimum conspicatur: at illa subuereri cœpit,ne quid in posterum de fidei merito post eam visionẽ deperderet, sed recreata benignissimi Dei:cui explorata Virginis fides erat,interiori alloquio, ibidẽ cũ incredibili animi voluptate tãtisper permãsit, donec laudib. absolutis ad os manusq; abluendas sese cõferret; inde rursus ad templũ profecta,dũ secundo sacro attendit,pueri conspectu secundò recreatur. Ex hoc ipso loco, sub tertiũ sacrum, grãdiore formâ puerum ad se venientem vidit: porrò sic virginẽ compellauit puer: En ego me tibi,amantissima, panis inuolucro tectum detego: non quòd fidem tuam in dubium vocandam putem, sed vt meum erga te amorem insigni aliquo testatum faciam argumento. At illa secum tacito suspirio: O si mihi diuinitatis tuæ conspectu satiari daretur! Excepit augustissimus puer: Frustra id optas, quod mortalium nemini concessum fuit:id verò sit satis, quod vltro tibi nunc offertur, olim tempus erit, cùm ænigmate omni sublato,diuinitatis possessione perfruere. Hic pia virgo, verita, ne fors à consodalibus notaretur, si communionem tam celebri die intermitteret, puerum obtestatur, vt sibi preciosi corporis sumendi faciat potestatem: euanescit puer, sacramentum percipit virgo, & tanto pietatis sensu, vt quadraginta ipsos dies insequentes sese mirâ quadam, & incredibili sentiret voluptate perfundi.


§. 17. *Infantulo IESV offertur infantulus.*

Ioannes Hayus in historica relatione India Orienti

LAhoræ in India Orientali anno 1599. die Natali Patres in honorem & memoriam nati Saluatoris præsepium admodum illustre con-

ſtruxerunt, ad quod tantâ frequentiâ omnes omnium ętatum atque ordinum homines confluxerunt, vt viginti dies continuos, ad tria vel quatuor millia, pueri IESV nati effigiem adorarent. In his quidam vir Nobilis, puerum quem eâdē nocte atq; eâdē quâ Chriſtus natus eſt horâ vxor pepererat, pręſepi obtulit, baptizari permiſit, atque ipſe cum vxore catechumenus factus eſt.

De deuotione Ægyptiorum erga Chriſti venturi cunas ab Hieremia ipſis prædictas. Vide c. 1. §. 7. Vide etiam 2. p. c. 2. §. 5. 7. 8. 9. 10.



CAPVT IX.

BAPTISMI SVSCIPIENDI DESIDERIVM.

TRIA ſunt, vt Chryſoſtomus annotauit, quę amorem, & per hoc deſiderium accendere ſolent, pulchritudo, beneficia, & amor. res enim pulchræ amari ſe quodammodo cogunt, qui beneficia pręſtant, ad ſe amandos prouocant, & qui amant redamari merentur. ſed ſi hęc tria in vnum conueniant, vt qui pulcherrimus ſit ac nobiliſſimus, ſummis te quotidie afficiat beneficijs, teq; maxima amoris ſignificatione proſequatur, quomodo non ardētiſſimam in tuo pectore flammam amoris accendet? Hęc cauſa eſt cur pueri quoq; ad Deum, in quo hęc ſolo perfectē reperire eſt, per baptiſmi ianuam anhelēt toto pectore, dicâtque; *Quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Ferunt ceruum cum ſerpentibus perpetuum gerere bellum; eundemque cùm à venatoribus quæritur, ad môtes velociſſimo curſu confugere, mox ardentiſſi-

Pſal. 41.

ma

ma vrgeri ſiti, vt ab aquis inquirendis nullâ pratorum amœnitate retardetur, nulla viarum terreatur difficultate. An non meritò ad eum modũ pueri ſpretis mũdicupiditatibus, omni remorâ ſuperatâ, ad limpidiſſimas Baptiſmi aquas cõfugiãt, certamini cum ſerpẽte inito ſe ſubducãt, pedicas agitationeſq; venatorum effugiãt, ſitim ardentiſſimã aquis tuis (ô Chriſte) ſalutarib. reſtinguãt?

§. 1. *De S. Martino.*

S. Martinus cùm decimum attigiſſet annum, inuitis parentibus ad eccleſiam confugiens, in Catechumenorum numerum adſcribi voluit. *Ex Breuiario Romano 11. Nouemb.*

§. 2. *Puerulus enixè baptiſmum petit, & propinquos ad Chriſtum adducit.*

VErſabatur Firandi Gaſpar Vilela, cuius iuſſu Guilielmus vias vrbis ære cãpano circumiẽs, pueros ad Chriſtianam doctrinã Iaponicè diſcẽdam, in templum cogebat: ex quibus vnus admodum paruulus, nondum ad cœtum Chriſtianorũ adiunctus, Gaſparem adijt baptiſmum magnopere efflagitans; quem Gaſpar id ætatis puerũ, patre ethnico, cùm priùs perdiſcere iuberet doctrinæ Chriſtianę capita; reſpondit ille, nequaquam ſe inde abiturum, quoad baptiſmo luſtratus eſſet: denique domum ad ſuos regreſſus, ita cum parẽtibus egit, vt patrem, matrem q́ue, fratres, ac ſorores ad baptiſmum adduxerit. *Maffeius l. 2. Epiſt. Indic.*

§. 3. *Puer mirificè baptiſmum expetit.*

IN Fitæ tractu accidit res perlepidia, & ſcriptu digna. Honorato cuidam viro in Illia vrbe degenti erat filius octennis, præclaris naturæ donis præditus, qui verſus multos, & comœdias Iaponicas memorię mandârat, eaſque publicè exhibebat, tanta grauitate, & venuſtate, vt totius populi oculos in ſe conuerteret. hic ergo cùm ſermo à noſtris haberetur ad gentiles, nonnunquam ſe *P. Ioannes Hayus in hiſt. Indica in Miſſione Bungenſi.*

ad patrem nostrum & fratrem conferebat, qui mirificè eius colloquio recreabantur. Semel autē deditâ operâ ingressus tēplum, dixit Fratri: Habetisne aliquem *Photochi* (ita Deum suum vocant) quem aiunt pro hominum salute crucifixum? ostendite mihi, quæso, aueo enim illum videre, cūque illi frater ostēdisset effigiem Crucifixi, subitò addidit: Non video vllū vulnus in latere, quod tamen dicitur habere. Tum pater illi aliam effigiem Crucifixi ostēdit, quę stabat in altari, puerq; subiecit sibi illā potiùs quā alterā probari, propter sanguinē è latere, & spinis coronę, defluentē; & postquā diu aspexisset, & considerasset, postulauit sibi, prçstari baptismū. Tum Pater respondit, orationes quasdam priùs esse memoriæ insculpendas: puer verò: Iamdudum, inquit, insculpsi, & mox eodem eas loco recitat: subiecit pater: Qui vult Christianus fieri, necesse est, vt sit melius institutus, & paratus quàm tu sis, vestes enim illæ tuę, quibus nūc es indutus, sunt quotidianæ, ac pro recipiendo tam nobili sacramento opus est amictu elegantiore, quo vti soles in festis. Quo audito puer domum abijt, & post breuem moram, serica vestę pereleganti indutus rediens, dixit: Pater, ecce adsum, iam baptizate me quæso, quia magno baptismi teneor desiderio. Pater petitioni assēsit, cumque iam pararet se ad perfundendum eum sacrâ aquâ, puer institit: Pater expecta paululum, monitum te volo, ne dum caput aqua perfundis, madefacias meas vestes, sicut superioribus diebus cuidam, dum baptizaretur, fecisti. Quotquot autem præsto aderant admirati sunt octennis pueri prudentiam.

§. 4. *Puer in fossam, quòd baptizari vellet, coniectus, educitur, baptizatur.*

P. Petrus du Iarric. l. 1. hist. In-

MVlier Mahometanę sectę dedita, Christianos perosa, cùm filium suū Christianam doctri-

nam

nam frequentare animaduerteret, aureſque fidei Catholicę nonnihil accõmodare; mortem ei, Medea crudelior, moliri cogitauit. Affectato igitur itinere, vnà puerum per agros deducit, vbi in altiſſimam foueam, & facinori quod ſtruebat velut præparatam, filiolum ſuum præcipitat, pręgrandi ad os foueę aduoluto ſaxo, vt ibi miſeram animã miſer exhalaret. Verùm qui paruulum aliquando Iſmaelem in deſerto, & Moyſen in medijs vndis ſuo non deſtituit auxilio, etiam huic puero ſolitâ clementiâ dignatus eſt opitulari: miſit ſiquidem (quis enim à Deo bonos miſſos eſſe dubitet?) illorſum Chriſtianos, qui etſi à fouea fatali prope deflecterent, videri tamen à puero per tenue foramen poterant; eoſque vt agnouit eſſe Chriſtianos, inclamare cœpit: *Volo fieri Chriſtianus, volo fieri Chriſtianus.* hac voce attoniti, foſſę appropinquant, ſaxum remouent, auditaque rei ſerie Dei prouidentiam admirantur. Referuntur omnia ad Gubernatorem: Nefaria mulier ſceleris ſui pœnas meritas luit. Puer fidelium cœtui magnâ omnium gratulatione eſt adſcriptus.

dicta p. r. c. 11. anno 1590.

§. 5. *Egregium puellæ certamen pro baptiſmo ſuſcipiendo.*

VIlnæ puella Hebræa annorum fortè vndecim propter egregiam indolem animi, & morum elegantiam, erat in delicijs tum parentibus, quibus primarijs, atque opulentis orta erat, tum conſanguineis prope vniuerſis, ędes incolebat, ex quibus patebat aditus in domum adiũctam Chriſtianæ matronæ, quę virginib. informãdis Gynęceum inſtituerat, ex quo Hebręa inter has totum ferme tempus tranſigebat, parẽtibus propter loci opportunitatem, atque ętatis ſimilitudinem nõ modò non abnuentibns, ſed etiam probantibus; & vt ferè conſuetudinem familiaritas ſequitur,

Ex literis Societ. in Polonia 1592.

ac similitudo studiorum; quæ primà elementa fidei per piam magistram tradebantur ceteris, Hebræa quoque percupidè hausit, coluitque casto pectore, dante Spiritu sancto incrementum: deniq; ita confirmauit, vt non dubitauerit prodere se parentibus, cruce, flexione genuum, precationibus, alijsque signis(& quod maius est) volũtate Christianam. Non admodum permoti quòd illius ętatis desideria nullam in partem magnum opinarẽtur habere momentum: sæpe tamen cõcitata mater alienis illis cærimonijs, quas vsurpare, se inspectante, non verebatur, omnem stomachũ in eã ita vehementer effudit, vt verberibus, pugnis, calcibus malè mulctatã dimitteret. Sed his difficultatibus diuinum semen solet solidari, atque grandescere: quare puella iam flagrãs desiderio suscipiendi Christiana sacra, suum consilium, senili prudẽtiã, cum fidelibus matronis, & per eas cum Societate communicat. Res tota à nostris constituitur. Sabbatho quo familiã Synagoga tenebat, puella se domo abripit, & ad Christianas ædes, in quas fuerat constitutum, perfugit. Re cognitã parentes omnia implent clamoribus, subodorati quò se illa recepisset, obtestantur fidem magistratuum; & sibi requirendæ filiæ fieri potestatem efflagitant. Fit potestas, non inueniunt, maturè siquidem nostri studiosi effracto tecto eam in proximam domum coniecerant, & ementito habitu luce palam eductam, in loco tutiore collocarant. Non cessant Hebræi, suscipit Synagoga negotium, & illud vrget communi consilio, studijsque communibus. Circumcursant agmina Iudęorum, non pecunijs parcitur, non muneribus, & (quod iniquissimum est) oppugnatio feliciter ex ea parte succedit, à qua nos esse maximè tutos oportuerat. adeunt primates Ecclesiasticos, obsecrant, vt pro eorum imperio, sibi detur virginem

domum

domum reducendi poteſtas. vel onerati querelis, vel circumuenti ſuaſionibus, quòd teneræ ætati diffiderent, & rem longioris putarent eſſe conſilij; non obſcurè aſſentiebantur. Suis tamen ſtudijs in Hebræos id vnum effecerunt, vt in puella diuina vocatio, virtutis iudicijque maturitas, de qua ambigi fortè propter ætatem poterat, probatiora, atque teſtatiora eſſent, vt admirationem ipſis aduerſarijs excitarent. Seuocarunt puellam in ædes quaſdam ij, qui animum vel flectendum, vel tentandum ſuſceperant. Præſul quidam primarius ſciſcitabatur ab ea, cur fieri Chriſtiana vellet. Quoniam, inquit, intelligo ſolos Chriſtianos peruenturos in cælum. Atqui, ait Præſul, è Chriſtianis quoque permultos depreſſum iri ſcias ad inferos. Non ignoro reſpondit, ſiquidem illi ſe onerauerint ſceleribus. Ad hæc ille, Si ſcelera deprimunt, quid nî viuas inter Iudęos vitam ſine crimine? Valde vereor, reſpondit, vt apud eos id poſſim, ſed quamquam poſſim, mihi tamen certò ſcio nihilominus clauſum fore aditum ad ſuperos. Quærit, quam ob cauſam. reſpondit: Quia cæli atrium eſt Eccleſia. Vbi eam hic ita peritam conſpicit, ad aliam theſin dilabitur; Miſella, inquit, non ſatis percepiſſe videris te apud tuos fore ſemper in honore, & copia rerum: Chriſtianam, fore neglectui, atque contemptui, laturam famem, ſitim & rerum omnium inopiam, ad quæ illa: Libenter deſpiciar in tenebris, vt exalter in luce, hoc eſt in conſpectu Dei; malo ferre famem breuis temporis, quàm æternam; malo ferre ſitim, quàm ignes. Patieris verò vel inuita, ſubdit ille: mihi enim certum eſt parentibus te dedere, qui præſtolantur præ foribus, quique te quamdiu vixeris, maceraturi ſunt inopia, contumelijs, verberibus. Parentum no-

tum nomen vehementer percũlit teneræ puellæ pectus. Quare erumpente flumine lacrymarum, accidit ad eius pedes, eosque amplexata; Non vexationes, inquit, perhorresco, sed periculum; patere Domine tentari me, non obrui. eo denique sensu, eo ardore spiritûs deprecata est discrimen illud, vt omnes quotquot aderant flecterentur in misericordiam, & admirationem, & ipse Præsul admirabundus exclamauerit, *Digitus Dei est hic*; seque baptismo nullum obicem positurum promiserit. Quare cùm nullus alius auderet suscipere eius baptizandæ prouinciam, Episcopus Sarmogitiæ, qui per eos dies Vilnæ degebat, id egregiè prestitit. Plurimi mortalium confluxere ad spectaculum. In ipso sacri fontis mysterio tantam ostendit in subeundo pietatem, tantam in respondendo alacritatem, in pronunciandis fidei elementis industriam, vt celebraretur omnium plausu, atque sermonibus quotquot aderant, ipsi heretici vix temperarent à lacrymis, atque discederent, perfusi animum diuinâ quadam dulcedine, quæ etiam in ipsos è diuinis illis nuptijs redundare videbatur. Iam verò puella collocata in Niesuitiensi cœnobio virginum, omnibus prelucet ad virtutem.

Exodi 8.

§. 6. *Puer mutus per signa baptismum impetrat.*

Alanus Copus l. 5. c. 5.

PRoditum est puerum quendam mutum in India à Patribus Societatis IESV baptismum per signa studiosè postulasse, qui religiosè, atque venerabundè Christi in crucem acti imaginis latus, manus, pedes, contrectando, atque osculando, alijsque signis Christum pro peccatis mũdi obijsse, summamque reliquæ religionis intellexisse, nec imaginem illam pro idolo, vel pro ipso Christo accepisse satis demonstrabat, ita vt Patres dignum censerent, qui baptismo expiaretur. Hæc

tur. Hæc cùm ita ſint, cur Caluinus affirmat, nihil nos ex picturis de Deo cognoſcere?

§. 7. *Pueri Iaponij baptiſmum expetentis reſponſio.*

PVerum ſexennem mater à fide Catholica ſuſcipienda reuocare conabatur, hoc velut ariete ad mentem pueri labefactandam vſa: Chriſtianorum, aiebat, quantus eſt in tota Iaponia numerus? vbi de ſalute agitur, maxima pars eſt ſequenda. Quod quidem argumentum in matrem ſuam lepide ſapiens puer retorſit. Omnino, inquit, exiguus Chriſtianorum numerus in Iaponia, id fateor, ſed quid Iaponia vna ad tot Chriſtianorum regna? niſi fidem mihi habes, vide tabulam geographicam Ieſuitarum. mater eo reſponſo attonita, moleſtior eſſe deſijt. *Ex literis Iapon. anni 1606.*

§. 8. *Baptiſmi deſiderium in puella.*

IN quodam Regni Saſumani loco, inter gentiles omnes vnus agebat Chriſtianus, cuius vxor totaque familia quoque erat gentilis. Filiola autem octennis, cùm videret patrem crebrò vacare diuinis precibus, coniectis in eum oculis, vehementer recreabatur; cùm ergo aliquò pater iter longinquum nauigio ſuſcepturus eſſet, & familię vale diceret, filiola comprehenſâ veſte patris cum lacrymis exclamauit: Pater, pater, duc me tecum, & fac me Chriſtianam; atque age, vt baptizata viuam inter Chriſtianos, quia mater mea eſt infidelis, & non poſſum cum illa manere. Pater vehementiâ precum, & copiâ lacrymarum permotus, ſpopōdit ſe poſt reditum omnem operam, Deo propitio daturum, vt & baptiſmum ſuſcipiat, & vitam inter Chriſtianos reliquam tranſigat: ac vix potuit eam à ſe diuellere, propterea quòd nullus ibi eſſet Chriſtianus, qui illā de religione Chriſtiana inſtituere poſſet. *Ex literis Societ.*

§. 9. *Puer*

§. 9. *Puer baptiſmum expetens voti fit compos.*

In literis Societ. Reſid. Carigara anno 1596.

PVer non plus quinque natus annos, petendi cauſâ baptiſmi venit ad eccleſiam; re cognitâ parentes minis,ac blandicijs eum ab ea mente amouere conati ſunt: eumq; acceſſu eccleſię prohibuerunt. Adhæſit nihilominus tenello pectori diuinus ignis,dictitabatque velle ſe omnino in filiorum Dei numerum referri, quòd qui Chriſtiani non eſſent,diaboli mancipia,diræ illius addicerentur ſeruituti. Cōtigit vt vnà cum vitrico,alijſque ſuæ gentis infidelibus, è populi primoribus, puer coram noſtro ſacerdote verſaretur. Ignarus ſacerdos vitricum ab ea mente eſſe alienum,blādè puerum percunctatur, an Chriſtianus eſſe velit. Annuentem vitricus grauiter obiurgat. Ille nihilominus conſtantiam tantam præ ſe tulit, vt circunſtantes ipſius cauſam ſuſceperint, vitricūque ab ea mente deterruerint.Ita puer impetratâ veniâ, magnâ ſuâ noſtrorumque voluptate, per baptiſmum,Chriſtianorum cœtui adiunctus eſt.


§. 10. *Alius opportunè baptiſmi fit compos.*

Ex literis P. Gregorij Lopez pro. uincialis Philip. inſularum ann. 1608

IN quadam reſidentia Philippinarum inſularum ſexcentos Indos ſalutaribus aquis noſtri expiarūt,pręter infantes circiter ducentos,quorū pleroſque paulò poſt baptiſmū ad cęlum euolaſſe compertum eſt. Vocatus eſt aliquando Pater, vt morituro infanti vnda piaculari cælum aſſereret, verùm ſiue quòd is adeo eum periclitari non crederet; ſiue quòd infantes ad templum deferendi morem vellet inducere, tergiuerſatus eſt primùm:ad extremum tamen precibus victus acceſſit, ſed vbi nulla mortem ſigna pręnunciarent, perſtitit in ſententia, donec propius intuendo,ſignis infans geſtibuſque viſus eſt baptiſmum omni reiectâ morâ expetere. Hoc ergo permotus inſtinctu, aquam iubet expediri, & vix expleto

baptiſmi

baptismi ritu, inter susceptoris sui brachia nitentem efflat animam, cunctis qui aderant eam faustâ acclamatione prosequentibus.



CAPVT X.

IMPOSITIO NOMINIS.



OLIM die Circumcisionis primùm pueris imponebatur nomen, nunc quo die suscipitur baptismus; nec sine causa: Nam ante expiationem, nō sunt in fidelium admissi cœtum, ideoque vel nomine indigna dæmonis mācipia: quod tamen de Christo & ijs qui fuerunt in matris vtero sanctitate donati, accipiendum non est, cùm eorum nomina sint cælitus allapsa, & IESVS quidem ita nuncupatus est, *priusquam in vtero conciperetur.* *Lucæ 2.* Porrò inditur nobis Sancti alicuius nomen, tum vt Cęlites hac ratione celebriores, nobisque notiores reddantur, dum vnusquisq; suum sibi vindicat, tum vt quemadmodum à Deo mortales tutelarem Angelum accepere, ita Sanctorum aliquem adsciscant in patronum, cuius ope per tot rerum discrimina protegātur. denique ne desit vnquam cuius virtutes, ac res pręclarè gestas per omnem vitam ęmulentur, ad cuius quoque felicitatem nitendum esse admoneat ipsum nomen, nisi miserorum velimus esse miserrimi. Verùm non temere in impositione nominis progrediendum, cùm non sit cujusuis, sed sapientum dumtaxat, ac rerum cognitione & vsu præditorum, vt docet Plato, atque adeo ipsius *Plato in Cratylo.* Dei: hinc à Deo Patre IESVS nomen

accipere

accipere debuit, nam *Nemo nouit Filium nisi Pater.* Spectat deinde ad parentes, qualiter scripsit Zacharias: *Ioannes est nomen eius.* Est etiam dominorum seruis nomen præscribere; sic Adam cunctis animantibus quasi seruis nomen indidit, vti Dominum cui subijcerentur agnoscerent. Atque ita Dei iussu, Cælitumque admonitu nuncupatur quispiam, vel parẽtum, auorumque, aut susceptorum voluntate, qui fortè alicuius Sancti meritis impetratam infœcundis parentibus prolem, aut facili partu editam meminerunt, aut quia cuius festam lucem primùm vidit infans, de eius nomine meritò velint appellari.

Luc. 1.

Nouit humani generis hostis, quanto suo damno ea apud Christicolas inualuerit consuetudo, proinde omnia molitur, eam vt exterminet. huius instinctu reuiuiscunt etiam apud Christianos Amilcares, Scæuolæ, Ascanij, Cleopatræ: hinc quoque nostri temporis hæretici suos appellari volũt Abrahamos, Moses, Aarones, & similibus legis antiquæ nominibus: & quod magis mirère, Zuinglius calendarium composuit, vbi expunctis Sanctorum nuncupationibus in fastos inserere non dubitauit, non tantum priscos illos veteris instrumenti Patres, sed & malæ notæ homines atque improbos, Cainum parricidam, Pharaonẽ tyrannum, Balaam falsum Prophetam, & id genus plures, vt vel Paganismum reuocare velle, vel Iudaismum instaurare, ista nuncupatione videantur.

§. 1. *Nomen imponitur filio Agar.*

Genes. 16. CVm inuenisset Angelus Agar fugientem. *Ecce, ait, concepisti, & paries filium, vocabisque nomen eius Ismael, eo quòd audierit* Dominus *afflictionem tuam.*

§. 2. Re-

§. 2. Rebeccæ filijs nomen inditur.

QVi primus egressus est, rufus erat, & totus in more pellis hispidus, vocatumq́, est nomen eius Esau; protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob. *Genes. 25.*

§. 3. *Moyses vnde dictus.*

MOyses, quia proiectus erat in profluentem, indeque ereptus, ab hoc casu nomen sortitus: aquam enim Ægyptij vocant *Mo*; *yses* verò, seruatos; quare compositâ voce ex vtrisque nomen infanti fuit inditum. *Ioseph antiq. l. 2. c. 5*

§. 4. *Ioannes Baptista nomen accipit.*

DIxerat Angelus Zachariæ, *Vocabis nomen eius Ioannem.* & infrà: *In die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam: & respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum. & postulans pugillarem, scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. & mirati sunt vniuersi. apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur, benedicens Deum.* *Luca 1.*

§. 5. Nomen super omne nomen.

POstquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius I E S V S, *quod vocatum est ab Angelo, priusquã in vtero conciperetur.* *Luca 2.*

§. 6. *Vnde* S. *Vincentius nomen acceperit.*

CVm iam baptizandus esset S. Vincentius, & omnia parata essent, longa cœpit esse disceptatio de nominis impositione, singulis suum ei nomen imponere certantibus, nec lis facilè fuisset dirempta, nisi sacerdos tædio affectus, Quousque, inquit, inter vos diffidebitis? Ego infanti nomen imponere volo. Sit igitur nomen eius Vincentius. *Surius 5. April.*

centius: quod audientes conticuerunt, laudatóque prudentis sacerdotis consilio, vna voce acclamarunt, Vocetur Vincentius. Quod quidem diuinâ prouidentiâ accidisse haud dubiè putarunt, cùm nullus ex adstantibus, hoc nomine diceretur, & magna ab eo vinci, ac superari oportere, præsagâ mente presentiscerent. Quod accidit; vicit enim tria illa, de quibus August. scilicet *errores*, mirificâ sapientiâ: *amores*, integrâ mentis & corporis castimoniâ: *terrores*, incredibili animi fortitudine & patientia.

Aug. lib. de agone Christiano.

§. 7. *S. Gregorij nomen à Deo suggeritur.*

Greg. Presbyter apud Surium 9 Maij.

PEr nocturnam quietem matri S. Gregorij Deus, necdum concepti vultum ostendit, & nomen indicauit.

§. 8. S. *Arnulphus vnde nomen habeat.*

Surius 15. Augusti.

CVm S. Arnulphi mater summo dolore conficeretur, ob immaturam filij alterius mortẽ, apparuit illi vir sanè speciosus, & multâ luce splẽdidus, eique dixit: Quid ita teipsam consumis! filium ex hac mortali ad meliorem vitam translatum luges? certè si longiora vitę spatia ei concessa fuissent, per abrupta vitiorum, in sempiternę damnationis barathrum ruisset. desine igitur stulto te dolore afficere, quin potiùs exulta, quòd in vtero gestes puerum, supernâ prędestinatione in conspectu Dei magnificãdum, ideoque in lucem edito Christophori nomẽ imponi curabis, ipse enim verbis, & factis suis, in pectore Christum feret; & vt certò noueris hęc ita diuinitus præfinita, abi ad ecclesiam, & in cõsueto orationis tuę loco, humo fossâ inuenies lapidem, & nomine & meritis filij tui literis grandiusculis insignitum. Matrona tãtæ laudis percepto oraculo, summa mariti voluntate, & gaudio, illico assumptis famulis ad locum abijt, fossaque humo, lapidem quadratum, in eoq;

Christophori nomen exaratum inuenit. Natum deinde ad Arnulphum Aldenardẽsem, virum diuitijs, ac potentia insignẽ e sacro fonte suscipiendum dirigunt: is verò gaudio perfusus piæ nimio propinquitatis amore, & fastu, Arnulphi nomen ei imposuit. Etsi autem tum Christophori nomen non accepit, virtus tamen Christum ferendi, in dies in illo mirifice excreuit, & Arnulphus Christophorus tandem dictus, quòd sic eum mater ex diuina sponsione maluerit appellare.

§. 9. *Quæ nominis ratio in S. Iuliano.*


QVâ horâ S. Iulianus Episcopus baptizatus est, super lauacrũ iuuenis eminere visus est, mitra redimitus, tenensque manu pedum, qui diceret; *Iulianus vocabitur.* *Riladen. 28. Ianu.*

§. 10. *De S. Laurentio Dublinensi Episcopo.*

REdierat in amicitiam cum Comite de Rildara S. Laurentij pater, & infantem recens natum in fœdus amicitię miserat, vt salutari eũ vndâ perfundi curaret, iubẽs vt Conconor vocaretur. Ferẽtibus infantem ministris, venit obuiam quidã, qui (vt de Merlino apud Anglos legitur) Propheta apud eos habebatur: vera enim pleraque prænunciare probabatur; is vbi causam itineris audiuit, statim versum Hybernicum pronũciauit, cuius hic est sensus, Iste puer magnificus erit in terris, & gloriosus in cælis, pręeritque pluribus, tam diuitibus, quàm egenis, & erit Laurentius nomen eius, sic enim iubeo eum appellari. Ministris aliud in mandatis se habere dicentibus, non ausuros se à Domini voluntate discedere; dixit Vates: Ego hac nocte domum patris eius adibo, & vos de nominis mutatione satis reddam excusatos: illi ergo cœpto itineri insistentes, Comiti munus commissum obtulerunt infantem, qui magno cum gaudio susceptus, ab vrbis *Sur. 14. Nouemb.*

G Episcopo

Episcopo baptizatus, Laurentius, vti Vates præmonuerat, est appellatus. *Vide aliud* 1. *p*. c. 4. §. 10.



CAPVT XI.

BAPTISMI IN PVERIS EFFECTVS EXTERNI.

DVPLEX est precipuè baptismi effectus; alter remissio omnis culpæ tum originalis, tum actualis, omnis quoque pœnæ, quæ culpam comitatur. Confert item baptismus gratiam sanctificantem, & dona supernaturalia virtutum, fidei, spei, charitatis, cùm baptismus verè iustificet, & sine infusione gratiæ ac donorum iustificetur nemo. Hi sunt (preter characterem quem imprimunt) baptismi effectus, & quidem certi, preter quos externi alij cernuntur in corporibus, vt sunt deformitas per baptismum sublata, oculorum visus cæco donatus, morborum depulsio, & eius generis plures, qui non rarò diuinâ vi eduntur, siue in baptismi commendationem, siue vt ab extrinseca corporum affectione, faciliùs in gratiæ latenter illabentis operantisque cognitionem deducamur: & quamuis quæ in anima geruntur, omnino mira sunt (nam vnde ista tanta virtus aquę, inquit, August. vt corpus tangat, & cor abluat?) tamen externa illa, vel quòd rariùs eueniant, vel quòd sensus magis feriant, admirationem maximè solent hominibus ingenerare, atque de his exempla subijciemus.

August. in hom. 80.

§. 1. S.O.

§. 1. *S. Othilia, ab ortu caca, oculis per baptismum donatur.*

ILlustre virginum sydus,& nobile Ethiconis siue Helderici germen Othilia fuit, nisi quòd illi natura lucem inuidit, cùm in lucē edidit. Correxit vitium naturæ cœlestis gratia: sacro enim fonte à S. Erardo Reginoburgensi Pontifice tincta,oculorum caliginem absterſit,vti cœlum,quò tendebat,intueri posset,quod illi adeo placuit, vti terrâ fastiditâ, abijceret omnia quæ ex illa nata rursum occidunt, & quæreret nullis sæculorum ęternitatibus finienda.

Surius 13. Dec. Canisius eodē die. VVolfgang. Lazius historia Habspur. Radeus 3. p. Viridarij c. 3.

§. 2 *Baptismus deformitatem in puero tollit.*

ANno millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, Rex Tartarorum Cassanus cum ducentis equitum millibus Syriam cœpit, & finitimas regiones. Omnibus itaque formidandus petijt sibi vxorem filiam Regis Armeniæ,quòd audisset esse pulcherrimam. Rex Christianus tanti Regis viribus exterritus, dedit. Illa post aliquod tempus è viro suo Cassano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt Rex maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere, quòd monstrum videretur: vocat ad consilium primarios: de ipsorum sententia vxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptum,vltimo supplicio adiudicat. Innocens mulier infelicitatem suam deplorans, ad preces confugit, ignara consilij, petijt vt sibi liceret baptizare quem peperisset: data ei facultas, ita tamen, vt adessent baptismo aliqui fidei spectatæ viri,vnà cum Rege,ne qua fraus fieret. Mira res! vbi baptizatus est puer,adeo venustus, ac formosus apparuit,vt Rex tantâ re permotus cum plurimis nomen Deo dederit, & maximum Christianæ rei factum fuerit incrementum. Hęc Ioannes

Villaneus l. 8. c. 35. Bozius de signis l. 1. c. 16.

nes Villaneus, qui ijs temporibus fuit.

§. 3. *Mirum de puero baptizato.*

Cromerus l. 9. & in nouo orbe de Sarmatia Asiana c. 11.

SVb Boleslao Pudico Polonorum principe in Cracouiensi territorio puer quispiam dētatus, eodē, quo natus est die, distinctè, & articulatè locutus est; donec religioni Christianæ initiatus, & dentes, & sermonis vsum amisit.

§. 4. *Puer Caluinistico ritu baptizandus, mortuus reperitur.*

Bredenbachius l. 7. c. 52.

D. Walterus N. Canonicus aliquando Antuerpiēsis, modò autem post Catholicorum profligationem in Collegio Tungrensi Canonicus, testis oculatus narrauit, mulierem quandam Catholicam partu prolem enixam esse, quam cùm illa Catholico ritu; maritus verò hęreticus nouo illorum hominū schemate baptizari vellet, hunc à puerperę dormientis latere prolem surripuisse, & ad Caluinisticæ factionis præconem pertulisse. Præco puerum baptizaturus, mortuum deprehendit, cum patre grauiter expostulat, quòd mortuum offerret aquis expiandum, velitne sibi hac impostura ludificari? Pater inopinato casu consternatus mox domum reuertitur, vxoris cubiculum clam ingreditur, & ad latus etiam tum dormientis non qualem acceperat filium restituit. Paulò pòst euigilantem velut inuisurus, redit: rogat quo pacto agatur, quî habeat infantulus. Illa omnium ignara, infantulum complexa, bellè valere affirmat, valentemque patri exhibet. Pater rei miraculo stupefactus, Caluinianos errores respuit, & veram Catholicæ vxoris fidem amplectitur.

§. 5. *Ba-*

§. 5. *Baptiſmi cærimoniæ rite ſeruandæ.*

PRope Delphos contigit quoſdam in pagis baptizari; ſed ſpretis, & omiſſis à baptizante cærimonijs Catholicæ Eccleſię, pueri iſti omnes poſtea morbo correpti ſunt. Eorum parentes vltione diuinâ tacti, rogarunt paſtorem quendam Catholicum Delphis tunc agentem, vt cærimonias, quas ſciebant antiquitus ritu Catholico adhibitas, nunc verò omiſſas, ſupplere ne grauaretur. quibus peractis, mox omnes conualuerunt. *Bredenbachius l. 7. c. 48.*

§. 6. *Baptiſmi virtus circa corporis curationem.*

GOdefridus magiſter nouitiorum noſtrorum, ante cōuerſionem parœciam quandam regebat: hîc cùm die quadam puerum baptizaret, de cuius latere pendebat caro miri horroris, mox vt infantem in nomine SS. Trinitatis tribus vicibus immerſum extraxit, monſtroſum illud apoſtema nuſquam apparuit, quo viſo ij qui aderant glorificauerunt Deum, baptiſmi virtutem vbique prædicantes. *Cæſarius l. 10. c. 43.*

§. 7. *De infante ſanitati reſtituto.*

QVando peccatis noſtris exigentibus in obſidione Damiatæ Chriſtianus exercitus ex parte datus eſt in manus Saracenorum, Epiſcopus Beluacenſis ductus eſt in Babylonem captiuus, & cum eo multi: cumque ſatis humanè à Soldano tractarentur, femina quædam pagana, ciuis Babylonica filium ſic habebat infirmum, vt nulla ſpes vitæ eſſet in illo. Nocte quadam oſtenſum eſt ei in ſomnis, vt ſi prædictus Epiſcopus illum baptizaret, mox omnem corporis ſoſpitatem recuperaret. Illa ſollicita de filio, manè cum filia, ac parentibus ad Epiſcopum venit, quid viderit expoſuit, baptizari illum ſimiliter petiuit, *Idem c. 43.*

 & obti-

& obtinuit. Circunsterunt pagani, & riserunt: sed risus eorum versus est in admirationem: Nam qui desperatus intrauit, sanissimus baptisterium exiuit.

§. 8. *De ipso Cæsario.*

Idem c. 44.

CVm adhuc scholaris paruulus tempore quodam laborarem in acutis, & semel ac secundo post crisim recidiuassem, contigit vt puella quędam, quam matertera mea pecuniâ compararauerat, baptizaretur: habebat enim circa decem annos ętatis. Suasum est matri meæ, vt eodem linteamine quo illa de baptismo exierat, adhuc madido me inuolueret, & sciret gratiam sanitatis celeriùs sequuturam. Quod cùm factum fuisset, attactu illius aquę sacratissimæ mox in sudorem erupi, & conualui.

§. 9. *Puer baptismo expiatus tranquillatur.*

D. Ioannes Cardinal. de Turrecremata in reuelat. S. Brigittæ l. 6. c. 81.

PVer trium annorum quietari non poterat, nisi quando aspergebatur frigidâ aquâ; quod videns S. Brigitta, mirata est, cui dixit Christus, Vide iustitiam, & permissionem Dei; mater huius pueri diu à dæmone incubo vexata est, nam diabolus qui spiritus est, assumit sibi corpus de aëre, in quo lasciuiens ostendit se visibilem, experiendo cum illa femina quasi luxuriose malitiam & nequitiam suam, & licet puer de seminibus patris & matris natus est, maximam tamen diabolus habet hac in re potestatem, quia baptismate vero non est renatus, sed eo modo baptizatus, quo mulieres ignorantes verba Trinitatis, baptizare solent; ideo baptizetur puer *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* & sanabitur: mater verò confiteatur peccatum suum, & dicat, quando diabolus accedit ad eam, IESV Christe fili Dei, qui natus es de Virgine MARIA, pro salute hominum, & crucifixus es, & nunc regnas in cælo, &

lo,& in terra, miserere mei: quod mulier faciens liberata est.

§. 10. *S. Adilia inuisa parenti, visum recipit.*

LInthericus, summus aulæ Childerici Gallię Regis pręfectus, ex Persinda coniuge (coniungebat hæc affinitate S. Leodegarium, vt quidam volunt) filiolam suscepit, sed à natiuitate cæcam, quod patrem valde conturbauit, veritum ne ob latentem id fortè culpam suam irato Deo obuenisset. pia coniux hanc ei mentem eripere conatur, allato exemplo cęci illius Euangelici, qui *Neque ipse peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Verùm frustra omnia: irę permixtus dolor facinus molitur atrox, immane, horrendum: mandat vxori vti monstrum procul auehat in vltimas terras, vbi aut vitam inuisam trahat, aut (quod potius malit) perimatur. mater parendi necessitate compulsa, post preces Deo fusas, tale init consilium: nutrici concreditam tradit filiam, clanculum nutriendam, Christianisque institutis imbuendam. Fecit illa sedulò quod habebat in mandatis, donec per visum Episcopo cuidam ex Bauaria, Erchardo nomine, indicauit Deus, iret quamprimum ad monasterium quoddam, quod à palma nomen inuenit (huc enim se nutrix cum infante latitandi causa receperat) & cæcam ab ortu puellulam salutaribus aquis tingeret, Adiliam nuncuparet, post baptismum clarè lucem visuram. quę omnia & contigere, & patri eius fuerunt diuinitus reuelata. decessit sub idem tempus è viuis nutrix, eamque manibus suis Adilia, acceptorum beneficiorum memor, terræ mandauit. Porrò post annos 80, cùm fortè ibi foderetur, inuenta est mamilla eius dexterā, quâ Adiliam lactauerat, reliquo corpore putrefacto, integra prorsus, & recens,

Ex M. S. Opij in Diœcesi Namurcēsi (vbi est eius corpus) asseruatur. ex cusa est nuper vita Leodij.

Ioannis 9.

haud aliter ac si à pectore viuo, recenti vulnere secaretur, sanctitatem enim notans puellulæ prudens nutrix, dextram ei dumtaxat mammam solebat porrigere.

§. 11. *Baptismus, corporis simul & animæ eluit deformitatem.*

Ex literis Soc. Prou. Lugd. Collegio Auenionēsi anno 1598.

HEbræa mulier vsque adeo atrum, tetrumque enixa infantem effuderat, vt monstro similior, quàm puero esset: obstupefacta spectaculo obstetricem obsecrat vti in rem malam portentum efferat. Adit illa Christianam feminam vnicè piam, atque addictam Societati, quæ ex nostrorum consilio salutari aqua, paulò antè quàm moreretur, fœtum eluit, itaque elauit, vt non modò animus à natiua labe expiaretur, sed mirum dictu! corpus ex atro atque deformi pulchellulum euaderet.

§. 12. *Prolibus reliquis defunctis, vna baptismo lustrata, est superstes.*

Ex literis Iap. anno 1604.

GEntili cuidam in Sacaiana vrbe commoranti proles omnes (quæ adnatæ fuerant satis numerosæ) primâ ætate emoriebantur; persuasum est viro, vt infantem, qui ex tot restabat vnus, Christianis sacris imbuendum traderet: vix aquis salutaribus expiatus est, cùm solito valentior longiorem vitam spe haud dubiâ est pollicitus. Frequentat templum Societatis, seruis stipatus: sperandumque est, fore vt eius parentes hoc inducti exemplo propediem Christianæ fidei adiungantur.

§. 13. *Puella, miro modo cæca, visus conceditur.*

P. Petr. du Iarric. to. 1. hist. Indic. l. 2. c. 13.

SAncti Iacobi Residentia Collegio Cocinensi subiecta est. Hîc anno post Christum natum 1581. Ethnico cuidam imprimis nobili filia nata est

ta eſt oculis capta, quorum concauitatem informis caruncula expleuerat. Id cùm parens vidiſſet,ac pro ea,quam cum Chriſtianis habebat,cõſuetudine, multa ſupra naturę vires Chriſti Dei noſtri ope facta olim audiſſet, vouit curaturum ſe vt filia baptizaretur, ſi oculorum vſus datus illi eſſet. Voto facto viſum puella recepit. Cùm autem pater ſegniter cunctãdo, voti fidem exoluere negligeret, filia ſubita vi morbi correpta ad vitæ finem perducitur. tunc pater in voti neglecti memoriam veniens, votum iterum nuncupauit,filiæ ſe baptiſmum non vltrà dilaturum, itaque duplicis voti damnatus, pater filiam ad templum deduxit, eaque ſummâ omnium gratulatione baptizata eſt.

§. 14. *Baptiſmi efficacitas in puero.*


Ex literis P. Petr Gomez Viceprouincialis Indiæ ann. 1597

PVer ſeptennis crebrò tantis terroribus noctu exagitabatur, vt parentes quoque ſuos perterrefaceret. Pater tandem conſcius ſui lapſus, quo ab Eccleſiæ gremio diſceſſerat, ſtatuit illuc redire, filiumque ſanctis aquis tingendum offerre, quandoquidem conſtet ſolam religionem Chriſtianam hominem à dira diaboli tyrannide liberaturam. Certè ſimul atque puer baptizatus fuit, nulla amplius terriculamenta eſt expertus: mater autem cernens tantam baptiſmi vim, vnà cum ceteris liberis totaque familiâ, ſanctiſſimis lauacri vndis caput ſubiecit.

CAPVT

CAPVT XII.

LOQVELA PVERORVM MIRABILIS.



N more fuit apud priscos positum, vt editos infantes terram attingere iuberent, Opimque deam, vt nascentibus opitularetur eos sinu excipiens, inuocarent, nec vocem pueris dari priùs autumabāt, quàm terram attigissent. Plinius hoc ipsum innuit; Natura, inquit, hominē tantùm nudū, & in nuda humo, natali die abijcit ad vagitus statim, & ploratum. Sed vel sic sat citò vox datur ad calamitates deflēdas, longo postea sermone texendas: à fletu vitæ ducitur exordiū; & quidem notatum est à non paucis, mares densiore vti voce, vt sonent A. feminæ E vt illi Adæ, hæ autē Euæ, tristi iam tum næniâ prosequi videantur. Vt vt est, auditur primùm vox rudis, (quam deinde sermo articulatus distinguit) doloris, & voluptatis indicium, ideoque ceteris quoque animantibus à natura concessa: homo autem quia insuper accedente rationis vsu, iusti & iniusti discrimen admittit, sermone, & solus, vti potest.

Plin. l. 7.

Solus Zoroastes eadem hora qua natus est risisse legitur, & infelici omine.

Holcot in Sap. c. 7. Clamant E vel A. quotquot nascuntur ab Eua.

Sic autem se vox habet ad loquutionem: vox species est soni, sicut locutio species est vocis; & omnis locutio est vox, sed non è contrario; & sicut vox supperaddit sono refractionem naturalē in fistula pulmonis, ita locutio voci dearticulationem ad placitum. Ex quo materia locutionis naturalis esse colligitur, idioma verò artis. Non defuere tamen qui nomina res significare naturaliter, non verò ex instituto, arbitrarentur; quod si admittatur, non video quid causæ sit, cur non omnes vno vtantur idiomate: nam quod conuenit vni

nit vni naturaliter secundū speciem, ceteris eiusdem speciei congruere est necesse: Scribit tamen Aristoteles nasci hominem mutum & surdum; item audire priùs pueros dicit, mox loqui, vbi videlicet accedente ætate nominum significationē ab hominibus acceperint: quod nisi fiat, sed infans verbi gratia seorsum, à nutrice muta alatur, & ipse mutus erit, aut nullius saltem idiomatis vtetur articulato discrimine. quod infra patebit exemplis.

Quanta in linguę vnius efformatione Dei elucet sapientia! quid admirabilius, quàm auribus rerum tot obijcere simulacra? quàm membro adeo exiguo, tot vocum dissimilitudines siue earum rerum quæ oculis quotidie possunt vsurpari, siue quæ sub aspectum non cadunt, effingi? Vbi etiā insignis apparet linguæ necessitas, quā si careamus, res ipsæ semper in medium sermonem adducantur necesse sit, & assiduâ gesticulatione designentur. At quia volat irreuocabile verbum, linguę subseruit scriptura, non minori admiratione digna, dum literis 24. infinitas propè voces, atque conceptus, fugaci voce fidelior complectitur: vt linguâ auribus loquimur, sic scripturâ oculis, absenti iuxta ac pręsenti; hac mortui nos alloquuntur, nos verò seros nepotes. Sed vt ad linguā (Æsopicum epulum) redeamus, mēbrum est illa musculosum, neruis, venisque agitationi gustuique necessarijs instructum: ad eos quoque fines saliuâ indiget, quæ etsi excrementum sit dumtaxat, tum ex cerebro stillans in guttur, tum è stomacho feruente ascendens; satis tamen Dei prouidentiam testatur, dum linguam humectat assidue, linguam siccis alioquin faucibus adhæsuram, nisi saliua binis ad radicem linguæ carunculis, spongię in morem, imbibita, & per poros emissa, os perspergat vniuersum. Porrò cùm lingua

gua mentis sit interpres, non procul eam à cerebro collocari, rationemque velut magistram domicilium supra ipsam figere decebat, ne iniussa exiret in opus. cor dux illi est, & à consilijs, vt *Qua de re lege Epist. D. Iacobi c. 3.* supernè inferneque tutis sit munita præsidijs, quibus nullum aliud corporis membrum æquè indiget. Tenera est, & læuis, ne quem lædat; non aspera, non aculeata, filo religata velut retinaculo, ne nimiùm promineat, sed vt laxata reduci possit: dentium vallis sepitur, vt inter oris repagula contineri, & (si rationem præcurrat) ab hoc dentiũ velut satellitio possit etiam sanguineo morsu castigari. Sed hactenus de admiranda linguæ structura, quæ pueris omnibus cõmunis est: iam verò hoc & duobus capitibus proximè secuturis loquelã supra vim humanam mirabiles producemus, cum Deo bono, *qui linguas infantium facit disertas.* *Sap. 10.*

§. 1. Deus pueri Hieremiæ linguam ad magna erudit.

Hier. m. 1. F*Actum est verbum Domini ad me, dicens, &c. Prophetam in gentibus dedi te, & dixi:* A A A. *Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum: & dixit Dominus ad me: Noli dicere, puer ego sum, quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis, & vniuersa quæcumque mandauero tibi loquêris; & misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo.*

§. 2. *Hebræis infantes Christo acclamant insigni acroamate.*

MIrabilis fuit puerorum Hebręorum sermo, qui Christo *Osanna* acclamabant, si quidem verũ est quod Euthymius ait, fuisse scilicet infantes, & lactentes. *Stupore* (inquit) *plenissimum est hoc miraculum: tunc enim chorus puerorum lactentium clarè loquutus est,* &c. Pręterea D. Chrysost. in cõmentarijs

tarijs Psal.8. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem:* de ijs infantibus exponit his verbis: *Potentiam tuam, Deus, & hoc maximè ostendisti, quod vires imbelles moueris, & linguam balbutientem, & illam glorificationem clarã & expeditam feceris,* &c. S. Basilius eodem modo eundem locum interpretatur. Alij tamen lactentes pueros putant annorũ fuisse plus minus trium, qua ætate iam ambulãt, & fari incipiunt: nam vsque ad tertium annum lactasse infãtes Hebræas feminas, illa verba matris Machabæorum ad filium confirmant: *Te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi.* *2. Machab. 7.*

§. 3. *Loquitur infans recens natus.*

DAgoberti Regis filius Sigebertus, cum à S. Amãdo salutari vndâ lauaretur, nec vllus ex tanta hominũ frequentia finitâ post Catechesim prece responderet; ipse infans dierum quadraginta, cunctis audientibus respondit, *Amen.* *Sigeb. in Chronico an. D. 633. & Gaguinus de Regum Frãc. gestis.*

§. 4. *De S. Birgitta.*

AB ipso ortu suo Birgitta triennium ferè permansit elinguis, vt nec vllum ederet sermonem. sub finem verò triennij tam perfectè loqui cœpit, vt iam non infantium balbutientium more, sed contra ætatis eius vsum absolutè sua verba enunciaret. *Surius 23. Iuly.*

§. 5. *Loquitur in vtero materno B. Iacobus à Marchia Anconia.*

NAtus est Iacobus in Castello Montbrandonio in Marchia Anconia. hunc cùm gestaret vtero mater, & ad vicinam villam animi causa fortè perrexisset, inuadunt hostes oppidulum, omnia diripiunt; venit ad aures mulieris mœstus rumor, sollicita reditum molitur, sed vtero grauata comitibus præcurrẽtibus, destituitur, abijcit se in terram, pauore consternata: Mox vocem ex suo ipsius vtero redditam excipit eiusmodi: *Ne* *Ex Chron. S. Frãc. to. 3. l. 6. c. 1.*

time

time mea mater, lento viam insiste pede, inoffensa domum peruenies: qua voce animata, dat se viæ, eam facilè decurrit, pagum vniuersum ab hoste direptum inuenit, domum suam omnino seruatam, intacta omnia.

§. 6. *Pueri silentio nutriti.*

Sabellicus Enneade 1. l. 3.

PSannieticum Ægypti Regem cœpit cupido explorandi, qui hominũ primi extitissent, quiue sermo homini peculiaris esset à natura datus. Infantes duos iam inde à suo ortu, in stabulo iussit à pastoribus nutriri, qui caprarũ vberibus ambos admouerent, iussi nullam interim vocem emittere, sed silentium tantisper tenere dum puerorum explerentur desideria: mox clausos in solitudine relinqui. Post bimatum igitur pastori stabulum recludenti, ambo porrectis manibus procidentes clamant, *Beccus*. Tenuit pastor indictum silentium, sed cùm illud verbum sæpius iterarẽt, rem pastores Regi nunciant, mandat ille pueros silentio ad se deferri: ac cùm id per se postea explorasset, sciscitatus est cuius gentis vox illa esset, & quid potissimum significaret. Cõstitit Phrygas *Beccum*, panẽ appellare. Atque iam inde Ægyptij, qui se mortalium vetustissimos arbitrabantur, Phrygibus palmam vetustatis hoc argumento victi concessere. Hæc se Herodotus Memphi à Vulcani sacerdotibus cognouisse prodidit: Alij, quibus haud grauatè accedo, à mutis nutricibus infantes educatos memorant.

§. 7. *Infantes sine doctoribus verba non formant.*

Ex literis P. Hieron. Xauier, & P. Emanuelis anno 1598.

REx Mogor narrauit Patribus nostris viginti prope annos fluxisse, cùm triginta infantes, priusquam voces primas formarent, certo loco concludi fecerit, adhibitis custodibus, ne nutrices in earum gremio lactentes ad loquendum pusiones prouocantes, propriam & natiuam linguam edoce-

edocerent; vt hoc experimẽto disceret, quo idiomate iam adultiores facti vterentur, quòd illius gentis ritus & leges sequi vellet, cuius lingua loquerentur. sed vanas has fuisse suas cogitationes & studia, quòd nullus eorum distinctè & intelligenter verba formauerit: quare eo tempore nullam aliam à sua legem admisisse.

§. 8. *Prima Francisci Borgiæ verba.*

FRancisci parentes cauerunt diligẽter ex Platonis præcepto (l. 2. de repub.) ne tenera eius ætas ineptis nutricum fabulis inficeretur, sed potius cum lacte virtutis semina imbiberet, cuius etiam felici omine verba prima teneris labellis efformata animaduersum est hæc fuisse, IESVS, MARIA. *Ribad. in eius vita.*

§. 9. *Infans semestris in laudes MARIÆ prorumpit.*

COnimbricæ initio cùm doctrinam Christianam tradendi ratio non esset tam illustris, aliquando in foro interrogauit P. Ignatius Martinus (quem hoc ipso anno obijsse dixisse nollem, lumen Lusitaniȩ vniuersȩ, sed ad immortale Beatorum consortium migrasse) ecquis esset, qui velit notâ oratione Virginem salutare? conticuisse omnes, ex inepta verecundia certum. Hîc infantulus semestris pendens è materno sinu, infantili gestu, sed non sono, *Aue*, inquit, *MARIA gratia plena*. Quid fecisset multitudo excitata re, quæ audita vix fidem esset habitura? *MARIAM gratia plenam*, vociferari cœpit. *Ex literis Societ. anno 1598.*

CAPVT

CAPVT XIII.

INFANTIVM LOQVELA AB INSONTIBVS ABsterſæ calumniæ.

MVLTIS ſuperiori capite egimus de linguæ organo,& mirabili pùerorum loquela: illud hic oſtendendum eſt (quod eodem pertinet)non raro Deũ infantili locutione inuſtas inſontibus calumniæ notas abſterſiſſe; omnium enim ſummus arbiter Deus, premi quidem ſæpe, ſed opprimi nunquam, quemquam ſinit.

Dan. 13. Ibat caſta Suſanna grandinem exceptura lapideam, cùm puer Deo plenus Daniel ſuſpendere iubet ſententiam; moxque in machinatores facinoris, ſtatuta eſt pœna talionis. Pueri tres inter

Daniel. 3. fornacis Babylonicę flammas comitem habuere Angelum lætabundi, & ex tuto vidère ignium globos in ſuos auctores retortos. quid plura commemorem? potuit S. Staniſlaus virum ab inferis,qui calumniam de iniuſtè aditâ poſſeſſione, inſolito ſuo teſtimonio,dilueret,excitare;nec potuit Deus, vt inſontem quoque defenſum daret, præpeditam adhuc infantis linguam diſſoluere, ſolitumque loquendi tempus in eo præuenire?

Num. 22. Potuitne aſinus ille Balaam immerentem ſe proloqui, & de impactis iniquè verberibus conqueri; nec poterit infans innoxium alium, Dei rerum omnium effectoris iuſſu pronunciare? Sci-

Prou. 16. licet *Domini eſt gubernare linguam*,eamque ſiue ad iniquum vituperium propulſandum, ſiue ad debitas laudes canendas, expedire: his enim duobus capitibus continetur laus perfecta,de qua ſic

Pſaltes

Psaltes Regius ait, *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem.* *Psal. 8.*

§. 1. *Infans innocentem ab impudicitiæ suspicione liberat.*

DAniel Abbas Ægyptius aliorum rogatu domum cuiusdam rustici ingressus, eius vxori diu infœcundę ac sterili, sobolem oratione à Domino impetrârat. Vicini tumescente mulieris ventre animaduerso prętér solitum, ab Abbate impregnatam putarūnt; & postquam peperit, Daniel omnibus ad spectaculū cóuocatis, infantulum per Deum obtestatur, vt quis pater eius esset palam euulget: Moxque qui infantiles tantùm vagitus edebat, articulatis verbis enunciauit, patrem suum esse mulieris maritum. Igitur palinodia cantatâ, omnes Danielis sanctimoniam cœperunt suspicere atque extollere: cuius precatione factum est, vt & sterilis conciperet, & infans vix dum natus dictinctè loqueretur. *Ex vitis PP. Maiul. l. 5.*

§. 2. *Sergium Papam ab iniusta infamiæ nota absoluit alius.*

SEmper à periculis bonos eximit Deus. Pepererat ex incestu mulier. æmuli Papæ Sergij in eum culpam referebant, castitati eius labem inurentes: at S. Anthelmus Episcopus Pontificis Romani famam labefactari minimè passus, domum infantis nondum diem nonum agentis adit, iubetq, vt aperiat suis verbis, si sit Sergij Pont. Rom. filius. Respondit infans absolutissimo sermone, Sergium Pontificem eo scelere immunem esse, nihil illum cum Venere comercij habere. *Surius in vit i S. Anthelmi, to. 3. c. 3.*

§. 3. *Calumniam à Broone Episcopo abstergit infans.*

FŒmina, quæ non minùs impiè quàm impudenter se filium ex Episcopo Broone susce- *Surius in vita S. Brigidæ i. Feb.*

 pisse

ipse mentiebatur. Hanc S. Brigida cum accersiri iussisset, & ori eius salutare sanctę Crucis signum impressisset, illico caput cum lingua processis mulieris magno tumore inflatum est: deinde simili modo infantis consignas linguam, Dic nobis, ait, infantule, quis tuus pater est? stupenda res, aperto ore per eum, qui quõdam Balaam asinæ loquendi pręstitit facultatẽ, ait infans: Nequaquam Episcopus Broon, sed vilis ille hominũ, qui extremo in populo, sedet loco, parens meus est.

§. 4. *Puer ad vitam reuocatus occisorem prodit; innocens absoluitur.*

Discipul. de miraculis B. Virg. §. 23.

ADulter quidam habuit vxorem probam, & deuotam B. Virgini; sed miser adulter odiuit eam multum: propter inconstantias mariti, mulier ad tantam deuenit inopiam, quod oportebat nutrire puerum cuiusdam militis. Adulter ob inuidia vxoris suæ, venit occultè, & amputauit puero guttur, & recessit; mane dum mulier euigilasset eum volens lactare, vidit puerum occisum, & in tantum clamorem prorupit, quod omnes qui aderant in hospitio, vigilarent. Illud non latuit patrem & matrem & omnes qui aderant in ciuitate. Mulier deprehensa ducitur ad iudicium: & cum esset adiudicata morti, non habens prolocutorem, respiciens in cælum, dixit: *O MARIA*, tu scis innocentiam meam, me tibi commendo. His verbis finitis venit vna Domina, quę puerum speciosum portabat, hæc omnes verbis alloquens: Sustinete vos iudices: quia iste puer erit hodie iudex. statim puer alloquebatur iudicem: sic debet esse iudicium de homicidio. occisus apponatur; & tunc responsio mulieris audietur. de sapientia huius pueri omnes mirabãtur, & statim puer occisus apportatus fuit. Tunc dixit puer in iudicio: Iustè iudicate filij hominum. & dixit puero occiso: In

ſo: In nomine Domini ſurge, & nomina illum qui te occidit. ſtatim puer ſurrexit, qui erat occiſus; qui antè non fuit loquutus, cœpit loqui, digito oſtendēs occiſorem. Sic muliere dimiſſa adulter deprehēſus eſt. Interim Domina cum puero euanuit, & adulter alligatus ad caudam equi miſerrime interijt.

§. 5. *Puer ad vitam à S. Thoma Apoſtolo reuocatus, eum ab infanticidij ſuſpicione liberat.*

CVm S. Thomæ verbis maior in dies accreſceret fides, Brachmanas autem fuco & fallacijs parta iam authoritas, iam ſagina deficeret, accenſus rabie quidam ex ijs, fœdum ac ferum facinus mali dæmonis inſtinctu cōſtituit. Filio admodum puero ipſemet necem intulit, vt haberet vnde peregrino & inuiſo capiti crimen exitiumque conflaret: citatus ad Regem Thomas, cùm accuſator ab eo per ſummam indignationem & querimoniam pœnas filij extincti repeteret; contrà Thomæ diſcipuli affinem aut omnino conſcium eius culpæ magiſtrum negarent; nihil opus eſſe coniecturis & certaminibus ait Apoſtolus; ab ipſomet qui occiſus dicatur, omnium optimè rem cognoſci poſſe; petit vt eius publicè interrogandi poteſtas fiat. Nihil recuſatum ab aduerſario: & cunctis tam inauditæ rei expectatione ſuſpenſis, cadauer in mediū affertur. Tum ad examen puerum Thomas placido & ſereno vultu conuerſus, Agedum, inquit, per Chriſtum, quem ego Deum prędico, palam & ſine ambagibus puer prome, quiſnam huius tanti ſceleris author extiterit? mirum dictu, ad Chriſti nomen, frigido & exangui corpuſculo vitales confeſtim rediere ſpiritus, & clarâ voce, vt omneș exaudirent, Thomam certū ſummi Dei legatum, & ipſius odio, ad ſtruendam illi calumniam, nefarias à parente ſibi manus il-

Maffeius l. 2. hiſt. Indic.

latas esse confirmat. hac tam illustri tamque admiranda testificatione fractus calumniator obmutuit. Sagamus Rex propenso iam ante ad credendum animo, Christianam deinde fidem ac religionem sine vlla dubitatione complexus est. Regem ex amicis & popularibus imitati complures: Brachmanis, quamquam detectâ diuinitus fraude, & pulso in exilium parricidâ, pertinax tamen & cœca mansit improbitas.

§. 6. *Infans diaconum quendam castum pronunciat.*

Abdias histor. Apost. l. 6.

FActum est vt vnus ex diaconibus pateretur crimen incesti: erat enim vicinus filiæ Satrapæ cuiusdam ditissimi hominis, quæ perditâ virginitate, partum edens periclitabatur. Interrogata autem à parētibus, virum Dei sanctum & castum, Euphrosynum diaconum, impetebat. Qui tentus à parentibus puellæ, vrgebatur subire vindictam. Quod vbi Apostoli audiuerunt, venerunt ad parentes puellæ; at illi cum aspexissent Apostolos, cœperunt clamare, & diaconum reum huius criminis accusare. Tum Apostoli: Quando, inquiunt, natus est puer? responderunt, Hodie, hora diei prima. dicunt eis Apostoli: Perducite huc infantē, & diaconum quem accusatis, huc pariter adducite: cumque in præsentia essent, alloquuntur Apostoli infantem, dicentes, *In nomine Domini nostri IESV CHRISTI* loquere, & dic si iste Diaconus præsumpserit hanc iniquitatem. Tum infans absolutissimo sermone ait: Hic diaconus vir sanctus & castus est, & nunquam inquinauit carnem suam, rursus autem insistebant parentes Apostolis, vt de persona infans interrogaretur incesti: qui dixerunt: Nos innocentes soluere decet, & nocentes prodere non decet.

§. 7. *Infans à S. Brixio infamiam remouet.*

MVlier professione, non opere, Religiosa, quæ indumenta & linteamina lauare consueuerat, illicito cum quodã coitu prolem edidit. Brixius Turonensis Episcopus, qui D. Martino successerat, commissi reus agitur: afferri puer necdum menstruus iubetur; qui Brixio in nomine Christi interroganti, respondit, ipsum non esse patrem suum, quis autem esset, non indicauit. Plebs arti magicæ deputat quod virtute fiebat diuina: in illum fremebat: ipse prunas in sinum congestas per vrbem tulit, dicens: Sicut vestimentum hoc non vritur, ita ego à libidinis flagitio alienus sum. Nec tamen persuasit, sed ab Episcopatu deijcitur, at duobus successoribus paucorum dierum spatio vitâ defunctis, ipse septennio pòst in sedem suam restitutus est. *Marulus l. 5. c. 1. Sab. l. 10. c. 2. Fulg. l. 8. c. 1. Surius in vita S. Brixij*

§. 8. *Puer à S. Antonij Paduani parentibus, cædis notam iniustam remouet.*

CVm Paduę degeret vir Dei, Vlysbonæ duo ciues inexpiabili odio se mutuò prosequebantur, è quibus alter iuxta ædes parentum beati viri manebat, & cùm horâ vespertinâ filium hostis sui in platea inuenisset, per summam crudelitatẽ iugulauit, & intempestâ nocte in horto parentum viri Dei factâ foueâ eum sepeliuit. Cùm autem nobilis esset is, cuius filius cæsus erat, inquisitum est diligenter, & repertum eius filium illac transisse, vbi eius inimicus morabatur. Itaque eius domo & horto lustrato, nihil compertum est; itum est ad vicinas ædes, & in horto illarum pueri cadauer inuentum: itaque pater sancti viri cum tota familia coniectus est in vincula, tanquam reus cædis illius. Vt verò tanquam per spiritũ Paduæ cognouit vir Dei, vesperi petijt à Guardiano copiam exeundi, quæ illi negata non est. Eadem *Sur. 13. Iunij.*

nocte magno miraculo, Vlysbonam perductus est,& proximâ luce ad iudicem se contulit, rogãs vt insontes è vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante petijt cadauer perempti pueri ad se adferri: quo allato, iussit surgere puerum, & dicere, num à parentibus ipsius occisus esset: ille surgens dixit eius cædis illos prorsus conscios non esse, atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto illo die cum parentibus suis vir beatus, & mane angelico ministerio Paduam reductus est.

§. 9. *Puer Hugo à matre crimen adulterij Dei ductu remouet.*

Spondanus in Cõpend. Baronij.

OBijt anno 1001. vir insignis, Hugo, Marchio Etrurię, & dux vrbis (pręcipuus is erat Magistratus) estq́ue Florentiæ in monasterio Sanctæ Marię sepultus: dignumq́ue memoria est quod de eius ortu narratur; nimirum quod cùm Vbertus pater eius indignationem primi Ottonis incurrisset, ac subinde relictâ nesciens coniuge grauidâ in Pãnoniam profugus exulasset; post multum verò tempus redijsset in gratiam, coniugem cum grandiuscula prole reperiẽs, negauerit se eius esse parentem, quousque re diutius ventilata, sic inter eos conuentum est, vt puer in medio magnę religiosarum personarum multitudinis constitueretur, inter quas & pater, quem nunquam ipse viderat, nullâ à ceteris varietate distinctus sederet; tumq́ue si patrem puer blandiens adiret, ab omni suspicione matrem liberaret; quod etiam ex optato contigit.

CAPVT

CAPVT XIIII.

PVERILI VOCE EDITA ORACVLA.

PLVRIMA fuerunt, & valde ambigua priſcorum oracula, quę nonniſi tranſactis plerumque negotijs intelligi poſſent, quęque ventura, ſæpe etiam non ventura prædicerent, quibus tamen poteſtas tenebrarum irretitas hominum mentes, ne ad diuiniora attollerentur, detinebant: verùm de oraculis eiuſmodi hic non agimus, at de ijs dumtaxat quæ puerili voce edita apud hiſtoricos leguntur, vt oraculum idem fere ſit quod vox quædam à Deo profecta aliquid inſolitâ ratione edicens, minitansve. Non defuerũt ex aſtrorum peritis, qui loquelam tempus à natura pręſtitutum præuenientem, aptę cuidam planetarum proportioni & coniunctioni adſcripſerint; ſicut præcelerem auditum fieri adſtruunt ex aptitudine Saturni & Iouis cũ Marte: Saturnus enim dextram aurem, Iupiter ſiniſtram ſignare (vt ipſi aiunt) videtur. Verùm quomodo infantes eiuſmodi, vernaculâ linguâ, aut peregrinâ, vel alicuius demum idiomatis proprietate vtantur, vnde tam repentè rerum vocabula, quæ non naturaliter, ſed ex impoſitione hominum res ſignificant (vt ſuprà probauimus) condiſcant? & quomodo ſtatim atque prodigium manifeſtarunt, dicto citiùs obmuteſcunt, donec ſolitum loquẽdi tempus accedat? veriùs ergo primum in authorem rerum omnium Deum id referemus, qui vt ad diluendas inſontis calumnias, ita ad edenda oracula in infantibus loquendi facultatem accelerat: ſic locutus in crepundijs legitur apud Plinium Crœſi filius, *Plin. l. 11. c. 51.*

lius; quo prodigio totum id regnum concidit: sic illi de quibus sequuntur exempla.

§. 1. *Infans Ambrosium Episcopum inclamat.*

Baron to. 10. anno 862.

DEfuncto Auxentio Arianorum Episcopo, qui Cathedram non regendam, sed dilaniandam tenebat Episcopalem, cùm ad electionem Episcopi popularis fieret in ecclesia conglobatio (id forte examen apum ad os infantis volebat) ecce quidam infans acclamabat, dicens: *Ambrosium Episcopum.* ad quam vocem & omnis illa conuentio similiter acclamabat: *Ambrosium Episcopum.* Atq; ita qui se multis voluisset occultare argumentis, & à tanto honore delitescere, ad salutem fideliũ tandem superatus, ad sacerdotalem ab omni populo & clero diuinitus est dignitatem electus; & (quod mirandum magis est) e catechumeno, per singulos gradus Ecclesiasticos proficiscens, octauo die ab omni Catholicorum consensu est consecratus Episcopus.

§. 2. *S. Cuthbertus puer octennis ab infante de Episcopatu præmonetur.*

V. Beda in vita eius c. 1.

PVer Cuthbertus necdum sciebat Dominum, neq; reuelatus ei fuerat sermo Domini; oblectabatur enim iocis & vagatibus, & iuxta quod ætatis ordo poscebat paruulorum conuenticulis interesse cupiebat, ludétibus colludere desiderabat: & quia agilis naturâ, atq; acutus erat ingenio, contendentibus ludo sæpius præualere consueuerat, & siue saltu, siue cursu, siue luctatu, seu quolibet alio membrorum sinuamine exercerẽtur, ille omnes æquęuos & nonnullos etiam maiores à se gloriabatur esse superatos. Cũ enim esset paruulus, vt paruulus sapiebat, vt paruulus cogitabat, qui postmodum factus vir, plenissimè ea quæ paruuli erant, deposuit: & quidem diuina dispensatio primitus elationem animi puerilis digno se pædagogo

gogo

gogo cōpescere dignata est: nam sicut beatę memoriæ Trumuuine Episcopus ab ipso Cuthberto sibi dictum perhibebat, dum quada die solito luctamini in campo quodam nō modica puerorum turba insisteret, interesset & ipse, & sicut ludentiū leuitas solet, contra congruū naturę statum varijs flexibus membra pleriq; sinuarent, repentè vnus de paruulis, triennis ferme, vt videbatur, accurrit ad eum, & quasi senili constantia cœpit hortari, ne iocis & otio indulgeret; sed stabilitati potius mentē simul & membra subiugaret. Quo monita spernente, luget ille corruens in terram, & faciem lacrymis rigans. accurrūt consolaturi ceteri, sed ille perstat in fletibus. interrogant quid haberet repētinū, vnde tantis afficeretur lamentis? at ille tandē exclamans, consolāti se Cuthberto, Quid, inquit, Sanctiss. Antistes & Presbyter Cuthberte, hæc & naturæ & gradui tuo contraria geris? ludere te inter paruulos nō decet, quem Dominus etiā maioribus natu magistrū virtutis consecrauit. Audiens hæc bonæ indolis puer, fixâ intētione suscepit, illo nimirum spiritu interiùs eius præcordia docente, qui per os infātis extrinsecus eius aurib. intonuit.

§. 3. *De S. Medardo.*

S. Medardus S. Eleutherium habebat valde familiarē, cui colloquens aliquando puero puer Episcopum eum futurum dixit. *Sur. 8. Iunij.*

§. 4. S. *Andreas Fesulanus, Episcopus pueri oraculo pronunciatur.*

DIscesserat è viuis Episcopus Fesulanus, & communi electorum voce subrogabatur Andreas: quod vt ipse inaudijt, in Carthusiā, clam omnibus, se recepit; cumque de eo iam inueniendo desperarent, & de alio eligendo cogitarent, pusio qui fortè adstabat clarâ edixit voce: Andream Presbyterum elegit Deus, itote ad Carthusiā, illic orationi incumbentem inuenietis. Quo attoniti *Ribaden. 6. Ianuarij*

oracu-

oraculo,ſcrutinium abijciunt,eo ſe conferunt: orãti patefaciunt diuinam voluntatem, ipſeque lumine cæleſti colluſtratus tandem eorum importunitati acquieuit.

§. 5. *De S.Udalrico infantis mira vox.*

Sur. 4. Iulij.

INfans quidam nondum trium menſium, tale de S.Vdalrico edidit oraculum: Niſi, inquit, infans ille celerius ablactetur, non poterit eſſe ſaluus. Cumque ſemel ac ſecundò admoniti minùs tanti præconis dicta vellent exequi,tertiâ demum die, cùm prædictum infantulum adhibita aure præſenſiſſent adhuc infirmiorem,hanc præſagam coram omnibus intulit vocem: Sciatis pro certo, quod niſi continuò ablactetur,continuò ſit moriturus. At verò ſi meum conſilium ſecuti eum morti ſubtrahatis, magnus in futurũ coram Domino erit. Amotus ergo à lacte cœpit corpore & animo in poſterum vigere.

§. 6. *In ſumma Orbis trepidatione inſperata infantis vox.*

Boſius de ſignis Eccl. l.24. c.8.

ANno milleſimo centeſimo decimo ſeptimo, in octaua S. Ioannis Euang. terræ motus bis inter diem & noctem tam terribilis per totũ terrarum orbem factus eſt,vt multa ædificia corruerent, & homines vix effugerent: ſed maximè in Italia, vbi tam periculoſus & horribilis fuit, vt manifeſtum Dei iudicium ſuper ſe homines expectarent, cùm per diuerſa loca Italiæ, ciuitates, caſtella, villæ, cum hominibus inibi commorantibus,ſubito hiatu terræ deperirent. Nam & montes ſciſſi ſunt, & flumina terrâ deglutiente exſiccata ſunt,vt qui vellent,pedibus tranſire poſſent: neç non fluuius Padus de alueo ſuo ſe erigens, in modum fornicis in altum ſe extulit,vt via pateret inter aquam & terram, & apertè daretur intelligi, quod elatis fluctibus mundo exitum minaretur:

tur: cumque ſic diutius aqua penderet, tandem in ſemetipſam tanto ſonitu demittitur, vt murmur illius per milliaria audiretur. His tam mirandis, tamque tremendis ſignis circunquaque diuulgatis, & tribus diebus in ieiunijs & orationibus per totam Italiam ab omnibus peractis, apud Cremonam quidam infantulus in cunis iacens, pannis obſitus, in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit, matremque ſuam eſcas parantem fratri ſuo maiori, qui plorando panem petiuerat, à corporis curis compeſcuit, aſſerens ſibi viſam Dei Genitricem MARIAM ante CHRISTI tribunal ſtantem, inſtantiſſimiſque precibus pro iudicio, quod mundo propter peccata ſua dare intenderat, ipſi ſupplicantem, ac poſt hæc depoſuit eloquium, vſque ad tempus humanæ conditionis congruum. *Infantis oraculum.*

§. 7. *Infantis de clade Polonica vaticinium.*

INfans ſemeſtris in vrbe Cracouienſi prolocutus Tartaros aduenturos, & Polonorum capita præciſuros eſſe prædixit: rogatuſque, diuinitus id ſe ſcire, & ſibi quoque illud malum impendere, reſpondit. Quod poſt duodecimum animum euenit. *Cromerus l. 9.*

§. 8. *Infans Regni deſolationem vaticinatur.*

HAli Abaragel commemorat in Regia ſe vidiſſe natum infantem, qui vixdum 24. horis vitæ perfectis, loqui incepit, & manu ſigna facere, qua re vehementiùs Rege conterrito, acceſſiſſe miraculum maius: Nam Rege, inquit, adſtante, & me quoque, cum multis alijs, exclamauit infans: Sum, inquiens, infeliciter natus ad prodendam Regni amiſſionem, & gentis perniciem, ac deſolationem. Quibus ille enunciatis concidit exanimis. *Cælius li. 29. c. 14.*

§. 9. De

§. 9. *De Marnio euertendo stupendum pueri diuinitus afflati oraculum.*

Ex Marco Gazæo Baron. to. 5. an. 401.

IMpetrârant S. Episcopi à Theodosio recens nato, recens Imperatore creato mandatum, ab Arcadio patre firmatum, de fanis deorum ac delubris Gazensis Ecclesiæ euertendis; iamque plurima circumquaque nequicquam frendentibus idololatris diruerant; graui interposito anathemate, ne quis sibi quicquam ex delubris tolleret, ne lucri potiùs cupiditate, quàm pietatis zelo ad id moueri viderentur, cùm valde dubitare cœperunt, quid de Marnio (erat id longè præstantissimum omnium delubrum) facerent. Alij enim dicebant id debere effodi, alij autem comburi, alij locum purificari, & sanctificari ad Dei ecclesiam. & erat de ea re magna deliberatio. Tandem sanctus Episcopus edicit populo ieiunium & orationem, vt ei reuelaret Dominus, quid eos facere oporteat, cumque illo die ieiunassent, & Deum de hac re precati essent, vespere pergunt ad sanctam synaxim. Cùm pergeretur autem, puer circiter septem annos natus, stans cum matre propria, repentè exclamauit, dicens: Comburite intus templum vsque ad solum; facta sunt enim in eo multa grauia scelera, & maximè hominum sacrificia. Id verò hoc modo comburite; afferte picem humidam, sulphur, & seuum porcinum, & hæc tria commiscete, & vngite portas æneas, & ignem in eas inijcite, & sic totum templum comburetur: non potest enim aliter fieri. id autem quod est exterius, finite cum ambitu, & postquam fuerit cõbustum, purgantes locum, ędificate illic sanctam Ecclesiam. dicebat autem hoc quoque: Testificor vobis coram Deo ne fiat aliter: neque enim ego sum qui loquor, sed Christus qui in me loquitur. hæc autẽ dixit linguâ Syriaca. postquã autẽ audierunt,

Infantis oraculum.

runt,omnes admirabātur, & Deum glorificabāt.

Vide quomodo ex ſententia Hieremiæ, *Noua bella elegit Dominus*, cui peperciſſent tot qui præceſſerunt Chriſtiani Imperatores, & non auſi attingere, tot prouinciarum præſides & magiſtratus:vixque aliquando clauſum:aduerſus quod tot ſanctiſſimi Epiſcopi atque Martyres,& vſq; adeo ipſe S.Hilarion apud Gazam agens prçualere minimè valuiſsēt:ecce ad maiorē CHRISTI gloriā infanti annuenti,atque demum puerulo edocenti,de ſuperbo dæmone reſeruata eſt victoria, atq; triumphus. Per pueros Deus maxima operatur. Etenim infantulo Theodoſio, antequam ſciret vocare patrem,datum eſt annuere de templorum & idolorum demolitione, oblato ſibi libello ſupplici. puerulus verò ſeptennis de conflagratione Marnij diuino afflatus ſpiritu ſententiam profert;vt planè acciderit impleri diuinum illud oraculum, *Ex ore infantium & lactantium Deus perfeciſti laudem tuam.* *Pſal. 8.*

Venit autem hoc miraculum etiam ad aures S.Epiſcopi, & cùm manus ſuas ad cçlum extendiſſet,Deum glorificauit,& dixit: Gloria tibi Pater ſancte, quoniam abſcondiſti hæc à doctis & ſapientibus,& reuelaſti ea paruulis. Iuſſit autem puer ſuam quoque matrem,poſtquam dimiſſa eſſet eccleſia, inueniri in Epiſcopiçdibus. ſeparato itaque puero dixit Epiſcopus mulieri: Adiuro te Habetur per filium Dei viui vt dicas, an ſuggeſtione tua, quæſtio aut alicuius alterius, te ſciente filius tuus illa eſt de puero locutus, quæ dixit de Marnio: Mulier autem cùm fatidico. hæc audiuiſſet, dixit: Trado meipſam terribili & tremendo Chriſti tribunali,ſi vnquam prçſciui aliquid ex his quæ filius meus hodie eſt locutus. Sed ſi videtur tibi, ecce accipe puerum, & cum minis de eo habe quæſtionem. Quod ſi dixit alicuius ſuggeſtione, metu confitebitur: ſin verò nil aliud dicet, eſt euidens quod à Spiritu

ſancto

ſancto fuit inſpiratus. Cùm hoc audiſſet Epiſcopus,& laudauiſſet,iuſſit eam paululũ ſecedere, & introduci puerum; cumque adductus eſſet puer, dixit ei:Quis tibi ſuggeſſit vt loquereris in eccleſia,illa,quę es locutus de Marnio? puer autem tacebat,iuſſit verò S. Epiſcopus afferri flagellum,& extendi puerum,ad hoc vt ab eo terreretur. Ille autem tenens flagellum, altâ voce clamabat, dicẽs,Quis tibi dixit vt loquereris? dic, ne flagello cędaris. Puer autem ſtabat mutus, nihil loquens. Tunc nos eramus circa ipſum, hæc ei cum minis diximus:ille autem erat immobilis. Tãdem poſtquam omnes ceſſaſſent,dixit puer lingua Gręca: Vrite templum quod eſt intus vſque ad ſolũ, *&c.* vt iam antè dixerat. Admiratus autem eſt Epiſcopus Porphyrius, & omnes qui cum eo erant,audito puero liberâ loquentem fiduciâ,& quod partitè,& diſtinctè eſſet loquutus. Accerſitâ verò matre eam interrogauit, an ipſa aut filius eius ſciret Græcam linguam: illa autem iureiurando affirmabat neque ſe, neque filium eius ſcire Græcè. Cùm hoc rurſus audiſſet ſanctiſſimus Epiſcopus, rurſus laudauit Dominum,&afferens tria numiſmata ea dedit mulieri, puer autem cùm vidiſſet numiſmata in manu matris ſuę,exclamauit dicẽs linguâ Syriacâ: Ne accipias mater, ne tu quoque auro vendas donum Chriſti:rurſus autem cum id audiuiſſemus,ſummè mirati ſumus,mulier autem reddidit tria numiſmata dicens Epiſcopo; ora pro me & filio,commenda nos Deo. Sanctus verò Epiſcopus dimiſit eos in pace.

Puer maiori miraculo Gręcè loquitur.

Mane verò congregatis religioſis,clericis,magiſtratibus,ac populo, vno conſenſu dixerunt, vt ſicut dixerat puer ſic combureretur: dies verò plurimos perpetuò arſit.

§.10.*Pro*

§. 10. *Prodigiosa infantis vox, in aëre audita, seditionem compescit.*

S. Bernardini Sen. corpus viginti sex diebus iacuit inhumatum, suauissimum spirans odorem, quo tempore grauis est orta inter ciues ac Senatores seditio: nec potuit se magistratus aduersus plebem tueri, nec purgare apud eos qui nullâ ratione ducerentur. itaq; ceu fures in carcere producuntur proceres, & ad cędis locum perducuntur: obliguntur eorum oculi, flectunt genua, anxiè sustinentes carnificis ictum. illo suum pręparante ensem, auditur pueri vox in aëre terribiliter clamantis: Cessate ab effundendo innoxio sanguine, sed ocyùs ite ad Franciscanorum templum, affatim illic repertuti, quod tam perniciosè expetitis. stupent omnes ad hanc vocem: carnifex iubēte plebe retrahit manum suam, proceres eleuat, diligentior eos custodit, ne qua elabantur: territus populus ob flagitiosum animi sui propositum rapido cursu contendit ad ædem S. Francisci, & ecce vident omnes, e naribus exanimati corporis S. Bernardini tanta copiâ manare sanguinem, ac si e duobus fontibus largissima aqua proflueret; arca corpus continens tam erat plena sanguine, vt corpus ipsum nataret, sanguisque magis ac magis diffluerer, donec populus cum ingenti humilitate veniam peteret, ac misericordiam.

F. Henricus Sedulius in Seraphica histor. c. 58 vita eius.

§. 11. *De quodam infante.*

INfans adhuc lactens homicidium arguisse, mortemque minatus legitur in Florario.

Florarium 19. Iulij.


§. 12. *Historia stupenda, & pueri oraculo illustris.*

IOannes Cerinus magni alicuius admissi facinoris sibi cōscius, in desperationis præcipitium prope ruebat, nisi bonitas ei diuina suppetias tulisset.

Ex lib. miraculorum Serrati Montis.


lisset. Verùm sancto dolore compúctus, lacrymari, gemere, cælum precibus fatigare, diuinam miserationem obtestari, quam vt sibi propitiam experiretur, Romã maximis itineribus perrexit: hic cùm ad [illegible] Pontificis aures vitæ actæ crimina magno [illegible] sensu, confessione deponeret, imperauit Pontifex, vt manibus pedibusque canino more reptãs remearet in patriam, & latibulũ speláeúmve incoleret, caueretque ne oculis sublimè erectis cælum prophanaret, sed eo ritu septennium ipsum expleret, quoad iuberet infantulus trimestris, aut quadrimestris, vt sese in pedes erigeret, noxamque à Deo condonatam affirmaret. Morem dicto Pontificis perlubenter gessit Ioannes, & longa viarum spatia cernuo ore in patriam perreptans, ad antrum tandem peruenit, vbi temporis illex i attritã veste, omnino nudus, quòd tum pruinolos hyemis, tum feruidos æstatis incursus diutinè tolerasset, pilis toto corpore sensim succrescentibus hirsutã cute ita inhorruit, vt monstri veriùs, quàm hominis speciem prẹberet. Porrò autem septennio hac viuendi norma expleto, cùm forte Barcinonensis Comes, ex monte, in quo diuerticulum fixerat Ioãnes, venatu prẹdam agere meditaretur, venaticos canes vinculis eximi iubet. Venatores cum in mõtis verticem euasissent, Ioannem illum in toto corpore hispidum deprehendunt: Comitis iussu vincula collo intendunt, mõstrum [illegible], at Ioannes ne hiscere quidem visus Barcinonem raptatur, in stabulum compingitur, iniecto sibi pane haud sanè meliùs quàm canis vitam tolerat. Agitabatur aliquando in ædibus Comitis solenne quoddam epulũ ob prolem Comiti nuperrimè in [illegible] editam: cõuiuarum rogatu in aulam homo syluestris intromittitur: certatim omnes frustula panis in os ingerũt. Ad illud quoque spectaculum concurrit nutrix, infantẽ illum,
cuius

cuius natali solennis dies agebatur, bimestrem aut trimestrem vlnis gestans. Iam vterque, cùm nutrix, tum infantulus oculis in Ioannem intentis ferebantur, cùm puer hic derepentè circumspectante nobilium coronâ, articulatâ, distinctaque voce, vt ab omnibus perspicuè exaudiretur, Ioannem non sine ingẽti omnium stupore compellat. *Age Ioannes,* inquit, *surge in pedes, consiste, crimen tuum iam a Deo condonatum scito*. Tum subitò Ioannes in pedes erectus, propalam immensas Deo grates agit, quòd metanœam illam suam nõ ingratam habuisset. Quanta putatis circumstantes incessit admiratio! Ioannes hic noster ad Comitem accedit, palam criminis sui seriem exponit: quare pro arbitratu sæuiret Comes, ad omnem sese pœnam paratissimum. Subintulit Comes; Quam ab immortali Deo noxam condonatam esse constaret, eandem à mortali nefas esse non condonari. Ioannes ergo manu missus ad Montem Serratum rediit, vbi cùm Monasterio à Comite condito præfuisset, vitam sanctissimo fine conclusit. *Vide aliud 2. p. c. 26. §. 4.*



CAPVT XV.

PROGNOSTICA, QVÆ DE PVERIS IAM NATIS ALII, *& quæ in ipsismet conspecta.*



SOLET primus rerum exortus futuris plerumque successibus præludere: ita lunæ ætas prima index est sequentiũ; & qualis per diem futurus, melius sur-

gens sol prędicit. ita herbosus ager messem promittit amplam, vitis gemmas ostentans suas, Falernum. Quam id quoque vsu venit in pueris! etiam nascentes, quanti sint viri futuri loquuntur; *Quis putas*, aiebant, *puer iste erit?* quid dixi nascentes! Henricum V. Imperatorem adhuc in vtero gestans Agnes Augusta putauit per visum se draconem parere virulentum, vt ipsamet sæpe narrauit, & nimis fuisse verum sensit Ecclesia. Prælusit haud infelici omine virtuti suæ bellicæ Alexander ille Philippi Macedonis: hunc adhuc agẽtem pueritiam proditum scriptis est, quoties audiret de nunciantibus, vrbem aliquam patris auspicio expugnatam, imperioque Macedonico adiunctam, toties lacrymis excidentibus tristiculum factum: causam interrogatum, ita respondisse: Quia pater meus nihil mihi relinquit; ipse subigit, & vincit omnia. pulchrum de quærendo nouo orbe prognosticon. Idem, puer adhuc, pręclarum deposuit apud Leonidem pędagogum futurę munificentiæ rudimentum: siquidem aris admotus sacrorum causâ, cùm largiùs thura focis congereret, Sic sacrificabis, inquit ille, cùm Arabiam subegeris? cuius vocis memor robustus Rex, & iam victor, thuriferis gentibus subactis, nauem ad eum thure onustam misit, præcipiens vt cum dijs parcus esse desineret, qui secum tam benignè ageret. Est & illud omninosum quod de Cyro sum allaturus. Hic adhuc puerulus, Rex per iocum inter pastores creatus, eos qui errassent verberibus seuerè castigabat. propterea accusatus à quodam (quẽ acerbiùs depalmauerat) apud Astiagẽ Regẽ Medorum, cùm ab eodem carperetur, quòd in tã tenera ętate vilibusque pannis iam imperiũ exerceret, respondit, Regum interesse, vt delinquentes corripiãt: vnde & ex eo tẽpore Astagi Regi factus est suspectus. Nõ obscurum elati animi indiciũ in

Baron. to. 11.

L. Cę-

L. Cęsare, qui post Syllam dictator fuit: enimuero puer adhuc sēper tragicū illud in hore habebat, Si ius violandum est humanum, regnandi causâ violari debet. sed quod puer optauit, adultus tenuit, parturijtque tener animus, quod maturus peperit. Inest omnino primæ indoli magnum omen, pręter signa mirificè prognostica. An temere accidisse putandum est, quod Platoni mel & fauos apes intulerunt? id sermonis suauitatem, elegantiamque significabat. quod Midæ puero dormienti formicæ in os grana tritici cōgesserunt? id eum ditissimum aliquando fore portendebat: quod Hercules monstra superauit priùs quàm nosse posset, illa quæ contra obuia reptauit infans? sic ad victorias sequentes pręlusit: quod Vesalius puer mures iam tum diuidebat medios, & anatomiâ scrutabatur? id artis Medicę pręstantiam indicabat: quod Seruius Tullius puer cùm dormiret, visa ex eius vertice (quod & de Ascanio scribit Virgilus) prodire flamma? id pro magni decoris omine accepit vxor Prisci Tarquinij, quæ regio eum more, licet seruâ genitum, curauit enutriri. Sed hæc externa; ad nostra transeamus. *Virg. 2. Æneid.*

§. 1. *De Abraha filijs.*

DIxit Dominus ad Abraham: *In Isaac vocabitur tibi semen, sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* *Genes. 21.*

§. 2. *De Moyse.*

ACceptum à Thermuthide filia sua Moysen Rex Pharao, postquam ad pectus oppressisset, filiæ gratificaturus, comiter diadema suum eius capiti imposuit. Moyses verò capiti pueriliter detractum prolabi in humum passus, pedibus etiam calcauit. id quod mox ominosum visum est, & regno nihil boni portendere. Moxque sacrorum scriba, qui natiuitatem eius Ægypto cladem *Ioseph. antiq. Iud. l. 2. c. 5.*

allaturam prædixerat, occidere puerum volebat, vociferans: Rex, puer iste,per cuius necem nobis securitatem Deus pollicetur,vaticinium iam confirmauit, insultando tuo regno, & diadema calcando: hoc interempto tam Ægyptijs metum, quàm Hebræis spem & fiduciam adime.Thermutis verò confestim eum eripuit, Rege quoque non inuito,cui Deus talem animum indiderat, Moysis saluti prouidens. Itaque educatur quàm accuratissimè: & Hebræi quidem felicitatem suo generi sperabant, Ægyptijs verò suspecta erat hæc educatio, sed cùm nemo extaret vel è cognatis regijs, vel ex alijs optimatibus, qui etiamsi Moyses sublatus esset, magnopere videretur procuraturus Ægyptiorum commoda, ab eius cæde abstinuerunt.

§. 3. *De S. Ioanne Bapt.*

ZAcharias impeditum vocis vsum recepit nato Ioanne,nec sine omine: is enim vox erat futurus. de ipso item sic dicitur apud S. Lucam: *Et posuerunt omnes qui audierant, in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit? & Zacharias pater eius repletus est Spiritu S. & prophetauit dicens: Benedictus Dominus Deus Israel,* &c. *& tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim,* &c.

Luca 1.

§. 4. *De Christo IESV.*

Orosius l. 6. c. 22. Sabellicus l. 1. & Platina.

NArrat Orosius August. Cæsarem eadem die qua Christus natus est, mandasse ne quis se Dominum deinceps vocaret,diuinantem, credo, verum principem orbis terrarum natum esse. Idem quoque mandauit, vt in orbe Romano omnium hominum capita censu notarentur, ac si maiori Principi rationem gubernati imperij aliquando redditurus esset: pax præterea & quies tanta fuit tum domi, tum foris, quanta vnquam antea:

antea: hunc enim iustitiæ & pacis Regem Prophetæ appellarunt.

Potest & illud inter omina referri, quod myrrhâ, thure, & auro, sit à Magis donatus Theanthropos Christus adhuc infans, vt plus Magi omnino dederint, quàm tunc se dare arbitrarētur. *Sabell.l.9.*

Impiè quoque faciat qui non propheticæ mentis fuisse autumet Simeonis illud ad Deiparam Virg., cùm optatum in manibus Senex humanæ teneret redemptionis pignus. *Ecce*, inquit, *positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur; & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* *Ibidem.* *Luc. 2.*

§. 5. *Epiphanij cunæ fulgent.*

CVnæ S. Epiphanij fulgere visæ sunt à multis, vt futuræ mentis, ac morum claritatem, præcedens fulgor ostēderet, quam in officio Lectoris Ecclesiastici, quod sortitus est, satis ostendit. *Euodius in eius vita.*

§. 6. *Ominosa de S. Ephram visio.*

SAncti Ephræm Syri adhuc pueri parentes per somnium conspexerunt, quod ex ore ipsius vitis ascenderet valde frugifera, quæ excrescebat, & replebat omnem sub cælo regionem, veniebantque cuncta volatilia cæli, & comedebant de fructu vitis, & præter quæ comedebant, adhuc superabat fructus. Quæ in ipso Ephræm vera apparuerunt, dum oris eius, ac vitæ fructus, per vniuersum orbem resplenduit, de quo & illud memorabile legitur, quod ab Angelo visus est librum, aureis conscriptum literis, aliquando recepisse, quem nemo prēter eum aperire meruit, vnde mox postero die & deinceps loquente in eo Spiritu S. tantam dicendi ac declamandi habuit gratiam, vt nullum sibi similem suo tempore inueniret. *In eius vita ex Cod. Græc anonymi per Gerardum Vossium Præpositū Tungren. idem legitur in vitis PP & apud Rib. 1. Feb.*

§. 7. *Prognostica de S. Dominico.*

F Theodoricus de Apoldia Dominicanus apud Sur. to 4.

DVo præcipuè huius eximij infantis sanctitatem indicarunt: natus enim Dominicus, nobili cuidam matronę per visum apparuit stellam in fronte præferens lucidissimam, cuius immodico splendore totus orbis irradiabatur. Iacenti itē aliquando in cunis apum examen affuit, & circa os volitans linguam eius diuinę sapientię melle conditam fore indicauit.

§. 8. *Item de S. Ambrosio.*

Paulinus in eius vita. Baron. to. 10. ann. 862. ex Nicolao V Papa in epist. ad Photiuū

CVm in infantiæ cunis sub nutricis cura dormiens solicitè verteretur Ambrosius: aperto ecce ore examen apum subitò affuit, quod faciem eius & ora compleuit, ita vt ingrediendi, & egrediendi vices frequentaret. Quod pater cum matre vel filia deambulans, ne abijceretur ab ancilla, prohibebat; solicita enim erat, ne infanti nocerent: expectabat tamen patrio affectu, quo fine illud miraculū clauderetur. At illę post aliquamdiu volitantes, in tantam aëris altitudinem sublatæ sunt, vt humanis oculis minimè viderētur: quo facto territus pater ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. quod etiam accidit: nam ex Catechumeno (quod perrarum est) diuino præsagio ad Episcopalem, per continuos gradus, promotus est dignitatem.

Petrus de Natal.

Non rarò item cùm puer esset, matri & sorori manum osculandam porrexit, vt Episcopi solent. quod soror tunc deridebat.

§. 9. *Adnata S. Nicetio corona.*

Ex Greg. Turon. Surius 11. Octob.

A Primo ortu suo diuinis quibusdam signis in sortem Domini electus fuisse videtur Nicetius: nam cùm partu effusus, aliorum infantium instar, prodiret in lucem capillis nudus, in circuitu tamen capitis, tenuis pilorum ordo aptè distinctus

ctus

ctus apparuit, haud secùs ac si clericali coronâ ex arte ornatus fuisset. Porrò Abbati cuidam sanctioribus disciplinis imbuendus cùm fuisset traditus, tam insigni morum candore breui apud omnes enituit, vt defuncto Abbate, ipse vnus omnium qui succederet, dignissimus haberetur; postea etiam Episcopus est creatus.

§. 10. *De S. Birgitta testimonium.*

NAtâ Birgittâ, sacerdos quidam in vicino pago, qui ob vitæ integritatem postea factus est Episcopus Aboënsis in Suedia, inter orandum nocte vidit nubem lucidam, & in nube sedentem Virginem in manu sua librum habentem, & cùm admiraretur, audiuit vocem eiusmodi: Nata est Brigero (id enim patri eius nomen erat) filia, cuius vox mirabilis toto orbe audietur. ab ipso autem ortu suo triennium fere mansit elinguis, quo pene exacto, ita eius ętatis balbutiem superauit, vt perfectissimè animi sensa explicaret. *Sur. 23. Iulij.*

§. 11. *S. Cuniberti cubile resplendere Rex videt.*

TRaditus Dagoberto Francorum Regi nutriendus Cunibertus, miro pietatis ac virtutum omnium splendore radiabat. Quadam verò nocte dum peruigil Rex in lecto quiesceret, vidit subitò locum illum, vbi sanctus puer soporis gratiâ fessa membra composuerat, luce ingenti resplendere: manè facto, miraculi nouitate perterritus, cùm facilè sanctitatem beati pueri hoc præsagio denotari cognouisset, accitum ad se Cunibertum solito familiariùs alloquitur, coram omnibus de illius innocentia illustre perhibet testimonium, eumque amplexu dulcissimo exosculans, in filium adoptat. *Sur. 12. Nou.*

§. 12. *De S. Gregorio Turon.*

Sur. 17. Nou.

B. Nicetius Lugdunensis Episcopus summæ vir religionis, cùm puerum Gregorium defixo mentis obtutu cõsideraſſet, neſcio quid diuini in eo contemplatus, iuſſit eum ad ſe (iacebat enim in lecto) leuari, ac velut paradiſi colonus conciuem ſibi futurum præſagiens vlnis adſtrictum cœpit confouere, cùm quidem (quod reticendum non eſt) ita collobio ſe totum contexit, vt nec ſummis digitis puerum contingeret; quod pudicitię exemplum idem puer adultus auditoribus ſuis frequenter inculcabat, ex hac perfecti hominis cautela colligendum docens, quantum fragiles quique familiaritatem & leues etiam tactus debeant vitare.

§. 13. *S. Athanaſius imitatus Epiſcopum expectationis ſuæ ſpecimen dedit.*

Ruffinus eccl. hiſt. l. 10. c. 14.

Pueri Epiſcopalia officia æmulantur.

TEmpore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander Epiſcopus agebat, cùm poſt expleta ſolennia conuenturos ad conuiuium ſuum clericos expectaret in loco mari vicino, videt eminus puerorum ſuper oram maris ludum imitantium (vt fieri ſolet) Epiſcopum, atque ea quæ in eccleſijs geri mos eſt. ſed cùm intenſiùs pueros inſpectaret, videt ab his geri quædam etiam ſecretiora & myſtica. perturbatus illico vocari ad ſe clericos iubet, atque eis quid eminus ipſe videret, oſtendit: cùm abire eos, & comprehenſos ad ſe perducere omnes pueros imperat, cumque adeſſent, quis eis ludus, & quid egiſſent, vel quomodo, percunctatur. Illi, vt talis fert ætas, pauidè negare primò, deinde rem geſtam ordine pandũt, & baptizatos à ſe eſſe quoſdam Catechumenos confitentur, per Athanaſium, qui ludi illius puerilis Epiſcopus fuerat ſimulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his qui baptizati dicebãtur,

tur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogauerat, vbi videt secũdum religionis nostrę ritum cuncta constare, collocutus cum concilio cleriçorum statuisse traditur, illis quibus integris interrogationibus, & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismũ non debere, sed adimpleri ea quæ à sacerdotibus mos est adhiberi. Anathasiũ verò, & eos quos ludus ille vel Presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, conuocatis parentibus sub Dei obtestatione tradit Ecclesiæ suæ nutriendos. Paruo autem tẽpore cùm à Notario integrè, & à Grammatico sufficiẽter Athanasius fuisset instructus, continuò tanquam fidele Domini depositum à parentibus restituitur sacerdoti, velut Samuel quidam in tẽplo Domini nutritur, & ab eo tandem pergente ad patres in senectute bona, ad portandum post se Ephod sacerdotalę deligitur. Ratus is baptismus habitus.

§. 14. S. *Eutychij ludus puerilis prognosticus.*

CVm multi pueri essent in domo sancti Eutychij congregati, is inter pueros institutus est puerilis ludus, vt Principum & Sacerdotum nomina quisque mutuò daret, & acciperet, ac manu sua cum aliqua dignitate in pariete describeret. Quare Eutychius cùm suum nomen scripsisset, diuinitus motus, adiecit Patriarchæ dignitatem; sic enim adhuc in eo pariete manu ludicris literis inscriptum legitur: *Eutychius Patriarcha.* *Sur. 6. Apr.*

§. 15. *Alius de S. Ludgerio.*

VIx balbutire & ambulare nouerat S. Ludgerius, cùm maturos mores assumpsit, alijsque pueris ludentibus, ipse ex arborum corticibus velut libellos cõficiebat, & festucâ inscribebat, quę res argumento fuit, quantus Ecclesiæ doctor erat futurus. *Sur. 26. Mar.*

futurus. Cumque rogaretur, quid per diem fecisset, respōdebat, per totum se diem, aut libros composuisse, aut scripsisse, aut legisse. Cumque vlterius vrgeretur, quis eum docuisset? Deus, inquit, me docuit. ô mira tantillo in pectore scientia!

§. 16. *Visio de S. Dunstano.*

Osbertus Monachus Cantuariensis, apud Sur. 19. Maij.

VT primos infantiæ annos exiuit Dunstanus, à parentibus ad sacratæ Virginis templum ducitur, vt pro eius vita atq; prouectu Deo preces offerrent; vbi pernoctantibus apparuit vir quidam Angelico speciosus vestitu, qui puerum per manum accipiens, & eum hinc inde modesto discursu per atrium ducens, dixit illis: Sic ædificabitur locus iste ad conuersationem illorum, qui simul à pueritia in seruitio Dei nutriēdi, siue à prauitate veteris vitæ, in nouitatem gratiæ Christi per hunc puerum sunt conuertendi. Quo viso mirificè recreati in gratiarum actionem prorumpentes, in eo ipso templo literis ac pietate imbuendum pio ac docto magistro Dunstanum relinquunt.

§. 17. *S. Vincentius ad conciones suas præludit.*

Petr. Ranzanus Panormitan. apud Sur. 5 April.

NOndum decimum ętatis annum attigerat Vincentius, cùm iam eo natu maiores longè superaret: pueris rarissimè colludebat, quod si tamen quandoque contigisset, post breuem honestumque lusum, conscenso terræ tumulo socios conuocans: Audite pueri, ait, quæ loquor, & iudicate aptusne an ineptus prædicator sim futurus: considentibusque ac silentibus alijs, facto signo Crucis, quę Valentiæ à concionatoribus audiuerat, pronunciabat; & tam feliciter, vt neminem vnquam audierit, quem gestibus, dictis, aut sententijs quibusdam non potuisset ęmulari.

§. 18. *Item*

§. 18. *Item S. Bernardinus.*

EX concione sacra, quam cum matertera sua adierat Bernardinus, domum reuersus, conuocabat pueros, eisque tanquam pro concione puerili simplicitate dicebat quæ fideli memoriæ reddenda commiserat. Quod quidem faciebat eâ dexteritate, vt multi iam tum animis præsagirent, quantus aliquando futurus esset in concionibus, quibus puer talia præmitteret prçludia. *Sur. 20. Maij.*

§. 19. *De S. Odone visio.*

SÆpius retulit pater nonnullis, talem fuisse ordinem meæ natiuitatis. Per illud namque infantiæ meæ tempus, contigit illum ingredi intra septa cubiculi, meque ibi super cunabulum sine custode reperit, huc illucque circunspiciens cùm neminem videret, suis manibus eleuauit, & corde sursum respiciens, Suscipe, ait, gēma sacerdotum Martine, hunc puerum: deponensque me super idem à quo eleuauit stratulum, abiens recessit: sed quod gesserat nemini prodere voluit. post hæc ablactatum cuidam suo Presbytero, remotiori loco manenti, me tradidit educandum, & literarum studijs imbuendum: fatebatur postmodum Presbyter, quod his diebus talem vidisset visionem. Videbam, & ecce Ecclesiarum Principes cœperunt mihi puerum petere etiam exactè, cumque sciscitarer, quid de eo fieri vellent, an patris domum reducere? non ideo se inquiunt venisse, sed vt in Orientis partes eum ducerent. At verò Presbyter cùm eum dimittere nollet, & eis resistere nequiret, & quid amplius ageret nesciret, terræ prostratus conuertit se ad preces, deprecans vt priùs in eum vltionem exercerent, quàm puerum tollerent; nunc vindictam patris se dicebat perpeti, nunc dicebat à parentibus se vocandum proditorem pueri. Ad hæc ferebatur respōdisse vnus *Bibliotheca Cluniacensis pag. 15.*

eorum:

eorum: Ne fortè vindicet pater pueri in Presbyterum, dimittamus eum vſque ad tempus. Hanc reuelationem Presbyter addiſcens reſtituit me quidem meis parentibus. Hæc ita à patre meo audiui.

§. 20. *Flores in arboribus ternis diſtincti ternas virtutum varietates in pueris mirè deſignant.*

Io. Nider. l. 2. c. 1. in Formicario.

HIſtoriam audi, quam nec ea negauit quęſita virgo, quam tota Baſileenſis ciuitas habet pro viuo ſanctuario, Adelheydim de Mulberg. Huius enim parentes fuerunt ſimplices plebei, & deuotione pleni, ciuitatem præfatam inhabitantes: habuerunt autem tres liberos, præfatam Adelheydim, & Catharinam, ac Ioannem fraterculum. Contigit ibidem quodam tempore, quo de habitatione priſtina ad domum aliam migrabant inhabitandam, tres pueros illos circa primū conſtitutos ſeptennium, hortum nouæ inhabitationis ſtatim intrare, & puerili more quiſq; puer arborem vnam amplexatus eſt, eam dicens eſſe ſuam, quam ſinguli deinceps ſpeciali proſequebantur fauore. Eodem igitur anno, cùm iam arbuſta vernali tempore virere inciperent, contra naturalem morem ligni, de qualibet arbore floſculus alterius ſpeciei oriri cœpit, & florere. de primâ quidem, albi coloris flos, quę erat appropriata (vt præmittitur) Catharinæ: de ſecunda, quæ alterius ſororis extitit, ſimilis coloris flos albus: de tertia verò, quam Ioannes ſibi appropriauerat, roſa procedebat amœna. de quo ſpectaculo multi ſatis admirabantur quid ſibi hęc prognoſticarent futuri: vitę autem ſanctitas ſi in prædictis inſpicitur ſubſecuta pueris, florum iſtorum prophetiam declarat: Nam ambæ ſorores virginitatis nitorem ſeruauerunt illibatè: prima quidem vſque ad tertium propè ſeptennium, in quo feliciter mi-

ter migrauit ad Dominum, altera hodie viuit ferè nonagenaria, omnium virtutum, & virginum spectaculum. Fratrem verò cum virginitate, & in æquipollenti martyrio credo intrasse feliciter sepulcrum, nam post multas vexationes à multis personis (quia vitia imperterritè corrigebat) perpessas, postremò in longa (quam præoptauerat) ægritudine feliciter, vt spero, cùm martyrij quodã merito ab hac luce discessit.

§. 21. *Visio de S. Petro Cælestino.*

VIdit mater sancti Petri adhuc tum pueri, in somnis, quod puer iste custos erat ouium multarum sicut nix candidarum: quod ipsa nimis literaliter intelligens, non paruæ turbationis sibi primitus causa fuit, sed postea turbatio hæc in admirationem, admiratio versa est in consolationem: nam filius cùm vix esset duodecim annorum, iam quasi prophetico spiritu, somnium spiritualiter exponẽs, se multarum Christi animarũ pastorem futurũ esse prędixit. Illud quoq; non leue fuit de ipso indiciũ, quod cũ nasceretur velut togã religiosi habuerit, vt testatur Ribadeneyra.

Surius 19. Maij.

§. 22. *Mirificum de Gregorio VII. Prognosticon.*

MEmorant Annales Henrici III. Imp. fabulam (inquit Crantzius) de Hildebrando puero, quod cùm filius esset fabri lignarij, ex sarmentis ordine compositis, inscius ipse, has literas coaceruarit, quibus homo literatus legerit ex ea compositione scindularum; *Dominabor à mari vsque ad mare*. Vnde coniectans diuinum aliquid in puero, suaserit parenti, vt eum literis traderet. traditus profecit, & in Cancellariam Regis peruenit, & Scriniarius euasit. Somnio admonitus Imperator de eodem, quod cornua videretur habere, quod filium suum cõtereret, hominem in vincula coniecit: sed ab Imperatore vinculis exutus Clu-

Annales Henrici 3. Imper. ex quib. Crãtzius lib. 4. Metropol. c. 9. & 19 & Delrio de Magia l. 4. c. 2. q. 7. sec. 1.

tus Cluniacense Monasterium petijt, indeque profecit primùm in Subdiaconũ; deinde in Cardinalem, nouissimè in Gregorium VII. hæc ex annalibus illis Crantzius; quæ nescio (inquit Delrio) cur fabulam vocet.

§. 23. *De S. Stephano Diensi Episcopo.*

Dorlandus in chronic. Carth. l. 4. c. 10.

S. Stephanus cùm adhuc ad nutricis suę vbera penderet, lacte sextis ferijs pasci nolebat: quod satis portendebat Carthusianum eum futurum, qui semper istis ferijs à lacticinijs solẽt abstinere.

§. 24. *Aliud prognosticon.*

Ex Chron. S. Frãc. to. 4. p. 1. l. 4. c. 18.

MArtinus à Sarmiento pię memoriæ, Episcopus præclaris institutis à puero imbutus, præscio futurorum spiritu sorori dicebat fore, vt ipsa ei aliquando manus exoscularetur; ob quæ verba aliquoties parentibus pœnas dedit, non tamen ideo prædictioni suus nõ respondit euentus.

§. 25. *Angelorum cantus S. Iuliano prognosticus.*

Ribaden. 28. Ian.

CVm Iulianus Episcopus aquis salutaribus tingeretur, suauissima à multis audita est harmonia Angelorum, hæc identidem recinentium: *Hodie natus est infans, qui parem sibi non habet in gratia.*

§. 26. *Columna flammea S. Modesto.*

Raderus in Virid.

SVper verticem S. Modesti Patriarchæ visa est, cùm baptizaretur, de cœlo columna flammea descendere, atque consistere.

§. 27. *S. Carolus Boromæus pomum partitur, & simul orbem vniuersum.*

Io. Petrus Guissanus doctor Mediol. Presbyter Cõ-

ABdiderat se primâ pueritiâ Carolus in occulto paterni castri cubiculo, vbi à famulo inuentus est pomum in diuersa secans: rogatusque quid factitaret, Quid me, inquit, à vobis quæri erat

erat necesse, totus hic eram in orbe in varias partes regionesque diuidēdo. quibus verbis eum magna quædam iam tum cogitare iudicabatur, quæ quidem expleuit, cùm Pij IIII. tempore totius Ecclesię gubernacula tenuit. *gregationis Patrum Oblatorū. S. Ambrosii vita l. 1. c. 2.*

§. 28. *De eodem mira prædictio.*

VEnerandus D. Bonauentura Castillonensis, Prępositus S. Ambrosij maioris apud Mediolanenses, vir grauis, eruditus, zelosus, cùm fortè præteriret Carolum adhuc puerum, substitit illico, eumque obtutu defixo bene diu est intuitus, nec abijt donec amplâ illi exhibitâ reuerentiâ, intuentes in admirationem vocaret. quibus respondebat, Mirari desineretis, nisi puer hic vos lateret; futurus enim est aliquando totius Ecclesiæ columen. *Ibidem.*

§. 29. *B. Theresia cellulas construit.*

CVm serua Dei Therestia adeundi martyrij cupiditate incensa ad Mauros proficisci frustra tentasset (erat tum annorum septem) & domū reducta esset à patruo haud procul ab vrbe ei obuiam facto, aliò vertens consilia, quasdam eremiticas cellulas puerili more, sed maturo sensu in paterno horto construebat, quasi præsagiens eas, quæ deinde eius operâ erant construendæ, & eremi recessus ab antiquis incoli solitos, quos suo tēmpore restitueret. *S. Franciscus Ribera in eius vita. l. 1. c. 4.*

§. 30. *Dæmonum de B. Aloysio prædictio.*

CVm quidam è Franciscanorum ordine, quos Obseruantes appellant, clarâ quacunque iter haberet sanctimoniæ famâ Castilionem profectus in cœnobio suæ familiæ, cui à S. MARIA nomen, vno ab oppido milliario conquiesceret, magni sunt ad eum videndum, poscendasque eius preces facti concursus. Et quoniam increbuerat *Virgilius Cepartus vita l. 1. c. 1.*

quædam illum supra vim mortalem facere, multi à dæmonibus insessi vexatique, vt eius execrationibus leuarentur adducti. Ibi cùm sacerdos ille frequēti populo, hominibusque etiam illustribus, & in ijs Aloysio tum septenni puero, alteroque eius germano minore spectantibus diras in dęmonem de more maximè iaceret, atri illi genij elatâ voce, intentaque in Aloysiū manu; videtisne illum, exclamant: hic demum est quem cælum & multa inibi manet gloria. Tametsi verò dæmonū (qui mendaciorum sunt parentes) verba nullam fidem merentur, crediderim tamen, quò magis eos suæ vesaniæ puderet, vt sæpe aliàs, verum edicere vi diuina fuisse compulsos; etenim tam excellens iam tum erat de hoc sancto puero hominum opinio, vt in eius vita ac moribus speciem delapsi de cælis Angeli videre sibi viderentur.

§. 31. *De Petro Canisio Nouiomagensi.*

Ribad. l. de scriptor. Soc. in Petro Canisio & Raderus in eius vita.

CVm nata nondum esset Societas, femina quędam opinione sanctitatis vulgò nobilis, matrem eius admonuit, vt magnâ Petrum filium curâ educaret, quòd breui Religio quædam clericorum instituenda foret, quæ eximias Dei ecclesiæ vtilitates esset allatura: in quam Religionem filius eius adscriptus vir apprime insignis haberetur.

Raderus in eius vita l. 3. c. 1.

Non paruum quoque indicium fuit eorum quæ gessit prouectior, quod cùm puer esset, in ædibus paternis, non rarò æqualibus suis è sede veluti pro concione, viuendi præcepta dederit.

CAPVT

CAPVT XVI.

DE OBLATIONE PVERORVM.



VM fida Deo Isacidûm gens sub duro Pharaonis iugo gemeret, nec ad litandum prisco ritu dimitteretur, furori suo Deus, *percutiens omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vsq; ad pecus,* per mediam Ægyptum viam fecit: atque ob hoc tam grande populi liberati beneficium; quandoquidem hac Deus redemptione omnia fecit sua, lex lata est, vt omne primogenitum sistatur Domino; eique consecretur, ac precio, sicut lex redemptionis ab hostibus exigit, ita scilicet vt valeat, qui redemptus est; lytro persoluto liberari, redimatur. Et quamuis exoleuit ea lex; altiùs tamen nobis inhærere debet; quòd ea sub vmbrâ proponebatur: quid enim sibi volebat illud primogenitum munus? nempe vt quicquid habemus charissimum; Deo offeratur: in animo est voluntas, in corde sincera intentio, in corpore sensus, in ætate iuuentus, in vnoquoque die, primum mane, diuinis obsequijs dedicandum. Hinc quoq; discimus liberos Dei munere parentibus concessos, à quibus non alendi tantùm sunt; sed rite etiam instituendi; & maturè, atque à puero sacrâ religione imbuendi, Deoque consecrandi.

Exod. c. 12.

Quæ sint in nobis primogenita Deo offerenda.

Infantes Deo offerendi.

§. 1. Samuel Deo offertur.

Adduxit Samuelem secum Anna postquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphorâ vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo: & immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. & ait Anna: Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem

1. Reg. 1.

meam quam postulaui eum, idcirco & ego commodaui eum Domino cunctis diebus quibus fuerit accommodatus Domino: Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo, & tunicam paruam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo vt immolaret hostiã solennem. Et benedixit Heli Helcana, & vxori eius, dixitq; ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore quod commodasti Domino. & abierunt in locum suum. Visitauit ergo Dominus Annam, & concepit & peperit tres filios, & duas filias, & magnificatus est puer Samuel apud Dominum.

§. 2. *De præsentatione B.* MARIÆ.

COmpleto per triennium ablactationis tempore, ad templum Domini Virg. MARIAM, cum oblationibus adduxerunt: erant autem circa templũ, iuxta quindecim graduum psalmos, quindecim ascẽsionis gradus: nam templum in monte erat cõstitutum; altare holocausti quod forinsecus erat, adiri nisi per gradus non poterat. In horum itaque nouissimo Virgo constituta, cunctos sine vllius adiutorio ita conscendit, ac si ætatis iam perfectæ esset. Id etiam Nicephorus affirmat, & Greg. Naz. & Ioannes Dam. vtroque verò antiquior Euodius in sua epistola, qui primus post Petrum Antiochenæ pastor fuit Ecclesiæ, & MARIAM trimulam in templum esse deductam, ac in eo loco, quem Hebræi sancta sanctorum appellabant, annos vndecim permãsisse. addit verò Cedrenus, MARIAM vndecimo ætatis anno vtroque parente orbatam, templo tamen non excessisse, nisi si qua re indigeret: tum enim ad solam Elizabetham cognatam, templo vicinam, recurrebat. De sede autem Virginum in templo, ita Cedrenus: Erat in templo secretus locus aræ vicinus, vbi solæ virgines stare solebant. ac reliquæ

Niceph. l. 1 c. 7.

sanè populo dimisso domum redibant: MARIA verò in templo permanebat, & ab Angelo nutriebatur. hæc ille. Ad hũc templi recessum nullis feminis cõiugatis aditus dabatur. Origenes tamen & Cyrillus Alexandrinus aiunt, MARIAM etiam post genitum Christum, tanquam virginem, ad illum locũ aditum retinuisse, quod Zacharias pater Ioan. Bapt. partûs virginei conscius, effecit. *Origen. in Mat tract. 26. Cyril. l. adu. Anthrop. c. 27*

Quo verò tempore inter virgines egit MARIA, literas Hebraicas perdidicit, & tanto studio diuinarum literarum lectioni vacauit, vt totam legem; librosque Prophetarum menti omnino insculpserit. Narrat Sabellicus MARIAM totum diem in hunc modum distribuisse, manè tres horas impendebat orationi & deuotioni: inde vsque ad meridiem cum alijs virginibus laborabat, & sæpe in lana: post prandium legebat sacram scripturã: in lana ergo, in lino, in bysso sese diligenter exercuit, sacerdotumque vestes ornare didicit, & inconsutilem tunicam (si Euthymio credimus) apparauit: S. Brigitta prolixè scribit eius mores in ętate puellari, & hæc inter alia. Erat contemptrix pecuniæ, & facultatum externarũ, vnde quicquid poterat, in pauperes erogabat: nulla res eam oblectabat nisi solus Deus: libenter & crebrò loquebatur de Messia, ab hominum colloquijs sese, quoad poterat, segregabat. Corpus suum, cuius curam gerebant Angeli, animę subiectum esse volebat. Sic erat moribus composita, & tam modesta, vt omnes intuentes ad deuotionem commoueret. *Sabellicus l. 2 exemp. c. 4. & 9.* *Mores V. Mariæ sanctissimi.*

§. 3. De Christi IESV oblatione.

POstquam impleti sunt dies purgationis MARIÆ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, *Luca 2.*

 sanctum

sanctum Domino vocabitur. & vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. & ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël: & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu S. non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. & venit in spiritu in templum, & cùm inducerent puerum IESVM *parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis,* &c. *Et erat pater eius & mater mirantes super his quæ dicebãtur de illo: & benedixit illis Simeon; & dixit ad* MARIAM *matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur (& tuam ipsius animam pertransibit gladius) vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*

§. 4. *Vota Deo sanctisque reddenda.*

Ex Legenda aurea. VIr quidam Nobilis rogauit B. Nicolaum, vt sibi filium à Domino impetraret, promittens se eum ad ecclesiam eius ducturum, & scyphũ aureum oblaturum. Filius ergo nascitur, & ad ætatẽ perducitur, & scyphus fieri iubetur, qui dum sibi valde placeret, suis eum adaptiuit vsibus, & alium æquè valentem fieri præcepit. Nauigantibus itaq; ad ecclesiam S. Nicolai, iubet pater filio vt in illo scypho quem primò fieri fecit, sibi aquá afferret. Puer autem cùm vellet aquam haurire, cum scypho in mare cecidit, & statim disparuit; pater autem amarè flens, nihilominus votum suum perfecit: veniens igitur ad altare S. Nicolai cùm obtulisset secundum scyphum, tanquam proiectus cecidit de altari: cùm autem eum eleuasset, & super altare iterum posuisset, rursus de altari longiùs est proiectus. Mirantibus omnibus ad tam grãde spectaculum, ecce puer sanus, & incolumis aduenit, primum

primum scyphum in suis gestans manibus, narrauitque coram omnibus, quod quando in mare cecidit, statim B. Nicolaus affuit, & eum illæsum seruauit, sicque pater eius lætus effectus, vtrumque scyphum B. Nicolao obtulit.

§. 5. *S. Elzearius à pia matre Deo dedicatur.*

EAdem qua Elzearium horâ peperit mater, cũ feruenti deuotione & gratiarum actione eum Deo obtulit, ita dicens: Domine Deus, ad cuius imperium existunt creaturæ omnes, gratias tibi ago pro hoc filio, tua benignitate mihi donato, teque humiliter oro, vt eum tibi seruum accipias, & tuæ benedictionis gratiam ei largiaris. Quod si tu illum nosti fore diuinę voluntati tuæ rebellem, vbi sacro baptismate erit candidatus, illum sine mora tollas è medio, satius enim est eum innocentem, & nullis proprijs auctum meritis tecum viuere, & mũdo emori, quàm in hac mortali vita tuã offẽdere maiestatẽ. gratissimã verò fuisse Deo hãc oblationẽ, satis probant diuina sanctitatis indicia, quæ in Elzeario adhuc infante sunt obseruata. *Surius 27. Sept.*

Plura eius generis.

§. 1.

Aleth S. Bernardi mater, mox vt filium Bernardum partu ediderat, manibus proprijs ipsum Deo offerebat. *Sur. 20. Aug.*

§. 2.

Dunstanus cùm adhuc infans ad ecclesiam Dei Genitricis cum oblationibus delatus esset, illis in oratione pernoctantibus apparuit vir ætherei vultus, dicens locum illum sublimandum, puerũ ibi Deo relinquendum: ipsumque per sæcula beatum prædicandum. *Petrus de Natal. l. 8. c. 49.*

§. 3.

S. Gregorium Nazianzenum etiam mater vix natum Deo obtulisse legitur & consecrasse. *Greg. Presbyter apud Surium 9. Maij.*

§. 4.

S. Maurus à Patre Eutychio Deo & S. Benedicto oblatus esse legitur in Breuiario Rom. *Breuiarii Rom.*

§. 5.


S. Hieron. ad Marcel. S. Asella decennis virgo Domino consecrata est teste Hieronymo ad Marcellam.

§. 6.

Sur. 28. Nou. Anna Stephani Iunioris mater (nam hoc ipsi, vt olim Samuelis matri, nomen erat) cùm filium edidisset, statim velut præludium pactorum iniēs, ad Blacharnense templum, vnà cum marito proficiscitur, eumque ei, à qua acceperat, offert: Accipe, inquiēs, Dei Mater, hunc charissimum filium, quem beneficio tuo peperi, accipe eum, quem tibi & vnigenito tuo, etiam ante conceptionem, dicaui.

§. 7.

Sur. 31. Ianu. S. Melana cùm inuita fuisset marito tradita, nec ab eo continentiam coniugalem vtriusque potuisset impetrare, nisi post prolem aliquam susceptam; peperit puellulam, quæ cùm primùm lucem adspexit, castitatis Soli fuit consecrata, Melana offerente primitias Domino, qui ipsam dederat, vt sic vel consuetudinem habens matrimonij, videretur plurimum tribuere virginitati.



CAPVT XVII.

IMPRECATIONES PARENTVM NON SVNT IN *pueris inefficaces.*



QVANTOPERE Deo Opt. Max. parentum voluntas animique propensio grata sit, dum filios suos diuino cultui ab incunabulis offerunt, superiori capite ostensum est; nunc verò è contra, quàm potentes, quamque metuendæ sint eorum impre-

imprecationes, quibus filios quandoque suos diris deuouent, declarabimus. Ideo enim Iacob à matre Rebecca rogatus, vt fratri paternam benedictionem præriperet, innato quodam naturæ instinctu veritus patrem, non facilè huic se discrimini committere ausus est, *Timeo*, inquit, *ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionē pro benedictione.* quo quidē exēplo posteris testatū reliquit, formidabilē admodum esse debere filijs parētum offensam, ac maledictionem. Atque hoc ipsum est quod nos docet ille paternę nuditatis irrisor Cham: hic enim cùm parentem suum indecorè præ temulentia iacentem conspexisset, fratribus suis ostendit deridendum: sed non impunè, id quippe cùm parens resciisset, graui eum maledictionis sententia, atque adeo eius posteros omnes, deuouit; at verò Sem & Iaphet præclaris verecundię ornamentis præditos fratres, quòd parentem suum auersis vestigijs contexissent, omnibus fortunæ donis cumulauit. tantâ passim per sacras paginas animaduersione vindicanda proponitur aduersus parentes irreuerentia. Neque id mirum, cùm apud Ethnicos quoque eiusmodi diras pueris valde perniciosas semper solitas æstimari, certum sit: qua de re lege Platonem.

Genes. 27.

Exod. c. 21. *Leuit. 20.* *Deut. 27.*

Plato l. 11. de legibus.

Sed quamuis nunquam Deus has parentum precationes exaudiret, non ideo inanes & inefficaces, sed pueris maximè formidabiles essent ducendę, ob ingentes, quas in eorum tum mentibus, tum corporibus excitant perturbationes: siquidem (vt obseruat Lemnius) cùm ita excandescere parentes vident, tamque atroces execrationes in se congeri, obstupescunt, trepidant, perturbantur, & horrore concussi in spasmum aut epilepsiā incidunt, vel furore ac rabie corripiuntur, menteque alienantur. tanta enim fit in huiusmodi corporibus spirituum humorumque concussio, vt

Lemnius l. 2. c. 28. de occultis naturæ miraculis.

ſenſuum inſtrumenta conuelli contingat,omneſque animæ facultates inuerti: quod non ſolùm in ætate tenera,ſed etiam adultiore contingit,quę reuerētia ac pudore erga parentes ducitur, nec minorem in corpore cladem percipit,dum quæ per diras & maledicta filijs imprecantur parentes, effectum ſæpe luctuoſum ſortiuntur. Nolim tamen quiſquam exiſtimet hanc Medicorum ſententiam omnes harum cladium cauſas in ſe complecti: nam etſi execrationum fulmina corpora feriant animoſque, & ad humorum ſenſuumque perturbationem vim afferant plurimam,quî fieri putandum eſt,vt in puerorũ corpora cacodęmon tanquam in poſſeſſionem inuolet ſuam,nunc terriculamentis ſolicitet,nunc ſublimè auferat,nunc in fauces inuolando ſtranguler? qua vi efficiatur, vt in furcam patibulúmve quis attollatur?vt alteri manus amputetur, vt clandeſtino graſſante incendio cōcremetur?nemo hęc in imaginatricem facultatem,animi cōſternationem,aut humorum commotionem coniecerit: neque verò vis quædam occulta & energia verbis ineſſe putanda eſt (vt quidam delirarunt)reſtat igitur vt id omne in diuinam iuſtitiam præcipuè referendum dicamus, quam parentes ad funeſtam cladem liberis inferendam proliciunt.

§. 1. *Pueri decem matris maledictione perculſi membrorum tremore quatiuntur.*

D. Aug.l. 17. de ciu. Dei c.8. VNum eſt (inquit Aug.) quod apud nos factum,tam clarum fuit atque illuſtre miraculum, vt nullum putem eſſe. Hipponenſium, qui hoc vel nō viderit,vel didicerit, nullum qui obliuiſci vlla ratione potuerit.Decem quidam fratres fuerunt, quorũ ſeptem ſunt mares,tres feminæ,de Cæſarea Cappadocię ſuorum ciuium non ignobiles, qui maledicto matris, recenti patris eorum

obitu

obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coërciti, vt horribiliter omnes quaterentur tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaqua versum cuique ire visum est, toto pene vagabantur orbe Romano: ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante, iam cogniti. Venerunt autem ante Pascha ferme dies quindecim, ecclesiam quotidie & in ea memoriā gloriosissimi Stephani frequentabant orantes, vt iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Post hæc narrat Augustinus, quemadmodū per misericordiam Dei, & inuocatam ab ipsis B. Stephani intercessionem prorsus liberati & sanati fuerint.

§. 2. *Puer à cacodæmone possidetur imprecatione matris.*

IOannes Aretinus Archipresbyter in vita S. Zenobij Episcopi Florentini ita refert. Mater cùm filio febribus laboranti quadragies vna nocte poculum porrexisset, puerоq; adhuc poculum petenti irata dixisset, Vnà cum hoc diabolum bibe; puer statim à dæmone possidetur, qui tam crudeliter eum exagitauit, vt vix vllis vinculis constringi, remedio nullo liberari posset, donec tandem ad S. Zenobij monumentum deportatus est. *Sur. 25. Maij. Delrio de Magia l. 3. p. 1. q. 7. s. 1.*

§. 3. *Puella item quinquennis.*

MVlier quædam in Briseke satis crudeliter hoc anno vexabatur. Hanc diabolus, cùm esset quinquennis, hoc ordine intrauit. die quadā cùm lac manducaret, pater eius iratus dixit: Diabolum comedas in ventrem tuum. Mox puellula sensit eius ingressum, & vsque ad maturam ætatē ab illo vexata est. hoc anno primùm meritis Apostolorum Petri & Pauli, quorum limina visitauit, libera- *Cæsarius l. 5. c. 26.*

liberata est. quis dicere audeat quinque annorum infantulam baptizatam non habere charitatem? de qua idem dęmon dicebat; Me egresso numquam aliud post hanc vitam sentiet purgatorium.

§. 4. *Infantula octennis malo genio deuota multis deinceps annis possidetur.*

Matthæus Tympius in Theatro diuina vindictæ ex litteris Soc.

MVlier fuit annos nata 52. è quibus 44. vixit à diabolo obsessa: nam cùm octauum ætatis annum ageret, male precata ei mater est, atque inde in dæmonis potestatem tradita; nihilominus vbi adoleuit, nuptui data est, atque è duobus deinceps viris liberos tricenos ternos suscepit, semel enixa quatuor infantes, bis tres, quater gemellos, singulos alios, singulis partubus. Hoc illi verò beneficij dedit Deus, vt nunquam dum vterum ferret, mali quicquam à dæmone pateretur, quem vt eijceret remedium quęsiuit sępe, sed non valuit; præterquam quod sacris carminibus coactus aliquando est, vt ad certum temporis spatium relicto reliquo corpore pedi tantùm insideret, *&c.* tandem Embricæ liberata est anno 1597.

§. 5. *Mater infantem cacodæmoni deuouet, exauditurque.*

Ex annal Soc. prou. Mediol. domus prob. Aron ann. 1589.

ARonę in prouincia Mediolanēsi mulier quędam, naturalem leuitatem ira concitante, cùm infantem puęrum sacro igni deuouisset, exaudita est celeriùs quàm volebat. eodem enim morbo paulò pòst filius miserè absumptus, quamquam serò, admonuit genitricē verbi impudenter lapsi, & ipsa, suâ orbitate, quicunque hoc erant audituri, vt ne commoti iracūdiâ, diris execrationibus prosequantur liberos, quæ vbi semel exciderunt, reuocari non possunt.

§. 6. Puer

§. 6. *Puer sublimè aufertur.*

VIx etiamnum triennium est, cùm illustre quiddam in hoc genere Belgium nostrum conspexit, relatū nobis ab ijs qui ab oculatis testibus accepêre. Iuxta Mariæ-montem vicus est; hîc à puero nescio quid perperam actum erat. exasperatus parens iræque impotens puerum maledictis insequitur, interque cetera execrationum fulmina, his eum verberat; Diabolus te auferat. Vix hæc elocutus fuerat, cùm in parentis conspectu puer sublimè abripi visus: parēs rei inopinato euentu perculsus in genua se abijcit, culpam deprecatur, votum impium retractat, in lamenta se dat, neque tamen voti compos efficitur: ex oculis sublatus puer biduum totum abfuit; tum demum non procul à paterna domo repertus pannosus omninò, squalloreque obsitus, pallido exanguique vultu, mortuoque quàm viuenti similior, à quo cùm peteretur vbi terrarum toto illo biduo egisset, nescire se respondit.

Iacob. Bafre. in sua Quodlibetica de Mal. Hom. b. parentū Duaci habita an. 1613.

§. 7. *Aliud eiusdem argumenti.*

NVper in Italia simili matris deuotione puerum omnibus adspectantibus cacodæmon in Apennini verticem abstulit. Rem retulit P. Ioannes Seruius, quem illac, cùm recens facti esset memoria, iter habere contigit.

Ibidem.

§. 8. *Puer à patre Lycanthropo ab anno ætatis septimo cacodæmoni deuotus.*

HÆc, inquit, eo libentius referam, quòd ex Auditoribus testes habeo, qui ei spectaculo interfuêre, sermonesque cum ijs de quibus agendum habuêre. Ita res habet. Tres fuere; viri duo, duodecennis puer tertius, parens vnus, alter filius. Postquam multos annos sub adscititia forma magnam infantium puerorumque stragem exercuissent,

Idem in Quodlibetica sua de Lycanthropia.

cuiſſent, fortè accidit vt lictores aliquot nil tale ne ſuſpicâtes quidem, vnum ex hiſce Lycanthropis obuium haberent, quos vbi ille conſpexit (vt eſt ad omnem auræ motum erecta & meticuloſa impiorum conſcientia) primùm metu pallere, mox etiam fugam circumſpectare, genibus contremiſcere, propinquantibus denique inclamare, Sinite, omnia aperiam. Hunc vt lictores exanimatum conſcientia ſcelerum vident, ſua etiam atrociſſima facinora ac maleficia propalam confitentem, comprehenſum ad iudices pertrahunt: hic primùm maleficiorum ſocios reuelat, quos cùm apprehendiſſent, ab ijs tota eius Lycanthropiæ ratio quæri cœpta. Itaque hi (vt ex eorum verbis cognitum) triginta vel quadraginta ipſos annos cacodæmoni ac veneficijs adhæſerant, tandemque ob egregiam nauatam Dæmoni operam ad Lycanthropos accenſi (qui apud eos dignitatis gradus eſt ſupremus, & maximè optandum veteranis præmium) cinguloque quo in lupos transformarentur, donati, ingentem quaqua verſum vaſtitatem & puerorũ carnificinam intulerant; quos vbi lupi hi prodigioſi apprehenderant, iugulabant primùm, ac deinde in interiorem ſyluam aſportatos belluinum prorſus in morem diſtractis membris diſcerpebant, vorabantque, in ipſaſque imprimis nates quaſi delicias ac pulpamentum inuolabant. Filium venuſtâ admodum ſpecie oriſque dignitate parens Lycanthropus ſeptimo ætatis anno cacodæmoni addixerat, impijſque ſacris initiauerat, quem quia vires primùm ac latera firma deficeret, in coruum diabolus induebat, qui vbi parentem prædâ onuſtum conſpexerat, ad notas epulas aduolabat: poſt etiam vbi viribus & ſtaturæ acceſſio facta eſt, eundem in lupum cacodæmon efformabat. Annorum duodecim erat tum puer ille Lycanthropus, cùm

cùm in iudicum manus tribus tantummodo abhinc annis Leodij venerat. Itaque duo illi veterani digno tantis facinoribus supplicio viuentes spirantesque admotis ignibus periêre. Puer, quem fere ętas & innocentia tegebat, vtpote qui parentis flagitio in eam amentiam venerat, omni supplicio liber dimittēdus, & in secretiorem locum ablegandus videbatur, nî veritum fuisset ne per illecebram consuetudinis, & mali genij, quem infestum habebat, importunitatem, ad eadem postmodum flagitia rediret. Eapropter per speciem medicinæ faciendę stomacho, cui ex crudæ infantium carnis esu vitium insederat, à carnifice pertusâ in pede venâ, leui mortis genere interemptus.

§. 9. *De horrenda puerorum immolatione ad venerationem idoli Moloch.*

QVi imprecationib. filios suos dæmoni deuouent, eorum crudelitatem imitãtur, qui idolo Moloch immolabãt, de quo ita Lyranus. Idolum Moloch, quod ex ære cupro, vel orichalco conflabatur, intus cõcauum erat, intra cuius concauitatem magnus accẽdebatur ignis: cumque orichalcum penitus incanduisset, pater idolo immolaturus accedebat, ardentibusque idoli manibus filium imponebat, qui in candenti ære exurebatur, ac totus liquefiebat. Interea sacerdotes campanis, cymbalis & cornibus ingentem edebant clangorem, ne parentes puerum afferentes eius clamorem audirent, & compaterentur; sed magis gauderent credentes puerum sine dolore ad feliciorem vitam pertransisse: quod ne fieret, sub graui comminatione Deus prohibuerat.

Nicolaus Lyranus in c. 7. Ierem. & 16. Ezech.

CAPVT

CAPVT XVIII.

PARENTES SANCTIS PROLIBVS FELICES.



Salmiographus homini Deum timẽti felicitatem suam commemoraturus, hanc etiam in primis attexit: *Psal. 127.* *Vxor tua sicut vitis abundans*: vt enim vitis fœcunda multos pampinis racemos appendit, ita mulier prole maritum multiplici beare consueuit. Quod quidem licet ad felicitatem aliquam pertineat, tamẽ vt minimè magnam eam esse meminissemus, multos Deus quos maxime complexus est; etiam matrimonij vinculis adstrictos, hac beatitate destituit; vt Abrahamum & Saram, Isaacum & Rebeccam, Zachariam & Elizabetham: multis etiam virginitatis perpetuò colendę mentem indidit, vt de sanctis Prophetis Elia & Hieremia creditur; & scitur de B. Virgin. MARIA, S. Ioanne Bapt. S. Iosepho, & alijs propè infinitis, quos certè Deus non priuasset hac felicitate coniugij, nisi maiores virginitatis laudes efflorescerent. Est tamen (vt dixi) sua laus fœcunditati; fuitque priscis antiquæ legis temporibus maior, cùm parentes à sterilitatis probro vindicabat, eorumque mẽsam tam expetita filiorum corona cingebat. Iam si laudi ducendum sit multas edidisse proles, eam laudem augeri maximopere est necesse, cùm ad multitudinem quoque sanctitas accedit: illud enim naturę est, hoc virtutis; illud ad orbis huius, hoc ad cæli propagationem spectat. Quanta putatis eiusmodi parentibus accedet in cęlo lætitia ex tot sapientum filiorum numero? cùm in Prouerbijs dicatur, *Prou. 10.* *Filius sapiens lætificat patrem*. Si Machabęorum mater, si

ter, si Sophia, si Felicitas, cùm filios suos mortem pro Christo constanter obire oculis suis cernerent, atque adeo exhortarentur, totis præcordijs exultabant, quanta exuberabunt lætitia, cùm eos omnes *in circuitu mensæ* Domini accumbẽtes, ministrante Christo, conspicient? *Psal. 127.*

§. 1.

Septem Machabęi fratres exhortantem ad fortiter pro patrijs legibus moriendum, matrem prę-cesserunt. *2 Macha. c. 7.*

§. 2.

Sancta Felicitas septem filios (vt ait D. Gregorius) sic post se timuit viuos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant: ergo de septem filiorum salute secura, totiesque & ipsa martyr, simul capitis trũcatione gloriosam victoriæ palmam est cõsecuta. *D. Gregor. homil. 3. in Euang.*

§. 3.

De septem quoque filijs martyribus Symphorosa gloriatur. *Petrus in catal. l. 6. c. 111.*

§. 4.

Septem pueri fratres de genere Carini Imperatoris cum Celso puero martyrio donati sunt. *De quibus 3. pa. c. 10.*

§. 5.

Aleth S. Bernardi mater, septem liberos genuit, non tam viro suo, quàm Deo: sex mares, qui omnes Monachi facti sunt; & feminam vnam, quæ sanctimonialis. *Wilhelm. Abbas in vita S. Bernardi apud Surium 20 Augusti.*

§. 6.

Sancta Regina, Pipini regis neptis, S. Adelberti coniux fundatrix Dononij iuxta Vallencenas monasterij, vbi eius etiam corpus quiescit, decem habuit filias, quæ omnes cælibem vitam elegerunt. *Molanus d. natal. SS. Belgij 1 Iulij.*


§. 7.

Adrumẽti in Africa celebratur festum Sanctorum Bonifacij & Tęclę, qui beatorum duodecim filiorum *Martyrol. Rom. 30. Aug.*


filiorum martyrum parentes fuerunt.

§. 8.

P. Mariana de rebus Hispanicis Idem legitur de S. Marcello, qui erat patria Legionensis, hic enim pro Christi se religione morti deuouit, eiusque exemplo duodecim filij quos genuerat, & bonis moribus exornârat, in eiusdem causæ assertione mortem constanti animo pertulerunt.



SECVNDA PARS
PARADISI PVERORVM,
VIRIDARIA AREOLÆ, TOPIARIA:
VBI DE IIS AGITVR, quæ gesserunt pueri vitæ suæ progressu.




ADHVC sumus in proëdrio, nisi me velut quadrigis pręcucurristi. Vidisti, inquã, e compluuiata ista pergula primos *Paradisi* ingressus, inusitatos nascentium putionum egressus: felicia germina beatè fructibus lætissimis præludentia. Sed nunquid adlubet mecũ huc intrò? viridaria isthinc vides, areolas, topiaria, & si quid oculorum orbibus amicius. Quis quæso pedem vltro gradientem retentet? Cyrus quidem, qui amœniores saltus non putauit à regia dignitate alienos, & verò manu ipse sua gentium domitrice, qua sceptrum librabat, coluit:

luit: si quispiam ad se tuendæ beneuolentiæ causa aduentaret in hortum illum, tanquam ad partem palatij principem manu apprehensum ducebat, & arbores, quas ipse hinc in quincuncem, inde in orbem solo commendarat, aquæductus summa arte elaboratos, flores mira colorum varietate intinctos digito ostendebat. Túne primo in limine præeuntem relinques? Age, te ego Sponsæ verbis, si fugis, reuoco; si accedis, attraho; si curris, impello; *Veni in hortum meum*, vt comedas de fructu pomorum eius. Vide; introspice, infer pedem, vltro citroque discurre: non ibi Venus euincta cothurno rosas noua purpura induit: non inuerecundus ille Custos, qui castis auribus vel appellatus officiat: maiorum lasciuientium commenta. Præter honestatem, integritatem, castimoniam; præter verborum sationes, verbo vt absoluam, nihil. Adolescunt quippe felicissimum in culmum semina, & versicolores ruptis calycibus flores extrudunt. Videbis istum verecundiæ minio purpurascentem, hunc castimoniæ nitentem candore, alium magnitudinis lauro assurgẽtem, alium charitatis igne fulgentem; omnes singulari decore diuinitus afflatos, vt qui vnum aspexerit, omnem se ornatum oculis vsurpasse credat; qui omnes vno aspectu lustrarit, nihil ad pulchritudinem varietatis, aut ad varietatem pulchritudinis, addi posse fateatur. Et verò cui hortus ad fores expectanti tam suaues odores adspirat, quanta amabo erit subingresso oblectatio, multiplicem formam, colorem, odorem; dissectos, continuos, profundos, repandos, in cymbam cauatos, in crinem surrectos, candidos, flauos, hyacinthinos, miscellos, saturos, dilutos, ex rubro pallescentes, ex croceo rubescentes, variè fragrantes, videnti, attingenti, carpenti, plenis naribus haurienti, admiratio. Ergo antequam procedamus, tibi pauculas edico leges. Túne puer? adolescens? vir? aut senex?

Cantic. 5.

Leges in Paradisum intromissis seruandæ.

quadrata cordis spatia coëquato, illiusque terram probè subigito. Dein quicquid hic satum aut natum, oculis ne solùm libato, sed & ad eius tactum & raptum manum efferto, vt in cordis feratur areolis. Carpito rosam pudoris, crocum caritatis, obedientiæ heliotropion, lilium castitatis, prudentiæ hyacinthum, violam humilitatis, pietatis, sanctique nominis, audacter quicquid visu venit legito: nullus hîc, qui te prohibeat, Clusius. Sed nimis te diu sustineo. vidésne ad dextram quà nos flexuosus trames ducet areolam Innocentiæ? hic primùm, si lubet, mecum applicare.



CAPVT I.

PVERORVM INNOCENTIA.

FELICISSIMVS ille innocentiæ status Protoplastorum fuit proprius, fuissetque nobis omnibus cum ipsis communis, nisi malignus eum serpẽs nobis inuidisset: sed ô fuit! ô fuisset! ô nisi! Iam verò si qua vspiam vel adumbrata restat innocentia, nec omnis orbe exulat vniuerso, eam sibi (disparem licet) fere vindicant pueriles anni: his veluti limitibus, exiguis licet (en quò deuenimus?) continetur; admodum pueri admodum sunt innocentes: quamquam non omnes pueri continuò sunt innocentes, adeo se etiam in his prodere incipit infelix loliũ. Ita agnoscit D. Augustinus cùm ait: *An pro tempore etiã illo bona erant flendo petere etiam quod noxiè daretur, indignari acriter non subiectis hominibus, liberis,*

Augu l. 1. Conf. c. 7.

liberis, & maioribus, hisque à quibus genitus est, multisque praeterea prudentioribus, non ad nutum voluntatis obtemperantibus feriendo nocere, niti quantum potest, quia non obeditur imperijs, quibus perniciosè obediretur? Ita imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium. Vidi ego, & expertus sum, zelantem paruulum; nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum. hæc ille. Attamen, si qua, vt dixi, innocentia est reliqua, pueros est penes; ideoque horum fieri nos cupit æmulos Christus, cùm ait: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli isti, non intrabitis in regnum cælorum.* *Matth. 9.*

Atqui ætas hæc (inquit Ambrosius) *infirma est viribus, inualida ingenio, immatura consilio: non ergo ætas præfertur ætati; alioquin obesset adolescere. Quid votis opus est, vt æui maturitas consequatur, si mihi meritum regni demptura cælestis est? ergo Deus vitæ processum ad vitia dedit, non ad incrementa virtutis. Cur autem pueros aptos dicit esse regno cælorum? fortaße quia malitiã nesciant, fraudare non norint, referire non audeant, scrutari ignorent opes; honorum ambitionem non appetant. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas indicatur: non enim virtutis est non posse peccare, sed nolle, atque ita tenere perseuerantiam voluntatis, vt voluntas infantiam, vsus imitetur naturam.* hæc Ambrosius Apostoli verbis consentiẽs, qui sic monet: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Allatis ergo suprà verbis Christus in statura paruulorum nobis humilitatem, & vitæ innocentiam commẽdauit, vt Augustinus quoque rectè notat in hunc modum: *Humilitatis signum in statura pueri commendasti, Rex noster, cùm aisti, Talium enim est regnum cælorum.* simul etiam indicare voluit illam ętatem esse valde idoneam ad Paradisi cælestis amœnitatẽ ineundam. Atque hoc est quod nomen ipsum indicat: *pueri* enim quasi *puri* à *puritate* dicuntur à M. Varrone, quòd impuberes sint, eorumque ætatem

Ambr. l. 8. in Lucam.

1. Cor. 14.

Lib. 2. Cõf.

in annum vſque decimum quintũ producit idem author, ad quod vſque tempus *puri* & innocentes eſſe debent *pueri*, non ſecùs ac ſi non homines, ſed lapſi è beata Hieruſalem Angeli forent. de quorum ſiue hominum cæleſtium, ſiue Angelorum mortalium genere, exempla ſubijciemus: præibit IESVS, qui quantùm cæli diſtant à terra, innocentiſſimos quoſque innocentiâ ſuâ præcurrit.

§. I. *Eximia IESV & MARIÆ innocentia.*

SÆuiſſimo Tyranno mundiq́ue Principi omnes hominum ordines, ſi Chriſtum & matrem eius excipias, ter miſeram ſeruitutem aliquandò ſeruire coguntur. CHRISTVS innocentia ipſa eſt, adeoq́ue omnis innocentiæ ſanctitatiſq́ue princpium. MARIA reliquis fuit in eo felicior, quia ad vincendum omni ex parte peccatum gratiam ac virtutem accepit ſingularem: nam Chriſtum parere meruit, vt idcirco propinquior & coniunctior illi eſſe non potuerit, qui natura eſt, manetq́ue ſemper impollutus. Teſtatur S. Brigitta diuinitus edocta, quod MARIA ne venialiter quidem vnquam deliquerit, ſed inde ab infantia ſemper plena Spiritu ſancto vitæ innocentiam perpetuò retinuerit.

L. 3. reuel. c. 8.

§. 2. *Puerilis innocentia Chriſto gratiſſima.*

QVantopere Chriſto Domino placuerit puerorum innocentia, ex eo poteſt intelligi, quod apud Matthæum legitur: *Videntes Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicẽtes:* Hoſanna filio Dauid; *indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique nunquam legiſtis, Quia ex ore infantium & lactantium perfeciſti laudem?* Idem

Matth. 21

Pſal. 8.

probat

probat quod narrant Euangelistæ alij. *Afferebant ad illum infantes, vt tangeret illos, & manus eis imponeret, & oraret. Quod cùm viderent discipuli, comminabantur offerentibus, & increpabant eos. Quod cùm videret IESVS, indignè tulit, & conuocans illos, ait illis; Sinite paruulos venire ad me, & nolite eos prohibere venire ad me: talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei sicut paruulus, non intrabit in illud: & complexans eos, & imponens manus super illos benedicebat eos.* *Matth. 19 Mar. 10. Luc. 18.*

In quę verba ita Victor Antiochenus. *Proprium est Conditoris in suis se operibus oblectare, eorumdemque ad se accessum non inhibere, maximè verò cùm nihil occurrit quod eiusmodi aditum legitimè impediat,* &c. & infrà: *Christus Dominus paruulos blandè cōplectitur & suscipit, cælesteq́ regnū iisdem promittit; est enim paruuli anima candida, & ab omnibus vitiosis affectibus libera, quandoquidem puerulus tristia passus, aut iniuria à quopiam affectus, neque iniuriarum reminiscitur, neque vindictam meditatur; verùm quasi nihil incommodi tulerit, ad eum qui læserat, tanquam ad amicum, vltro accedit: pari modo, licet grauiter à matre cædatur, accurrit nihilo seciùs præ cæteris ad ipsam, vnamque illam omnibus aliis mulieribus potiorem ducit. Et si Reginam diademate redimitam ostenderis, non anteponit eam matri quantumlibet vilibus pannis indutæ, auetque magis illam videre pannis obsitam, quàm Reginam splendido corporis cultu ornatam. Ad hæc nihil prorsus plus exigit, quàm naturæ necessitas deposcit: quare vt primùm mammarum succo sese expleuit, statim materna vbera deserit. præterea de earum rerum iactura, quas nos maximi facere consueuimus, vt sunt pecunia, gemmæ, aliaque eiusmodi, nihil prorsus mouetur aut contristatur. denique non stupet, nec rapitur ob corporum venustatem, vt ceteri mortaliū solent. Propter hæc ergo Dominus, dixit:* Talium est regnum cælorum: *nempe per hoc nos admonens,* *In Bibliotheca SS. Patrum tom. 1.* Conditiones in pueris laudabiles, & senibus quoque optandæ.

mouens, vt studio certaq; voluntatis electione talia faciamus, talemq; affectum induamus, qualem ipsi ex natura sua qualitate induti sunt. Hactenus Victor.

§. 3. *Ad Deum obsecrandum puerorum innocentia adhibetur.*

ISraëlitici populi veriti ne Holofernes Assyriorum Princeps ad eum modum depopularetur Solymam, quo cæteras ciuitates, *Infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.*

Iudith. c. 4

§. 4. *Puerorum innocentia armis fortior.*

Glaber. ex quo Raderus in Aula sancta Theodosii in obseruationibus ad c. 14.

S. Henricus Imperator receptis alijs Italiæ ciuitatibus à Græcis occupatis ad Troiam etiam Italiæ tum vrbem, à Græcis quondam conditam, exercitum admouit. Ciues spe subsidij à Basilio Grçcorum Imperatore submittendi, obsidionem ad quartum mensem non sine fortitudinis laude sustinuerunt, interimque Imperatori non raró clades magnas intulere: machinas aggeribus admotas per noctẽ iniectis ignibus corruperunt, subitisque eruptionibus non paucos cõciderunt, vt irritatus Imperator iurarit, se quot quot arma ferre possent, immo quicquid stirpis in vrbe virilis esset, in furcas acturum, tecta incẽdio vastaturum, totamque ciuitatem solo æquaturum. Instauratis ergo machinis, & crudo corio tectis, ne ignẽ caperẽt, arctiùs premere cœpit obsessos, qui desperatis iam auxilijs, & simul Imperatoris iras veriti, quò se verterent, vix habebant. Tãdem in deditione salutem vltimam experiuntur, legationem instituunt, qualem raró sçculis retro lapsis inuenies. Religiosum virum habitu Monachi rogant vt ducem se legationis præbeat, crucem gestet, huic quidquid in vrbe pueritiæ erat ac prope infantiæ, certo ordine adiungunt. Præit ille, sequitur agmẽ puerorum, castra ingrediuntur,

Apud Vitruuium huic fere geminam leges de Rhodijs legationem.

diuntur, clamant omnes lacrymabili geſtu, *Kyrie eleiſon*. Cumque iam vox aures Imperatoris feriret, quæſiuit quid inſolens hæc ſibi vellet vociferatio? cernit paruulos, illacrymat: cumque miſericordiã eius implorarent, & ciuitati pacẽ precarẽtur, remiſit exercitum infantiũ omnibus armis fortiorem in vrbem: &, *Nouit* (inquit) *ille cardiognoſta Deus ciues impios & perduelles, cauſam potius horum necis, quàm me exiſtere.* Obſeſſi cùm animum Imperatoris permotum, ſed nõdum flexum & exoratum cernerent, admouendos eoſdem illi arietes putauerunt: poſteroque die cum eodem cultu cantuque ad Imperatorem allegant. Imperator ſimul ac innocentium voce *Kyrie eleiſon* audiuit, vltro ſurrexit, & progreſſus ad ſpectaculum è tabernaculo, vbi puerorum vidit innocentiam, geſtuſque ſimplices, in illas Domini voces (vt erat Religioſiſſimus) erupit: *Miſereor ſuper turbam*, oblituſque iniuriarum, pacem ciuibus hac lege, reſciſſo decreto denunciari iuſſit, vt ſi ſibi indulgeri vellent, eam murorum partem, quæ molibus illius bellicis erat obiecta, ipſi vltro demolirentur, quâ abſque mora deiectâ, iuſſi Principes ad Imperatorem (datâ publicâ fide) ſe ſiſtere, prompti ad genua eius procubuere, quibus pacis obſidibus acceptis, imperauit, vt euerſam murorum partem inſtaurarent; paceque compoſitâ, obſidionem ſoluit.

§. 5. Pueri ciuitatem Lemouicenſem defenderunt.

CIuitas Lemouicenſis, quòd à furore hæreticorum ſe aliquando ſeruatam meminit, id totum pueris inſontibus virgunculiſque etiam num acceptum refert, qui ſtatâ quotidie horâ conglobati, ante B. V. MARIÆ ſtatuam, conſpicuo ad vrbis portas loco erectam, ſumma cum veneratione cultuque precarentur.

Dominic. Candela de Virginitate diſcurſu 13. c. 2.

§. 6. *Ingens insontium puerorum agmen ad agendas Deo gratias adhibitum.*

Iac. Meyerus lib. 16. Annalium Flandriæ 1450.

ANno Dom. MCCCCL. septimo decimo Calend. Maij cōmissa fuit pugna Forminiaca, vbi victi Angli, ac quadringenti & ampliùs interfecti, multi capti, multi fugati à Gallis. Hanc ob victoriam Lutetiæ Parisiorum habitæ supplicationes, quibus iussu Guillelmi Episcopi Parisiensis, omnes pueri vrbis in templo SS. Innocentium Martyrum ibant ad sacram ædem Deiparæ Virginis: traduntque fuisse ad 12. millia infra decimum quartum annum ętatis. quę res pia erat & laudabilis.

§. 7. *De Nicolao Staurophoro infantes ad Litanias inuitante.*

Ex Menæis Raderus Viridarij 2 p. c. 5.

NIcolaus Staurophorus (quem Græcia Latinæ Ecclesiæ transmisit) in Græcia cùm illam Christi vocem sæpius attentè audisset, quâ Christum sequuturi iubentur crucem tollere, ratus se præcepto Imperatoris sui non satisfacturum, nisi fabricatam etiam è robore molem crucis in humeros inijceret, relicto suorum cœtu peregrinationem sublatâ cruce suscepit, venitque Hydruntum Calabriæ oppidum in Apulia, Hydrunto Tarentum, Tarento Traniam seu Tyrrheniam, ibique vectans humeris solitam crucis trabem coëgit puerorum cœtum, obijtque sacra vrbis templa assiduò solenne sibi Κύριε ἐλέησον, clamitando, globumque puerorum ad easdem voces iterandas inuitando. Quod vt ab illis impetraret, & quotidie ad suas supplicationes traheret, pomis & alijs hoc genus illicijs pelliciebat.

§. 8. *Innocentiam puerilem in precando magni fecit Gersonius.*

In eius vita, vt habetur ini-

IOannes Gersonius sacræ Theologiæ Professor, & Cancellarius Parisiensis omne suum tempus

orando,

orando, meditando, concionando, componendo, & præſertim paruulos in fidei Chriſtianæ rudimentis quotidie informando, impendit; quorum ſalutem atque eruditionem, qua arte moderaretur, libellus ille, *De paruulis ad Chriſtum trahendis*, nunquam ſatis laudatus, apprimè indicat, cuius epilogum hic adſcribere lubet. *tiot. p. operum eius.*

Vſquequo paruuli diligitis infantiam, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Venite fidenter, nulla viarum inſidiæ, nullus latet anguis in herba, communicabimus mutuò bona ſpiritualia, quia temporalia veſtra nulla requiro: ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis, immo orabimus pro inuicem, vt ſaluemur: ſic Angelos noſtros viciſsim lætificabimus, in quorum ſolennitate hæc ſcribo: ſic fortè, nec iam fortè, ſed certa ſpe, miſericordiam inueniemus apud Patrem noſtrum, dum obediemus voci eius, in acceſſu noſtro ad eum, ego prouocando, vos exequendo: nec deerunt piæ gratiæ, & deuotionis amplexus in præſenti miſeria conſolatorij, poſtmodum gloriæ conſummatæ perpetua vnitas ſubſequetur. Ad quam nos omnes, qui ſpiritu paruuli eſſe debemus, inuitat ipſe IESVS, ſpirituali collocutione, & afflatu iugiter inſpirans, & dicens: Sinite paruulos venire ad me.

Hæc pia & religioſa conſuetudo, quam cum puerulis toto vitæ ſuæ decurſu habuit Cancellarius, effecit, vt cùm ſibi mortẽ imminere præſentiſceret, omnes paruulos, quos de more in ædem D. Pauli Lugdunenſis quotidie ad catechizandũ cogere ſolebat, Deum Opt. Max. pro ſe in hęc verba orare, & coram ſacroſancto altaris ſacramento ſæpius iterare, & exclamare induxerit, *Mon Dieu, mon Createur, ayez pitié de voſtre pauure ſeruiteur Iean Gerſon*! quod Latinè redditur: *Deus meus, Creator meus, miſerere pauperrimi famuli tui Ioannis Gerſonij*!

§. 9. S.

§. 9. *S. Helenus puer innocens prunas veste illæsâ defert.*

S Hieron. in vita Patrum de S. Heleno p. 1

ADmiranda fuit Heleni pueri innocentia virtusque: tanta enim sanctitate, tenellâ adhuc ætate enitebat, vt cùm ignis causâ ad vicinos accederet, in sinum exceptum ferret veste prorsus illæsa.

§. 10. *Nihil innocenti infanti dæmones nocere potuerunt.*

Germanus quidam l. C. l. 1. de Lamys, c. de malitia diaboli, ex quo P. del Rio de Magia to. 2. l. 3. part. 1. q. 7. sec. 1.

IN Silesia quidam Nobilis cùm inuitasset conuiuas, & horâ conuiuij iam instante, & apparatu facto, spe frustratus esset, excusantibus se conuiuis cur non comparerent, prorupit iratus in hæc verba; Veniant igitur omnes dæmones, si nullus hominum mecum esse potest. His dictis domo egreditur in templum, vbi Pastor ecclesiæ concionem habebat, & vt iracundiam concoquat, auscultat aliquamdiu: dum verò in templo moratur, veniunt equites in aream domûs magni & nigri, & iubent seruum domus dominum suũ aduocet, eique significet esse hospites. Seruus consternatus abit in templum, & indicat hæc Domino suo, qui nescius consilij, Pastorẽ consulit: Pastor abrũpens cõcionem hoc cõsilium dat, vt tota familia domo exeat; quod cùm fieret, & famuli & ancillę properarent, forte obliti infantem in cunis iacentem & dormientem secum non auferunt. dæmones incipiunt comessari, & vociferari, prospicereque per fenestras formis vrsorum, luporum, felium, & hominum. & monstrare pocula vino repleta, assaturas & pisces. Hęc vicini Nobilis, Pastor, & alij cùm viderent, Ah, inquit pater, vbi infans meus? vix cùm hęc dixisset, vnus ex dęmonibus vlnis suis ad fenestras gestat, quasi monstraturus parẽtibus. Nobilis prorsus consternatus, & solicitus de incolumitate infantis, fidum habens seruum,

Infans in cunis iacẽs relinquitur.

eum

eum interrogat: Quæſo tu dic quid agam? ſeruus, Domine, inquit, commendabo & committam vitam meam Deo meo, & in nomine Domini ingrediar, & vt infantem auferam auxilio & beneficio eius videbo. Bene, inquit, Nobilis, Deus tecum ſit, & iuuet te, animumque tibi confirmet. Seruus acceptâ benedictione à Paſtore & reliquis, ingreditur, & ante conclaue, in quo erant dæmones congregati, procidit in genua, & ſe Deo commēdat, & hoc animo aperit ianuam, & videt dæmones horribili ſpecie ſedentes, ſtantes, obambulantes, ſerpentes, & vno impetu accurrentes ad ſe, & vociferantes; *Hui, Hui, tu quid hic tibi?* Ille ſudans, & tamen diuinitus confirmatus, alloquitur dęmonem qui infantem geſtabat: Tu mihi, inquit, infantem trade. Nequaquam reſpondet iſte, iam meus iſte eſt infans: Dic Domino tuo vt veniat, & accipiat infantem. Cui ſeruus, Ego fungor iam officio meæ vocationis, in qua me Deus collocauit, & ſcio quicquid in hoc officio facio, gratum eſſe Deo: quare ratione officij mei, & auxilio, nomine & virtute IESV Chriſti aufero abs te infantem, & patri eius reſtituo: atque ita ipſe apprehendit infantem, & brachijs amplexus eſt. iſti nihil aliud reſpondent, niſi vociferantes; *Hui nebulo, hui nebulo, relinque infantem, relinque, alioqui te diſcerpemus.* Ille nihil curans minas diabolicas abijt incolumis, & incolumem infantem patri reddidit: dæmones poſtea aliquot diebus elapſis euanuerunt, vt in ædes denuo migrare tota familia Nobilis potuerit.

§. 11. *Inſontis pueri necem Deus immortali conſcientiæ verme vlciſcitur.*

Moſchus Euiratus Prati ſpiritua. c. 166

DIcebat Abbas Sabbatius: Cùm ſederem in monaſterio Abbatis Firmini, venit latro quidam ad Abbatem Zoſimum Cilicem, & rogabat

gabat senem, dicens: Fac charitatem per Deum te precor, quia multis homicidijs obnoxius sum: fac me monachum, vt iam tandē desistam à scelerib. meis. Senex verò exhortans illum, fecit monachum, & sanctū ei habitum dedit. Post modicum verò temporis, dixit ad illum senior: Crede mihi fili, non potes hîc habitare: nam si audierit princeps, tenebit te; similiter autem & aduersarij tui necabunt te. Sed audi me, & ducam te in cœnobium Abbatis Dorothei prope Gazam & Maiumam. Illuc igitur iuit. Vbi cùm moratus esset annis nouem, didicissetque psalterium, & cunctam monasticam obseruationem, rediijt rursus in Firmini monasterium ad senem, & ait illi: Fac misericordiam mecum, pater, & da mihi vestimenta mea sæcularia, & recipe monastica. Senior autem tristis effectus, ait illi: Cur fili? Qui respondens, ait: Ecce nouem (vt nosti, pater) annos egi in cœnobio, & quantum potui ieiunaui, & continenter vixi, & cum omni quiete & Dei timore fui in subiectione, & scio quia illius infinita bonitas multa peccata mea remisit mihi. Verumtamen adspicio sæpius puerulum adstantem, & dicentem mihi: *Cur me occidisti?* Hunc autem adspicio insomnis, & in ecclesia, & cùm ad communionem pergo, & in refectorio, hæc eadem mihi dicentem, & vel vna hora non sinit me quiescere. Ideo itaque pater, abire volo, vt pro puerulo moriar; frustra enim & sine causa occidi puerulum istum. Sumptis ergo vestimentis suis, exijt: & cùm sic indutus pergeret Diospolim, tentus est, & sequenti die decollatus.

Conscientiæ vermis immortalis.

§. 12. *Innocens puer panem paruulo IESV porrigit.*

Discipul. litera Y. exemplo 3.

PVerulus quidam accepto pane domum matris egreditur, & huc illucque deambulando, vt moris est huiusmodi paruulis, comedebat. Cōtigit

tigit autem vt in quodam loco, vbi B. Dei Genitricis MARIÆ imago in vlnis tenens puerum erat posita, idem puer transitum haberet, quam intuēs, & puerili suauitate blandiens eidem puero ait: O Chare, quæ lubens offero tibi, sume. illa verò imago licet pro exercitanda intuentium deuotione formata, tamē vtpote sine sensu, mansit immobilis, nec panem qui prębebatur accepit, vel responsum loquendo reddidit. Puer in incepto persistens, vt secum de pane ederet rogabat, & exorabat: cūque diutius, modò scilicet alludēdo, modò supplicando apud ipsum obtinere quæreret, vt quantū Deo placeret innocentis simplicitatis postulatio patesceret, tandem eadem imago virtute diuinâ operante, manum extendit, panemque qui præbebatur accepit, dicens; *Ecce panem sicuti vis accipio, sed eum post triduum tibi reddere volo.* Puer itaque hac auditâ respōsione domum lætus redijt, & sine morâ infirmitate tactus lecto decubuit. Iam tertius dies deuenerat, & vocante Domino B. MARIÆ V. filio animam reddidit percepturus æternæ vitę panem, & cælestis regni mansionem.

§. 13. *Hermannus puer puero IESV munuscula porrigit.*

PVeris alijs ludentibus S. Hermannus monasterium B. MARIÆ ingressus, ante illius imaginem IESVM infantem vlnis gerētem adstare cōsueuerat, & modò cum imagine matris, modò cum filij tanquā cum viuis columbinæ simplicitatis puerulus loquebatur, & si quid fortè manu gerebat panis aut fructuum, nunc matri nunc filio porrigebat. Certè cùm aliquādo pomum piè atque instanter pręberet, ecce benigna mater vt pueri pietatem commendaret, imaginis manum extendit, & porrectum sibi munusculum comiter accepit. *Surius 7. Apri.*

§. 14. *Puer*

§. 14. *Puer Hermannus puero* I E S V *colludit.*

CVm idem aliàs de more monasterium ingressus esset, vidit iuxta pulpitum quod in medio templi situm est in eminenti quadam via, B.Virginem,cum ea Ioannem Euangelistam Virginis custodem, & vtrique puerulum I E S V M colludentem. Hermanno ad hæc incredibili delectatione defixo annuens benigna mater, Hermanne,inquit,ascende ad nos.at Puer: Quomodo ascendere queam, cùm chorus sit clausus, nec scalam habeam? cui illa: Tenta si quo modo possis; ego te iuuabo porrigens tibi manum. paruit puer, & cùm nequiret,benigna matre ei manum porrigente, conscendit:verùm(vt hoc non omittã) cùm niteretur ascensum,claui vnius ferrei,qui ad munimentũ chori affixus erat,sensibilẽ quidẽ, sed nõ visibilẽ iuxta locum cordis fixurã accepit, retinuitq; lõgis deinde tẽporibus nõ sine dolore, velut præsagium tribulationum ac dolorum,quos plurimos quotidie vsque ad finem vitæ pertulit. Conscenso igitur pulpito, Virgine Matre sedente & inspectante, puero nostro cum puero I E S V data est ludendi facultas: transactaque puerilibus lusibus aliquâ diei parte, cùm instaret officium vespertinum, puer quâ iubente & iuuante ascenderat, descendit, sæpius eandem animi voluptatem eodem loco percepturus.

§. 15. *Paruulus* I E S V S *simplicis pueri voluntatem facit.*

Discipul. litera l. ex emplo 32.

MOnachus paruulus & innocens loquebatur cum I E S V Christo paruulo, nominando ipsum fraterculum,ante imaginem B.Virginis habentem I E S V M paruulum in vlnis:& I E S V S respondit è conuerso,& loquebatur ipsi amicabiliter sicut frater cum fratre.Quod audiẽs quidã senex Monachus, qui diu fuit in Apostasia consti-

constitutus, supplicauit ei, vt oraret fraterculum suum pro se, vt ignosceret sibi peccata sua, & reciperet eum ad misericordiam. Et ille innocens puer obtinuit hoc à fraterculo suo IESV Christo; vnde ille antiquus multum fuit gauisus.

§. 16. *S. Nicolai Tolentini innocentiam visio comprobat.*

IN quadam infirmitate narrauit Nicolaus, In pueritia sua dum sacerdoti sacra conficienti assisteret, se vidisse aliquando in ipsius hostiæ eleuatione Saluatorem nostrum tanquam puerulum sibi applaudentem, & audiuisse dicentem, *Innocentes & recti adhæserunt mihi*: & cùm ad annos prouectus esset, ea iucunda visione caruisse. *Petrus de Natal. in appendice c. 16.* *Psal. 24.*

§. 17. *S. Besarion à prima ætate innocentissimus.*

S. Besarion Abbas natus est quoad carnem in Ægypto. cùm verò ablactatus fuit, & in sacris literis institutus, lumen sanctum illuxit à teneris annis in ipsius corde, & IESVM Christum amauit vehementer, nec vllo vnquam tempore ne minima quidem actione sanctum baptismum in infantia acceptum commaculauit. *Ex Menæis 20. Febr.*

§. 18. *Item S. Febronia.*

DE huius innocentia ita loquitur Brienna Mater Monialium Sibapoli, quæ sita erat in finibus Assyriorum. Quod ad Febroniam, inquit, pertinet (cuius colloquium tantis cum lacrymis Hieria expetis) nouit Deus quemadmodum cùm duos annos ageret, ipsam in hoc monasterio in manus meas acceperim, & hodie decem & octo anni sunt, ex quo in monasterio viuit, neque viri alicuius neque mulieris in mundo versantis formam adspexit: sed nec mundi huius figuram aliquam huc vsque vidit, quin etiam neque eius *Metaphr. apud Suriũ 15. Iunij.*

nutrix

nutrix hactenus ipsius aspectum cernere potuit. Quamuis enim lacrymans sæpe mihi supplicauerit, vt liceret cum ea colloqui, non tamen id assecuta est. Cùm verò te huius videndæ desiderio teneri intelligam, & Dei amantem esse cognoscam, ad eam deinceps te intromittam, modò veste monastica induta fueris.

§. 19. *S. Antonij insons pueritia.*

S. Athan. Alexand. Epis. in vita Patrum lib. 1. vita eius c. 1.

ANtonius nobilibus religiosisque parentibus natus in Ægypto oriundus fuit, tanta suorum nutritus cura, vt nihil aliud præter parentes domumque cognosceret: & cùm iam puer esset, non se literis erudiri, non ineptis infantium iungi passus est fabulis, sed Dei desiderio flagrans, secundum quod scriptum est, innocenter habitabat domi. Ad ecclesiam quoque cum parentibus sæpe conueniens, nec infantium lasciuias, nec puerorum negligentiam sectabatur.

Genes. 25.

§. 20. *Innocens S. Heliodori simplicitas.*

Sur. 5. Ianuar.

HEliodorus puer trium annorum monasterium ingressus est, vbi annos 62. transegit adeo rerum omnium expers, vt diceret se nec porcos, nec gallos, nec aliud eiusmodi vidisse vnquam.


Vide alia innocentiæ puerilis exempla p. 3. c. 9. §. 1. & c. 16. §. 9.

CAPVT



CAPVT II.

APPARITIONES IN FORMA PVERI FACTÆ.



ANDEM puerorum innocentiam (de qua modò egimus) Deo cælitibusque summopere fuisse acceptam non parum quoque probat quod toties se in puerili specie cùm Angeli, tum Christus ipse mortalibus videndum præbuerit: quid enim nobis aliud innuere velit infantilis illa toties vel in V. Eucharistia, vel etiam extra illã oculis nostris exhibita forma? Haud dubiè vt pudicitię & innocentiæ Christi detur argumentum, vtque ostẽdatur, quàm puerilis simplicitas atque puritas Deo grata sit, cùm dicat ipse: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli isti, non intrabitis in regnum cælorum.* Matth. 9.

§. I. *S. Dorothea Angelus in forma pueri hyemis tempore rosas defert.*

CVm duceretur Dorothea ad martyrium capitis diminutione complendum, Theophilus quidam scholasticus dixit ei ridẽdo: Eia tu sponsa Christi, mitte mihi rosas aut mala de paradiso sponsi tui; cui illa respondit: Planè hoc faciam. cumque orasset Dorothea, ecce puer apparuit ante eam quasi quatuor annorum, ferens in sportula tria mala optima, & tres rosas (erat autem mẽsis Februarij, & totam Cappadociam glaciale frigus tenebat) cùm illa; Obsecro te, inquit, vt illa Theophilo deferas, & dicas ei: Ecce quod à me petisti, vt tibi de sponsi mei paradiso transmitterem. Ipsa autem percussa gladio, cùm triumpho martyrij perrexit ad Christum. Cùm igitur Theo- *D. Antoninus p. 1. titu. 8. c. 1. §. 11. Petrus de Natal. lib. 3. c. 101.*

 philus

philus narraret promissionem Virginis circunstantibus irridēs, puer stetit ante eum,& ait:Ecce tibi petenti mittit Dorothea Virgo sacratissima quod promisit de paradiso sponsi sui, qui accipiens statim cōuersus est ad fidem Christi, quam etiam paulo post equuleo distentus & capite trūcatus egregie professus est.

§. 2. *Angelus in forma infantis Abbati Zenoni se ducem prabet.*

In vitis Patrum 2.p.§.197

ABbas Zenon, dum esset in Scythia, egressus est nocte de cella sua ambulare per eremū; & factum est dum longiùs processisset, errauit tres noctes diesque ambulans,& cecidit fatigatus vsque ad mortem : & ecce stetit ante eum infans, habens in manu sua panem,& dixit ei: Exurge & comede. At ille exurgens orauit: timuit enim phātasiam esse.cui infans dixit:Bene fecisti quod orasti, modò ergo surge, & comede: cui Abbas Zenon non acquieuit,nisi secundò & tertiò orasset:& cùm ille laudaret quia oraret, iam nūc surrexit, & comedit; post hæc dixit ei infans: Quantum tempus ambulasti, tantum longè es à cella tua:sed surge,sequere me,& mox inuentus est ante cellam suam. Dixit ergo ei senex,ingredere in cellam meam,& fac orationem,& ingresso sene in cellam suam ille non comparuit.

§. 3. *Puer S. Augustinum docet mysterium SS. Trinitatis humana ratione non posse comprehendi.*

Thomas Cantip.l.2 c 48.pars. 3.

EO tempore quo B. Augustinus librum de Trinitate composuit,illi tale miraculum Deus ostendit. Hipponensis ciuitas Africę nobilis,in qua B. Augustin. Episcopatum administrauit,super littus maris pulcherrimè sita erat,B.autem Augustinus in consuetudine habebat, vt post diuinum studium & laborem, vespere super littus maris, sequentibus à longè Episcopis & Clericis, qui

pro

pro consilio & negotio vniuersalis Ecclesiæ eum frequentabant, solus antecedens deambularet; ne scilicet eius complationem aut studium colloquentium fabulatio impediret. Cùm ergo sic solus incederet; puerulum miræ pulchritudinis super littus maris sedentem inuenit, qui factâ in terrâ fossâ paruulâ (sicut pueri in plateis ludentes solent) cochleari argēteo aquam de mari hauriebat, & in illam fossam paruulam effundebat: quē vt B. Augustinus ita seriosè sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit: procedens inde, salutat puerum, & inquirit quid agat. & puer cum magno serio respondit: Volo, inquit, totum istud exhaurire mare, & isti fossæ, si possim, infundere. Quo responso quasi puerili vir sanctus in risum decentissimum concitatus, respondit: Et quomodo, inquit, ô bone puer hoc poteris? ingēs est mare, & paruum cochlear quo hauris, fossa paruula in quam fundis? & mox puer: Possibilius, inquit, mihi hoc facere quod intendo, quàm te implere quod cogitas. Ad hoc B. Augustinus mirabiliter stupefactus; quid hoc esset interrogat. & puer: Cogitatu, ait, voluis, & æstimas volumine breui concludere quid sit illud indiuiduæ Trinitatis inexplicabile sacramentum; & hoc quidem antequam possis, isti paruulæ fossæ potiùs maris vndas infundam. Hæc dicens puer repentè disparuit. B. verò August. Christum in facto glorificans, quàm verum puer dixerat, mox aduertit.

§. 4. *Christus in forma pueri in niue eiulantis reperitur.*

Algore niuium terrâ Brabantiæ respersâ per totum; monachus Cistertiensis, vir pietate plenus, præmisso in villam famulo, solus in campis per deuia veniebat; & ecce inuenit puerū ele- *Thomas Cantip. l. 2 de Apibus c. 1.*

 gantissi-

uat & foueat deuotionis sinu, veste contegat charitatis!

§. 5. Puer IESVS Dominicum iucunda apparitione reficit.

Venerabilis Pater Dominicus, Carthusię Treuirensis professus, cùm vno dierum solus in cella sederet ad mensam, quæ paupere erat cibo referta, cœpit attente cogitare, quo pacto IESVS infans voluit vbera Virginea sugere, panniculis inuolui, facijs stringi. Quod flens & lacrymans Christus nuce potuit vel pomo quietari, vel prouocatus flosculis, vel munusculis in gratiam reduci. Hæc vir sanctus pensitans ad sua peccata oculis reflexis, orat obnixe paruulũ Saluatorem, vt offensus sæpe ab eo secum velit in gratiam redire, dicens: Tu omnium dulcissime paruulorum, cùm in Virgineo Matris sinu recubares, passus te es pomis & nucibus mitigari; quæso te vt pro peccatis meis omnibus, quibus te, ô Deus, offendi, tanquam duo Viduæ minuta, & tanquam quædam mitia poma, pœnitentiæ meæ exiguum laborem libens lętusque suscipias, & tuæ me gratię reconcilies. Hæc dicens, lacrymæ illi ab oculis decurrebant, & ecce humilium consolator à supernis adueniens subiecto sibi cussino super mensam eius paruulus IESVS insedit, speciosus nimis, & admirabilis. Tunc oculis lætissimis faciem Dominici mentemque respiciens, ingenti eum lumine & exultatione impleuit: & loquens dulciter ad cor eius, scripturarum profunda, & quædam secretorum arcana illi patefecit. Dehinc cum suauitatis fragrantia superna repetijt.

Dorlandus in Chron. Carthus. l. 7. c. 2.

§. 6. *Christus in forma pueri veste scissa apparet Petro Alexandrino.*

Eusebius l. 8. c. 5. & post Eus. eb. Baron. to. 3 anno 310 vide item Sur. 15. Decemb.

CVm ad Dominum precarer, inquit Petrus Alexandrinus, adstitit mihi puer quasi duodecim annorum, cuius faciei claritatem ferre non poteram; ille autem linostimum erat indutus colobium, scissum in partes vtrasque à collo vsque ad pedes; tenensque geminâ manu colobij scissuras, applicabat eas pectori suo, quatenus propriam tegeret nuditatem. Ad hanc ego obstupui, & exclamans dixi: Domine quis scidit tibi indumentum? & ille: Arius mihi scidit, sed caue ne eum in commendam accipias.

§. 7. *S. Idæ puer IESVS mirificè se præbet.*

D'Assignies to. 2. anna. Cister. sec. 16. vita eius.

IPso Pentecostes festo, Idam Virginem, Eucharistiâ sumptâ, tanto diuinæ consolationis rore ebriam fuisse ferunt, vt non nisi ægrè admodum ad horas canonicas in choro decantandas conferre se posset. sacro demum perfecto, sextaque absolutâ, triclinium ingressa mensę iam accubuerat, & ecce tantus inusitatę lucis fulgor in virginem iaci cœptus, vt oppositu manicæ vultum obtegere cogeretur; quamquam frustra; radij vestem quoque peruadebant. Hic tum speciosus ille formâ præ filijs hominum mira totius oris corporisque dignitate conspicuus visendum virgini sese præbet. Hinc per cęnaculum ambulans ante diuersas subinde Moniales consistit, vt plurimùm tamen feruidis Idę desiderijs prouocatus, in amantissimam sponsam oculis ferebatur, à qua neque priùs recessit, quàm lectione ad mēsam absolutâ, in auras sese extulit, caputque inter nubila condidit. Porro autem suauissimi sponsi conspectu mirandū in modum recreata virgo adeo vires corporis debilitatas sensit, atq; imminutas, vt ad gratias pro more in tęmplo agendas cœtum

tum virginum ſequi non poſſet; diceres tantum virium corpori deceſſiſſe, quantum animo diuinæ conſolationis acceſſerat.

§. 8. *De puero* IESV *Faſtredo in cuſtodiam tradito.*

FAſtredus genere quidem nobilis, virtute tamẽ illuſtrior, Camberonenſis Abbas, cùm de Clareuallenſi Abbate eligendo conuentus haberetur, ad quem & ipſe conuocatus eſſet, veritus (quod accidit) ne in defuncti locum eligeretur, ad ineunda ſuffragia intereſſe ſubterfugit, ſed fruſtra: vna omnium voce ſummaque animorum conſenſione electus eſt Faſtredus. quo nuncio accepto turbatus, animoque proſtratus, Camberonam deſerens, feſtino gradu vallem S. Petri, vbi Carthuſianorum Monaſterium viſitur, petijt, ibique diebus aliquot latuit: dumque noctem precibus freuentiſſimis inſiſtens diei coniungeret, in extaſim rapto, Dei Mater MARIA Angelorum domina ſeſe vnà cum vnigenito ſuo IESV Chriſto, quem in vlnis geſtabat, videndam exhibuit: quam vir Dei aduertens, genibus ſtatim in terrã prouolutus humillimè rogauit, vt ipſius miſereri dignaretur. cui B. Virgo & mater: O homo, inquit, quid turbaris? Deinde onus nobile (ſi onus dici poteſt) quod in vlnis geſtabat, veluti alteri Symeoni tradens, Accipe, inquit, filium meum, illiuſque fidelem curam gere. Quibus factis, ex oculis fugit, ad ſeque vir Dei rediens verbum hoc ab ore Altiſſimi prodijſſe, illoſque qui ſuæ curæ committebantur, verè filios Dei, & membra IESV Chriſti eſſe, intellexit. *Ex Annal. Ciſtertiẽſ. c. 30.*

§. 9. *MARIA IESVM in B. Staniſlai lecto collocat.*

B. Staniſlao Koſtkę ægrotanti Beatiſſima Virgo Dei mater paruulum filium in ſinu geſtans *Franciſcus Sacchinus in eius vita.*

 pręſens

præsens adfuit, consolans clientem suum, ac recreans: quem quo vberiori suauitate perfunderet, puellum IESVM in eiusdem lectulo collocauit. Quis hic integerrimum famuli amantissimi pectus ardor, quæ veneratio, quæ dulcedo compleuit, lectulum suum tam pulchrè floridum contemplantis? ad salutis contactum, fugit languor: ægroque deposito, non animi solùm mirifica allata consolatio est, sed etiam corporis reddita valetudo: & cumulauit Regina cęli benignitatem in digressu nominatim admonuit, vt *Societati IESV* se traderet.

§. 10. *Infantulus IESVS inter brachia matris visus est pias fundere lacrymas.*

Ex literis Soc. prou. Goana anni 1609.

BEnedictus de Goëz natus in insula Sancti Michaëlis, vicina Lusitaniæ, in Indiam militaturus soluit, vbi post aliquot annorum stipendia mutato consilio Societatem nostram expetijt, in quam tanquam coadiutor temporalis admissus est. Mutationis porro occasionem præbuit eiusmodi prodigiosus euentus Anno 1583. Lusitana classis circa oram Trauancoranam versabatur sesquimilliari ab oppido Colecth, templum erat cuiusdam pagi, in quod cùm Goësius ludis & grauioribus vitæ militaris vitijs perditæ addictus, & penè desperabundus ingressus esset cum commilitone, tabulæ altaris conspectu (illa depictam B. Virginis filium gestantis effigiem continebat) stimulis actus conscientiæ, procidit in genua, fusoque copioso lacrymarum imbre obnixè petijt à Deipara Virgine, vt à filio peccatorum veniam ac remissionem impetraret. Res mira: Ecce infantulus IESVS in brachijs matris efformatus vbertim lacrymas lactei coloris effundit, tam copiosas, vt vndique in suppositum altare diffluerent; scilicet vt pænitens disceret, quàm

quàm piè Pater misericordiarum matris accedentibus precibus quodammodo compatiebatur. Rei nouitate attonitus vterque aliquot commilitones in templum aduocat, ostentum explorant, comperiunt eum liquorem ex oculis picti pueruli emanare: dubitationem eximebat summa per eos dies siccitas, & æstas in ijs locis præferuida. Intinguunt strophiolum eo liquore in pignus veritatis. Concurrêre mox plurimi, & rem obseruatam festa bombardarum maiorum & minorum explosione classiarij omnes celebrarunt, ramisque templum satis alioquin despicabile, inumbrarunt. Id contigit Anno 1583. & hoc Anno 1609. factâ diligenti inquisitione à Patribus nostris veritas comprobata est, cuius etiam vestigia imago ipsa retinet. Hac ergo visione compunctus Goëzius de tota vita apud Patrem Societatis instituit, religionis ingressum vouit, & in nostram anno insequenti, hoc est 1584. admissus est.

§. II. *Corporalia lauans deuota femina vidit Deiparam puerum IESVM super ea reponentem.*

QVædam Monialis custos ecclesiæ de munditia præparamentorum solicita diligentem curam adhibebat, quibus primò per Presbyteri manus ablutis, ipsa studiosiùs ea abluebat, & ad solem mundissimè desiccabat, tegens panno mũdo, ne puluere aut volatu volucrum contingeret maculari. Quadam horâ, ipsâ stante iuxta pannos & *Aue Maria* deuotè ruminante, adfuit Domina nostra in forma pulcherrimæ Dominæ, puerum vlnis gestans supra modum amicabilem, & sedit prope ipsam. Hæc verò Monialis silẽtium tenebat, sed à puero & Domino faciem non auertebat, & admirando stupebat. Tunc Domina filium super pallas ponebat, & illa innuebat manu *Specul. exempl. d. 9. §. 77.*

quod

quod deponeret. Sed Domina nostra dulciter illi arridens super nudum corporale puerulum collocauit. Illâ autem clamante, quomodo hoc facere auderet, respondit, humiliter, Ne mireris, quia filium meum super sua pono linteamina : nam frequenter resîdet super ea in altari. Et sic vnà cum filio euanuit, relinquens tantam suauitatem & dulcorem suæ deuotæ, quod enarrari ab homine non valeret.

§. 12. *VVindekindo puer in Eucharistia mirè cernitur.*

Crantzius l. 1 c. 9. histor. Ecclef.

VVindekindum Ducem Saxoniæ, ante annos octingentos, incessit cupido lustrandi Caroli Magni castra ; vt lateret, habitum Regium in mendici mutat, sed agnitus inter mendicos (cum quibus Eleemosynam petebat) producitur ad Carolum : rogatus quid vidisset ; post alia, sic inquit ; Vidi hodierno die (erat is sanctissimus Paschę) te primùm solicitum & ad rem attentissimum. posteaquam verò mensam adieras, templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. stupor autem erat videre quod de manu purpurati sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent; quem quibusdam lubidudum arridere, vltro properare, alijs verò abhorrentem auertisse vultum, & tamen in ora demissum nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit, necdum capio. Tum Rex, Bene, inquit, profecisti ; plus tibi aliquid, quàm cunctis sacerdotibus, & omnibus nobis ostensum est. Hoc miraculo dux commotus, Christianam religionem amplectitur, Mindensis Episcopatus prima iaciens fundamenta.

§. 13. A-

§. 13. *Apes Eucharistiam in alueare inferunt, quæ in puerum versa deprehenditur.*

RVstico cuidam Auernico territorio à Mago persuasum fuit, vt si apes, quas in aluearijs fouebat, vellet conseruatas, hostiam consecratam in aluearia mitteret: verùm in terram illa lapsa, mox ab apibus in aluearium infertur. Non ita diu pòst sceleris patrati conscientiâ compunctus rusticus, & de ipso quasi vindictam sumens, apes superiniectâ aquâ enecauit. Dum verò his extinctis intima fauorum rimatur, conspicit corpus Dominicum in formam speciosissimi pueri mutatum inter fauos & mella iacere. Quid faceret attonitus? hoc capit consilij, vt acceptum puerulum ad Ecclesiam deferat, & occultè sepeliat. Sed ex manibus ferentis ille disparuit.

Ex vita Petri Cluniacensis l. 1. de mira. c. 1.

§. 14. *Hebræus viso in Eucharistia puero, baptismum flagitat.*

BAsilio diuinum mysterium peragente Hebræus quidam se sicut Christianus populo commiscuit, officij ministerium explorare volens; viditque infantem partiri in manibus sancti Basilij, & communicantibus omnibus venit & ipse Hebræus: dataque est ipsi hostia vera caro facta. Inde accessit ad calicem sanguine repletum, & ipsius est particeps factus: atque de vtrisque seruans reliquias, abiensque in domum suam, ostendit vxori suæ ad confirmationem dictorum, & narrauit quæ proprijs oculis viderat. Credens ergo verè, quia horribile & admirabile est Christianorum mysterium, in crastino venit ad Basilium, postulans se sine detractione accipere, quod in Christo est signaculum: Basilius autem non differens, baptizauit eum, cum omni domo sua.

Amphylochius, & Guuitmūdus in vita Basilij, qui vixit anno 370.

§. 15. *Videtur item in Eucharistia puer, & piè contrectatur.*

Paschasius Corbeiensis l. de corpore & sanguine Domini c. 4. & seq.

PResbyter quidam Plegilus nomine à puero diuinis legibus imbutus, & propter amorem superni Regis omnia relinquens, petijt aliquando à Deo sibi corpus & sanguinem in Eucharistiæ sacramento demonstrari. Voti fit compos, viditque super aram, Patris filium, puerum quem Simeon infantem portare sub vlnis promeruerat: visum contrectat, amplectitur, pectus pectori iungit, oscula figit. his exactis, Christi membra restituit altari, & post orationem, qua illa cupiuit restitui formæ priori panis, vidit eadem rursus restituta.

§. 16. *Ante synaxim mirificum puerum cernit Lydvvyna.*

Sur. mense Aprili.

DE S. Lydwyna refert Surius, cùm ei à Parocho suo sacrosancta Eucharistia, quam multis precibus & lacrymis postulauerat, denegaretur, adstitisse illi Angelum multâ luce coruscum, qui monebat eam, ne contristaretur, propediem enim futurum, vt Christus ipse visitaret eam, & omnes contritiones eius sanaret. Dedit igitur se totam orationi ac contemplationi: cumque huic intenta esset, vidit paulò pòst aduentantes Angelos, seu iuuenes fortissimos, atque alium crucem, alium lançeam, alium clauos, alios alia Passionis Dominicæ insignia ferentes, suoque lectulo assistentes. postea etiam Matrem Domini, cum sanctis non paucis, aduenire conspexit. Demum Christus ipse venit in forma speciosissimi puerulì blandissimè virginem aspiciens: eo spectaculo liquefacta gratias egit ei, quòd se indignā ancillam sic visitare dignatus esset; cumque abitum pararet, rogauit eum, vt si verè esset is, in quem crederet, euidens aliquod signum præsentiæ suæ relin-

relinqueret. Mox ille in speciem formosæ hostiæ mutatus est: quæ cùm se aliquoties conuertisset, tandem constitit in munda mappula ibi posita. erat hostia illa; nec tam parua, vt sunt quæ plebi porriguntur, nec tam magna, vt eæ quas accipiunt Sacerdotes sacrificantes. Radij autem eius extremam oram articulatim ambiebant: intus habebat crucifixi effigiem cum cruentis vulneribus; in latere verò vno speciatim hærebat supernè gutta vna pisi dimidij magnitudine. Hác denique admirabilem hostiam cùm à seipsa sumere ausa non esset, accersiri iussit Parochum, qui sacram communionem ei denegauerat, atque ex illius manibus eam sumpsit, maximâ cum animi consolatione.

§. 17. *S. Stephana puerum videt in Ven. Sacramento.*

IN Chronicis S. Dominici narratur de S. Stephana de Soncino, eam, cùm aliquando Missæ sacrificio interesset, vidisse in sacra hostia puerulum admirandæ pulchritudinis, à cuius facie procedebant radij cor eius penetrantes: simulque audiuisse cantus suauissimos. Quam gratiam Deus illi concessit, propter victoriam quam de diabolo, qui eam in sacramenti fide tentauerat, reportarat.

Ex Chron. S. Dominici.

§. 19. *Ludouicus Rex recusauit ire spectatum in Eucharistia puerum.*

ANno 1258. cùm quidam Presbyter sacratissimam Missam Parisijs celebraret in sacello quodã aulæ regię, populoq; ostẽdendam diuinissimam Eucharistiam sustulisset in altum, pro specie panis, plurimi qui aderant, formosissimum conspexere puerum. Quocirca nonnulli rogarunt Presbyterum, vt tamdiu in altum porrectis manibus sisteret, quoad Rex accerseretur: certior autem

Bosius l. 14 de not. s. Ecclesiæ ex Villaneo, qui circa eadem tẽpora dicitur claruisse. l. 6. c. 67

tem tanti miraculi factus Rex Ludouicus, negauit se eò profecturum, quòd non credentibus hæc signa existerent; sibi verò persuasissimum vere in Eucharistia Christi corpus esse.

§. 20. *Puerili formâ cernitur Christus.*

Iulius Nigronius in comment. asceticis in regulã 15. Cõmuniũ. §. 19. Ex Blosio Apol. pro Taul. c. 6.

REm narrat mirabilem ex Ioanne Taulero Ludouicus Blosius de virgine Monacha, quæ diuino amore flagrans optauit videre Christum: cui statim adstitit petenti, formâ pueruli: cumque ad commune opus cum festinatione accerseretur ex obedientia, paruulo IESV ait: *En dulcissime Domine mi IESV Christe*, pro explenda obedientia abeo; tu interim me hic expecta obsecro, si tibi placet, donec ad te redire liceat. His dictis, è cella exijt, & quod facere iussa erat, animo voluntario, hilariq́ue vultu peregit: deinde magna cum celeritate ad cellam reuersa est; quam cùm aperiret, mira quædam & radiantissima lux oculis eius se ingessit, adeo vt vix eam sustinere posset. Vidit igitur amantissimum Dominum in perfecta ætate; tanquam elegantissimum iuuenem 24. annorum adstantem. Qui interrogatus ab ea cur ex pusillo tam grandis factus esset, respondit: *Filia charissima, profunda velocis atque impigræ obedientiæ tua humilitas, me tam breui tempore tam grandem effecit.*

Vide quasdam paruuli IESV apparitiones 1. *p. c.* 8. *&* 2. *p. c.* 27. §. 5.

§. 21. *Hugoni Episcopo arrisit infans.*

Dorlandus in Chron. Carthus. l. 3. c. 8.

CVm vna dierum Præsul Christi Hugo missam celebraret, quidam è Clericis, qui tum aderat, cui cordis oculos aperuit Deus, vidit inter castissimos eius digitos speciosum formâ præ filijs hominum in specie paruuli infantis, & suo Pontifici arridentis, contineri. erat verò idem puer permo-

permodicus, sed diuino quodam splendore atque candore super solem longè serenissimus; is autem qui hęc vidit, mirâ deuotione succensus, & plurimùm compunctus, tempus illud consummauit in lacrymis: rursum autem vbi hostiam Præsul super calicem leuauit vt frangeret, sub eâdem quâ priùs imagine natum de Virgine IESVM Dei filium felicibus oculis meruit contueri.

§. 22. *Infantulum videt infantulus in Eucharistia.*

Legitur in Scala cæli, quod Frater quidam familiaris cuidam nobili viro domum eius frequentabat, & filium eius vnicum plurimùm diligebat; & quia ei iocalia puerilia adferebat, puer sequebatur eum vbique, & cùm ad ecclesiam fuisset eum secutus, vbi Frater continuè celebrabat, stans puer iuxta Fratrem vidit manifeste in eleuatione corporis puerum in manibus dicti Fratris; vidit etiam postea fractionem, & sumptionem, & his visis fugit & abscondit se in terra; quæsitus autem & tandem inuentus, nullatenus venire volebat: cumque frater iste iuisset, & eum adducere vellet, puer clamauit: *Saluate me, saluate me, quia iste vult me comedere, sicut hodie comedit vnum pulcherrimum puerum.* inquirentes verò causam dicti, inuenerunt quod de Sacramento altaris hoc vidisset. *Spec. exẽp. d. 9. c. 187.*

§. 23. *Filiolum suum Virgo mater Sacerdoti in sacro dubitanti præbet.*

Legitur in libro qui dicitur Scala cæli, quod fuit quidam sacerdos, qui deuotus B. Virgini multùm dubitabat de sacramento altaris, & immo rogabat assiduè B. Virginẽ, vt eum dignaretur iuuare: cùm autem in Sabbatho celebraret Missam, ante *Pater noster* disparuit hostia quam sacrificauerat; & dum respiceret stupefactus, vidit Matrem gloriæ ante se, suum filium in vlnis tenentem, *Pelbartus in Pomer. D. Virg. l. 12 p. vlt. §. 1.*

& di-

& dicentem ; Ecce quem sancta puerpera portauit: ecce quem consecras, ecce quem manibus tractasti, quem leuasti: & ecce, trado tibi filium meum: accipe & perfice Missæ officium: Accepit ergo sacerdos puerum, & posuit super corporale: & cùm eò peruenisset, vt iam hostiam deberet frangere, non ampliùs in forma pueri, sed in forma panis monstratus est ei. & sic ille in fide est roboratus.

§. 24. *Incredulitatem Senex viso puero aliisque signis corrigit.*

Metaphr. in vita Irenij apud Sur. to. 4 & Garecium Centuria 4 de Eucharistia.

SEnior quidam Abbas non credebat præsentem in Eucharistia esse Christum; vrgent hunc duo alij, vt cùm vniuersa Ecclesia sentiat, Christumque verè in Eucharistia præsentem esse credere velit: vbi nihil efficiunt, ad orationem se conuertunt omnes. Post octo dies, dum sacrificanti adstant, panis super altari positus videbatur his tribus tantùm, tanquam paruulus puer. cumque sacerdos vt panem frangeret, manus exstendisset; videbatur ipsis Angelus de cælo descendere, cultrum manu tenens, qui paruulum puerum sacrificaret, & sanguinem calice exciperet. Sed & quando in frusta panem sacerdos ducebat, etiam Angelus membra pueri in modicas partes scindebat. Accessit deinde Senior, vt acciperet communionem, & data est ipsi hostia sanguine cruenta, vt ipsi soli visa est: quare exclamans; Credo, inquit Domine, quia panis qui in altari ponitur corpus tuum est; & statim caro, quam manibus tenebat, in priorem panis formam redijt. Accidit hæc res circa annum Domini 392.

§. 25. *Plura eiusdem argumenti congesta.*

Sur. to. 3.

1 REfertur in vita S. Mariæ Oegniacensis, quod viderit Christum sub forma pueri immenso lumine coruscantem, circa ædiculam, in qua sacro-

sacrosanctum Sacramentum asseruabatur.

2. Coloniæ Agrippinæ quidam sumptum Ven. Sacramentum per vomitum eiecit in specie infantuli anno 1331. locus vbi accidit multis quondam claruit miraculis; nunc rem gestam testantur templum ibidem extructum, Collegium Canonicorum Regularium, pictæ imagines, Sodalitas V. Sacramenti, *&c.* *Thyræus de Christi apparitione sacramentali c. 11.*

3. Hugoni Linconiensi non rarò Christus in forma pueri apparuit, quando sacris tremendis operabatur, sub qua forma eundem, Hugone celebrante, etiam adstantes obseruarunt. *Sur. in vita S. Hugonis.*

4. Cæsarius aliquot refert apparitiones lib. 9. vnam, qua Religioso viro Godeschalcho de castro Wolmestein oriundo apparuit sub specie pulcherrimi infantis; dum Missarum solennia peragit die Natalis Domini. Alteram cap. 3. qua Adolpho de Dieferne; leuiculo sacerdoti, & de veritate Corporis Christi in Sacramento dubitanti apparuit in eodem Missæ officio, nunc in specie pueri, quem Mater sinu foueret, nunc in specie agni, nunc in specie crucifixi. *Cæsarius l. 9.*

5. In vita etiam B. Marię Oegniacensis dicitur, quod Paulæ insigniter B. Hieronymo commendatæ visus sit Christus, aliâ atque aliâ facie, pro diuersitate festorum, quæ Ecclesia de Christi pueritia agit. *In vita S. Mar. à Oegniac.*

6. Rolandus de Monte ad Chronica Sigeberti refert duas apparitiones, in quibus species pueri visa est, prima contigit soli puero in Andegauensi ciuitate, altera, pio Presbytero, iuxta Fiscanum, in die dedicationis Ecclesię S. Trinitatis. *Rol. de monte.*


7. Apud Surium etiam de S. Catharina Senensi habetur, quod sæpe Christum in specie infantis viderit in V. Sacramento. *Sur. to. 2.*

8. Petrus Tolosanus idem se vidisse affirmauit *Ex Annalibus Cist.*

non ſemel tantùm, ſed etiam toto quatuor aut quinque menſium ſpatio.

Ex Annal. Soc. 9. Mulier nobilis opibuſque pręclara, & pietate excellens imprimis, ſanctè teſtata eſt, ſe ex quo tempore noſtris ad rem diuinam operam daret, ſemel atque iterum Chriſtum Dominum infantis pulcherrimi ſpecie in cõſecrata hoſtia cõſpexiſſe, radiorum ſplendore coruſcantẽ, toto tẽpore quo piaculare ſacrificium ſacerdotis manibus tenebatur. Idem ſibi accidiſſe bis, vir ſummâ fide & religione ſacerdoti noſtro confeſſus eſt, ac ſemel quidẽ paulo antequam ab impuriſſima femina petulãtiſsimè ad flagitium inuitaretur: qua in pugna ex recenti viſione ſibi videbatur Chriſtum opportunè habere præſentem.

Denique infinitę sũt apparitiones in pueri forma factæ: quæ ſatis indicant, inſontis pueritiæ ſpeciem Cęlitibus eſſe gratiſsimam: Eſt nihilominus quod magis probet pueritiam placere Deo, ſcilicet diuinę prouidentiæ in pueros monumentum: qua de re eſt caput ſequens.



CAPVT III.

DIVINÆ PROVIDENTIÆ CIRCA PVEROS IAM IN *lucem editos miracula.*

ADMIRANDA prorſus Dei, ſummi rerum omnium opificis prouidentia in homines vniuerſos cernitur, præſertim verò in pueros, quorum omnium ita curam habet, quaſi vnius tantùm habeat, cuſtos hominũ, ſedulus Pędagogus. Rectè proinde Pſalmogra-

mographus: *In te confirmatus sum ex vtero; de ventre matris meæ tu es protector meus.* Vt enim nulla est alia hominis ætas tam imperfecta, adeo cõsilij omnis expers, tot nihilominus casibus obnoxia; ita nulla est cui omnium effector Deus (ad quem attinet res creatas continuo diuinæ prouidentiæ suæ nutu moderari) propius adfuerit, nulla quę obstetricãtem (ita enim audebo dicere) Dei manum adeo sit experta, nulla denique tot miraculis instaurata; vt quamuis mortalis ductu magistri, Pueri destituerentur, facilè tamen diuinum in ijs magisterium possis agnoscere. Quod etsi luce meridianâ sit clarius, plurimis tamen exemplis aggrediemur comprobare. *Psal. 70.*

De diuina prouidentia in Ismaëlem siti pereuntem; MARIAM in templo degentem, Ioannem Bapt. etiam cædis Hierodianæ tempore, vide c. 6. vbi de Angelico ministerio agitur.

§. 1. *Mirificè Moyses papyraceo lectulo Nilum enatauit.*

Amarames Moysis pater, cognito per visum domi suæ nasciturum infantem illum, cuius metu Ægyptij Hebræos fœtus ad necem damnarant: narrauit hæc Iocabeli vxori, & res ista solicitudinem vtriusque auxit; iam enim non puero tantùm timebant, sed ne quo pacto promissa felicitas intercideret. Sed mox oraculo fidem fecit mulieris partus, quę tam facilè est enixa, vt obseruatores fefellerit nihil sentientes eorum quæ in vulgaribus puerperijs sentiri solent. Hinc infantulum per tres menses clam nutrierunt. Deinde Amarames veritus ne re deprehensâ iram Regis incurreret; ac mox & ipse vnà cum puero sublatus è medio promissionem Dei faceret irritam, maluit salutem filij totam ipsius prouidentiæ cõmittere; ratus etiam si puer lateret, quod tamen *Iosephus Antiq. Iudaicarum l. 2. c. 5.*

difficile erat, molestum tamen in continuo periculo viuere, non eius tantùm, sed & suo: de Deo verò certam spem habebat prouisurum, vt oraculi veritatem euentus indicaret.

Lectulo ergo è papyro contexto, quantus infantulum commodè capere poterat, bitumineque illito, ne aqua penetrare posset, indiderũt puerum, atque ita in flumen proiecti salutem diuinæ prouidentiæ commiserunt. In hunc modum cùm à flumine deferretur, Mariame, infantuli soror iussu matris ex aduerso per ripam descendebat; obseruatura quò tandem papyraceum illud vas deportaretur à flumine. Hic verò manifestissimè Deus declarauit, nihil humanâ sapiẽtiâ, sed omnia virtute illius omnipotenti cõfici, eosque qui propter vtilitatem suam aut securitatem, alijs perniciem moliuntur, quantalibet vtantur diligentiâ, sæpe tamen voti compotes non fieri. Rursum qui suam salutem Deo committunt, præter opinionem è medijs periculis emergere: quod & in hoc puero videre licet.

Erat filia Regis Thermuthis; hæc dum ludit ad ripas fluminis, conspicata vas fluitans missis natatoribus iubet lectulũ ad se in ripam extrahi: quo (vt iussum erat) allato, mirè placuit puer, quòd esset magnus, & pulcher; tanto enim fauore Moysen Deus prosecutus est, vt eum fecerit ab illis ipsis nutriri, & educari, qui propter eius natiuitatẽ reliquos quoque Hebræos perdendos decreuerãt. Itaque iubet Thermuthis mulierem alicunde adduci, quæ puero mammam præbeat: quo non admittente mammam, sed auersante, idque cùm alia post aliam adduceretur: Mariame, quasi non datâ operâ, sed fortuitò ad spectandum interuenisset, Nihil agis, inquit, Regina, dum nutrices infanti adhibes alieni generis mulieres: quod si Hebræam aliquam accerseres, tum fortè popularis mam-

mammam admitteret: cumque rectè monere videretur, puella iussa est ipsa hoc negotiũ exequi, & lactantem quampiam adducere, ac mox vsa permissa potestate, rediјt adducens communem matrem, ignotam omnibus qui tum aderant. tum infans perquam libenter inhærere mamillæ visus est, & rogãte Reginâ mulier commissi infantis curam suscepit.

Deus Moysi miram afflat pulchritudinem vt Thermuthidi sit in delicijs.

Post tertium verò annum ætatis, admirandam gratiam ei Deus addidit; nemo enim erat adeo tetricus, vt visâ Moysis pulchritudine non obstupesceret; & persæpe accidebat, vt dum gestatur, & circumfertur, obuios quosque in se conuerteret, ita vt relictis serijs negotijs, mallent præcellenti eius forma oculos pascere; tanta erat puerilis gratia, vt inuiti homines ab hoc spectaculo discederent: quo factum est, vt Thermuthis hunc sibi filium adoptauerit, cùm alioquin germanis liberis careret, allatumque patri ostendebat, dicens de successore se cogitare, etiamsi Deus illi nullum filiũ gignere dederit. Hũc puerum, inquit, ego educaui non minùs indole, quàm pulchritudine diuina excellentem, quem Nilus ipse in sinum meũ tradidisse videri potest, quem decreui adoptare mihi filium, tibi verò in principatu ac imperio successorem. Et cum dicto patri infantem in manus imposuit. At ille postquam acceptum ad pectus appressisset, filiæ gratificaturus, comiter diadema suum eius capiti imposuit, *&c.*

§. 2. *Ioas infans cædi destinatæ subducitur.*

ADfuit & Ochosię filio Ioæ cæli numen, cùm omnes à Dauide oriũdi, crudelissimo Athalię imperio vno tẽpore sunt ferro dediti. Infans mediæ cędi subtractus piẽtissimæ amitæ cura tam diu *Sabellicus l. 1. exemp. c. 2. ex 4. Reg. 11.*

occultè seruatus est, donec puerascere incipiens magno hominum consensu, in auiti sit regni fastigium restitutus.

§. 3. *Puer ob matris hospitalitatem ex puteo diuinitus eripitur.*

Theodoretus in Philotheo in vita S. Iuliani Sabæ.

NOn longe ab Antiochia, mulieri hospitalissimæ charitatis vnicus puer erat septennis. exceperat illa Sanctos hospitio, cùm puer circa puteum ludens, in eum delapsus est. Mater quamquam id resciuisset, intenta hospitum obsequio, nil laboris intermisit, velut neglecta ob hospites filij salute. Id perpendentes Sancti, se scilicet præpositos vitæ filij, ad puteum ipsi accurrerunt, videruntque puerum in superficie aquę (erat autem ad multa cubita exuberans) cum aquis ludētem, vt in solo securi ludere solent alij. extractum igitur ab imo, incolumem matri restituêre.

§. 4. *S. Anselmo fame laboranti succurritur.*

Vincentius Barralus in Chronologia SS. Lerinensis Insulæ.

SAnctus Anselmus Episcopus ex cōfinio Lombardiæ, & Burgundiæ ortus, pueribus annis literis à parentibus traditus; breui spatio multâ sapientiâ pollens, ante annum 15. de salute animæ cogitare cœpit, & cogitatum ad effectum perduxit. Egressus ergo patriam, dum ex transcensu montis nimium fatigatus esset, nec quicquam ad edendum haberet, minister eius ex inspirato panem candidissimum diuinitus in sacculo reperit, ex quo vterque ad satietatem comedit.

Ex antiquis mēbranis Monasterij S. Pontij Niciensis.

§. 5. *S. Theodoro sanitas restituitur.*

Surius in vita sācti Theodori 22. April.

CVm decimum ætatis annum impleset Theodorus, quodam morbi genere quod regionem illam inuaserat, ipse quoque correptus est, adeo vt in vitæ discrimine versaretur. Tulerunt igitur eū in templum S. Ioannis Baptistæ, quod non longè

aberat,

aberat, & ad altaris introitum collocarunt. Supra a item in ipſo crucis receptaculo erat imago Domini noſtri IESV Chriſti, ex qua duæ ſuper ipſum morbo laborantem roris ſtillæ deciderunt, ſtatimque Dei gratiâ ſubleuatus conualuit, & redijt domum.

§. 6. *De S. Moronto.*

DE S. Moronto viro non minùs nobilitate (nepos enim erat Erckenwaldi ſub Sigeberto Maioris domûs in Fräcia) quã pietate illuſtri (ſuis quippe ſumptibus Collegium inſigne Sacerdotum extruxit, atque dotauit ante annos iam fere mille, quod hodie Duaci extat) hęc narrantur. S. Richarius, qui hunc Morontum ex ſacro fonte ſuſceperat, cùm matrem Moronti S. Rictrudem Cœnobij Marchenenſis fundatricem inuiſeret, eique equo conſcenſo vale diceret, poſtulante matre, vt filiolo (erat enim adhuc infans) in brachia accepto benedictionem ei ſuam abiens impertiret, hoc dum facere vellet, equo pręter morem ferociente, & quaſi ſubito furore correpto, exiliente, puerum in terram proximam deiecit, qui tamen caſu nihil læſus, matri accurrenti, & leuanti, ſuauiter arriſit.

Stapletonus de t ib. Thomis. de Thoma Moro c. . & Beda hiſt. Angl l. 3. c. 19.

§. 7. *Admiranda Dei circa S. puerum Ephram Syrum actusque humanos prouidentia.*

CVm puer, inquit, ſanè malè moratus iuſſu parentum ſuburbium peterem, repertam in ſylua buculam fœtu grauidam, cœpi crebrâ lapidum inſectatione eò vſque proſequi, donec onere ventris, & curſu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam ceſſit: ego cœptum proſequutus iter, obuium habui iuuencę dominum vltimæ ſortis, & fortunæ hominem, ſolicitè pecudem amiſſam veſtigantem, meq; peramanter ſalutantẽ, rogantemque an aberrantis bouis veſtigia in ſylua ali-

Raderus 1. Viridarij parte.

ua alicubi deprehendissem. Ego vt me extra suspicionem facti ponerem, nullo dignatum responso, insuper etiam contumelijs oneratum, dimisi, Exacto inde mense eandem viam remetiri iussum in nemore nox oppressit. Opiliones qui gregem in sylua pascebant, occursantes quærunt,quò sub imminentem iam noctem tenderē? missu parentum,inquam,ad suburbium illud propero. Diuerte, inquiunt, ad nos, occasum iam solem vides; primâ luce reliquam viam conficies. Victus humanitate pastorum, mapalibus successi: Sed intempesta nocte ouilibus insidiatę feræ gregem inuasere, totaque syluâ distulere.Postero diẹ magistri pecoris caulas inanes conspicati me furibus ducem rati nequicquam diuûm hominumque fidem implorantem,ac testantem Prętori vinctum sistunt.qui custodiæ mandatum duobus reis adiunxit, quorum vterque exors criminis,cuius affinis putabatur; occultâ tamen vindictâ numinis vtrumq; prosequente,in suspicionem alter cædis,alter adulterij inciderat.

Angelus sancto Ephræm apparet in carcere.

Iam quadragesimum diem in carcere trahebā, cùm se dormienti species Ephebi,vultu formidabilis, offert,qui me tamen placidissimè affatus:Ephræm,inquit,quid hic agis in vinculis? Domine, inquam, aspectu tuo perculsus totis artubus contremisco,fatiscoque, Pone metum,inquit,& caussam vinculorum expone.Domine,missu parētum in suburbium festinabam, sed tenebris occupatū custodes pecoris in tugurium inuitarunt: interim de nocte gregem lupi inuadunt, & totâ syluâ dispergūt:hinc ego posterâ luce à pastoribus reus peractus,arbitrantibus ductu meo prędones ad ouilia penetrasse, ad prætoria vinctus, quamuis insons,meramque calumniam passus rapior.Hic ille renidenti vultu: Noui, inquit,ego te extra crimen hoc positum, impactamque tibi puram pu-

tam

tam calumniam. sed quid ante mensem vnum aut alterum designâris, haud ignoro, cùm infelicis viri miserunt pecus crebra lapidatione confecisti. Disce ergo iustũ esse tribunal Numinis, nullumque cælesti vindictâ, nisi nocentem, plecti. Exemplo sint gemini illi iuxta tecum vinculis constricti, ambo eius, cuius insimulantur, noxæ immunes, sed percunctatus illos, intelliges cur illos in custodiam æquitas diuina dari permiserit. Hæc fatus adolescens ex oculis abijsse visus est.

Vindicta sõtes premit etiam cùm se insontes putant.

Expergefactus ego, simul ac diluculauit, compello vtrumque: Qui vos, inquam, fratres in hunc locum casus detulit? cædis, inquit alter, accusor, & cædem nullam vnquam feci. Ego, inquit alter, alterius violasse thronum dicor, cùm feminam alienam nunquam contrectârim. Enimuero quid aliàs à vobis olim peccatum est, aut cuius causâ in has ęrumnas permissu Numinis deuoluti estis? Ante non multos dies, inquit ille, falsæ cędis reus, cùm extra mœnia pontem flumini impositum transirem, secuti me alij duo in ipso ponte altercari cœperunt; gliscenteque sensim rixa, ad manus venêre: vbi valẽtior alterum de ponte in subterfluentem vndam præcipitauit, & se subduxit. ego propter alueum inambulans, illi cũ fluctibus luctãti opemque meam vltimis votis & lacrymis suppliciter imploranti manum facilem non porrexi, passus infelicem diu multumque frustra cõtra torrentem niti, & me præsente spectanteque vorticibus fluminis abripi, & hauriri. Hinc opinor ira cælestis me iustè persecuta, in hos calumniæ casses, carceres, & vincula coniecit. Dein' alter falsâ adulterij suspicione circumuentus, Et ego, inquit, meum vobis facinus exponam. Biennium est cùm gemini fratres, defunctis parentibus, amplissimam hæreditatem adierant, à quibus nondum diuisa sorte, soror orba & vidua suam

partem exigebat, quam inficiaturi, ſororem ſtatuerunt calumnijs opprimere, fornices innocenti, vagamque libidinem obijciunt. negare illa, & iureiurando affirmare ſe puram, & omnis culpæ expertem: inſtare illi, ſe teſtibus conuicturos, nocentemque patrimonio exturbaturos. Bene ſibi conſcia ſoror conditionem admittit. Conueniunt me fratres, paciſcuntur quinquagenos aureos in calumniam; ſpondeo, præſentibuſque fratribus & ſorore, alijſque teſtibus, ſacramento cōfirmo ſcortum eſſe, eiuſque rei me conſcium iuro, deieroque. Ita mulier hæreditate paternâ penitus exuta, per nos, innocens, infamiâ ſimul notata, & patrimonio ſpoliata eſt. Hoc meum eſt facinus: adulterium de quo poſtulor nunquam cogitaui. Et te, inquiunt, quæ cauſa nobis ſocium vinculorum adduxit? Narraui de ouium grege à feris direpto, meque eo nomine inculpatum eſſe: ecquod tu crimen, inquiunt, olim cōcepiſti, vt in capitis diſcrimen diuina prouidentia venire paſſa ſit? Buculam ego pauperis prægnantem lapidibus inſectatus ad mortem adegi, ipſum inſuper ſuam iuuencam veſtigantem, indignis conuicijs laceraui.

Poſtridie Prætor ſontes ad tribunal ſiſti iubet, & quęſtionibus ſubijci: Primus, de cæde & vi appellatus, conſtanter negat factum: torqueri iuſſus eâdem conſtantia perſeuerat in tormentis. ſoluto primo, ſecundus pro adultero habitus dicitur; parique ratione tortus adulterium inficiatur. Ego interim metu prope exanimatus trepidabam & pauebam, magnamque vim lacrymarum profundebam, vt qui perinde me ac ceteros, ad ſupplicium quęſtionum adductum ſcirem. Quin & lictorum turba me lamentantem petulanter palam irridere & dictis inceſſere: Serò ploras puer: tum plorandum erat, cùm ſcelus admiſiſti:

iam

iam nunc in medium & tu prodíturus es: quæ vox adeo vulnerauit animum meum, vti tantum non defectus ante mortem morerer.tandem pronunciatâ in duos sententiâ videri innocentes,absoluti sunt,ac dimissi.Ego Prætoris imperio reductus in custodiam alteros quadraginta dies ibidē exegi,cùm tres alij in eundem mecum carcerem compinguntur. reuersusq; ad me ille adolescens qui mihi per quietē visus erat,&, Ephræm inquit, percūctatus es ex illis duobus, quid peccauerint? Ego verò, inquam; & prolixè exposui omnia quæ ab ijs didiceram.Intelligis ergo, inquit,iudicia Dei iusta? En duo hi gemini fratres illi sunt qui sororē falsâ stupri criminatione oppressam bonis paternis exuerunt. Tertius, est ille qui de ponte hominem in flumen deiecit, cuius vi & impetu abreptus interijt.

Ego mox vt illuxit adortus singulos,de singulis quæsiui quâ culpâ fuerint comprehensi & in neruum dati. Cùm alij cædem falsam,alius adulteriū nequicquam causaretur, & omnes se innoxios dictitarent,Regredimini, inquam, in memoriam æui retroacti à vobis, fortè aliquid peccastis & non expiastis. Hic illi fassi calumniam sorori factam,& ademptam hęreditatem,tertius depontanū illum à se in aquas præcipitatum dixit.Extorta à singulis confessione aperui quæ cognoueram de alijs: qua illi narratione attoniti formidare cœperunt vindictam diuinam.

Insequenti die quæsitor omnes ad publicum tribunal adduci præcepit, vbi spectante toto populo rotarum gyris adstricti: dumque excarnificati facinora omnia sua ediderunt, cædes,adulteria,calumnias, lataque sententiâ me pręsente in furcā acti animas exhalarunt:quid mihi tunc animi, quis sensus,ac trepidatio! Lictores enim, age puer, inquiunt,non ita quæstionem vt nuper euades.

des. quibus ego externatus, mortuo propior quàm viuo, videbar. Ergo tandem Prætor, Puerum, inquit, veste spoliate; spoliatum, loris à manibus pedibusque distendite, neruisque bubulis mactate. Hic ego mille votis cælum oneraui, Deumque infantis precibus propitiare conatus, religionem professurum spopondi, si me præsenti supplicio eriperet, & vinculis exempto salutem expediret. Audire mox visa Dei clementia lacrymabiles gemitus meos. ex concilio iudicum primus monet Prætorem, vt (si videretur) in aliud tempus cognitionem reijceret meæ causæ, prandij horam esse.

Vouet ingressum in religioné.

Reducor ergo oneratus ferro in vincula, aliosque dies quinque supra vinginti in custodia solus exigo. Cùm ecce tibi rursus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris spiritus) mihi iam tertiùm adstat, & compellans: Satísne credis iam, inquit, iusto Dei iudicio mundum administrari, nec quicquam ab eo præter æquitatẽ fieri? plus satis, inquam, intellexi mirabilia opera Domini, & inuestigabiles vias eius; sed obsecro Domine, qui me tam clementi affatu in vltimis his periculis & ærumnis meis dignatus es, assere me ex vinculis in pristinam libertatem: ego tibi vicissim totum vitæ meę æuum deuoueo despondeoque, monachum induam, & in omnem vitam sincerâ fide seruiam. Subridens ille, semel dumtaxat adhuc ad tribunal sistêris, & missionem accipies. Ah, Domine, inquam, minas & plagas iudicis pertimesco, & reformido. Rursum ille placidè: Tam grauiter te peccasse non oportebat, nũc quoniam ob improbitatem tuam tu ipse te his calamitatibus implicuisti, quid agam? Enimuero non multa patieris, succedet huic nouus Prætor, qui te missum faciet: & cum dicto recessit.

Angelus Custos 3. ei apparet

Anxius ego propter euentûs incerti expectationem,

nem, post quartum diem nouus Prætor magistratum init, parentibus meis familiariter notus, qui octauo quam inierat Præturam, die, quærit ex Præfecto carceris, quos teneret in vinculis, Neminē, inquit Præfectus, præter puerum. Productum in quæstionem agnoscit, & nihilo secius ex legum præscripto causam cognoscit, & absolutum dimittit. Ego præter expectationem absolutus rectà in montem profectus, ad venerandi Senis pedes procubui, statuque vitæ & discriminis explicato, in verba religionis & monachi iuraui. Sed hæc vtilitatis publicę causâ exposui, vti iuxta mecum iustum Dei Numen veneremini, quod modis omnibus omnium salutem procurat. *Ingreditur religionem.*

§. 8. *Puer Ouo nominatus à suspendio liberatur.*

PRædicante & docēte populum Frisonum sanctissimo Vulfranno Archiepiscopo Senonensi, contigit quadam die puerum quendam ex ipsa gente Frisonum ortum dijs immolandum duci. Orabat autem sanctus Pontifex incredulum ducem, vt huius pueri sibi vitam donaret, nec hominem ad imaginem Dei factum, sacrificium execrabile dæmonibus immolaret. vocabatur autem idem puer Ouo. Respondebat autem Dux patrio sermone, decretum esse lege perenni olim à prædecessoribus suis omnique Frisonum gente, vt quemcunque sors elegisset, in eorum solennijs dijs offerendum sine mora. At verò sanctus Præsul dum persisteret in precibus, & præfatus populi Princeps eius petitioni satisfacere vellet, animosi gentiles, zelo vani erroris deuicti, sicut scriptum est: *Zelus apprehendit populum ineruditum,* vnanimes frustrabant eius precem, dicentes: Si tuus Christus de tormento mortis eripuerit, sit tuus, eiusque æuo perenni seruus. Ad hęc sanctus *Ionas Monachus apud Baronium to. 8. anno Christi 700.*

Pontifex;

Pontifex: Non hominum,inquit,in hoc facto,sed Domini Christi fiat voluntas.

Appēditur denique puer in patibulo aspicientibus Christianorum simulque Gentilium turmis, per duarum fere spatium horarum. Extemploque sacerdos Domini pro salute & vita non solũ illius qui in tormento erat mortis constitutus,verùm etiam pro obcęcato populo,qui Sathanę vinculis irretitus erat; flectens genua, hanc ad Dominum fudit orationem. Deus inuisibilis,immortalis, & æterne,exorabilis esto tuis supplicibus,& sicut quondam Danielem liberasti de lacu leonum,ita hunc puerum de faucibus eripe illius sæui leonis,qui circumiens quærit quẽ deuoret,vt de illius duplici saluatione populus hic incredulus depositâ sorde idolatriæ ad veritatis conuertatur agnitionem, & per cunctas generationes nomen tuum benedicatur in sæcula.

Hac completa oratione illicò disrupta sunt vincula, quibus semiuiui pueri guttur illigatum fuerat: sic illæsus in terram ruit. Videbatur autem illi (vt post ipse narrabat) quasi sopore graui teneretur oppressus, sanctique Pontificis zonâ pectore circumligatus, subleuaretur omnis eius corporis status. Apprehensaque eius manu Pontifex sanctus ait: *In nomine Domini IESV Christi exurge concitè sanus*. quo dicto, illicò incolumis surrexit, nullum illatæ sibi pœnæ sentiens dolorem. Atque ex hoc facto plurima Frisonum multitudo cõuersa est ad Dominum.

§. 9. *S. Mamas infans carcere eximitur.*

Metaphr. apud Sur. 17. Aug.

THeodatus & Ruffina S. Mamantis fuêre parentes, ambo patricij, sub Aureliano Imp. ob Christi fidem in carcerem coniecti: verùm Theodatus imbecillitatis suæ præclarè sibi conscius, eo in ergastulo precibus & lacrymis maturam & piam valde à Deo impetrauit mortem, ne fortè in

medijs

medijs supplicijs aliquid pateretur humani. Porrò Ruffina quæ vterum gerebat, cernens se mariti solatio destitutam, varijs perturbationibus agitari cœpit: cumque profuso lacrymarum imbre cõiugis sui reliquias rigaret, & crudelia carnificum tormenta perpenderet, victa doloribus filium enixa est. Tum verò nouæ de infante solicitudines accrescebant, eamque perturbabant, non tamen ita, vt vel minimũ à fidei constantia dimouerent. Itaque cùm infantem suum Deo commendasset, & aquis salutaribus expiatum obtulisset, ardentissimis à Deo votis similem cum marito vitæ exitum obtinere meruit. Solus ergo infans inter parentum reliquias viuus voluebatur, cùm ecce diuina quædam visio viduæ cuidam offertur, monetque Ammiam (id enim matronæ nomen erat) vt à Præside petat Sanctorum corpora, pupilumque sibi in filium adoptet: quo facto dilata sunt, non ablata puero tormenta, quæ fortior deinde maiori cum gloria sustinuit. potuit verò tunc cum Propheta dicere: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* *Psal. 26.*

§. 10. *Codratus infans diuinitus educatur.*

CODratus Martyr, præter consuetum naturæ vsum educatus est: ab ipsis enim incunabulis nutrimentum incertum habuit, quippe qui matrẽ adhuc infans amisisset: & maternis vberibus caruisset: Christus autem illi signis minimè obscuris alimenta subministrauit, cùm eius iussu nubium globus è cælo infantem amplecteretur, alimentumque suppeditaret. *Metaphra. 10. Martij hipoma nus tom. 7.*

§. 11. *Infans à Capra enutritur.*

BElisario Picenum agrum aduersus Gottorũ impetus tuente, ingẽs eius regionis homines terror inuaserat. feminæ itaque cùm derepente fugam capesserẽt in loco vbi Vrbisalia oppidum *Procopius de bello Gott. l. 2.*

fuerat,

Pontifex: Non hominum,inquit,in hoc facto,sed Domini Christi fiat voluntas.

Appēditur denique puer in patibulo aspicientibus Christianorum simulque Gentilium turmis, per duarum fere spatium horarum. Extemploque sacerdos Domini pro salute & vita non solū illius qui in tormento erat mortis constitutus,verùm etiam pro obcęcato populo,qui Sathanę vinculis irretitus erat; flectens genua, hanc ad Dominum fudit orationem. Deus inuisibilis,immortalis, & æterne,exorabilis esto tuis supplicibus,& sicut quondam Danielem liberasti de lacu leonum,ita hunc puerum de faucibus eripe illius sæui leonis,qui circumiens quærit quē deuoret,vt de illius duplici saluatione populus hic incredulus depositâ sorde idolatriæ ad veritatis conuertatur agnitionem. & per cunctas generationes nomen tuum benedicatur in sæcula.

Hac completa oratione illicò disrupta sunt vincula, quibus semiuiui pueri guttur illigatum fuerat: sic illæsus in terram ruit. Videbatur autem illi (vt post ipse narrabat) quasi sopore graui teneretur oppressus,sanctique Pontificis zonâ pectore circumligatus, subleuaretur omnis eius corporis status. Apprehensaque eius manu Pontifex sanctus ait: *In nomine Domini IESV Christi exurge concitè sanus*. quo dicto, illicò incolumis surrexit, nullum illatæ sibi pœnæ sentiens dolorem. Atque ex hoc facto plurima Frisonum multitudo cōuersa est ad Dominum.

§. 9. *S. Mamas infans carcere eximitur.*

Metaphr. apud Sur. 17. Aug. Theodatus & Ruffina S. Mamantis fuère parentes,ambo patricij,sub Aureliano Imp. ob Christi fidem in carcerem coniecti: verùm Theodatus imbecillitatis suæ præclarè sibi conscius, eo in ergastulo precibus & lacrymis maturam & piam,valde à Deo impetrauit mortem, ne fortè in

medijs supplicijs aliquid pateretur humani. Porrò Ruffina quæ vterum gerebat, cernens se mariti solatio destitutam, varijs perturbationibus agitari cœpit: cumque profuso lacrymarum imbre cõiugis sui reliquias rigaret, & crudelia carnificum tormenta perpenderet, victa doloribus filium enixa est. Tum verò nouæ de infante solicitudines accrescebant, eamque perturbabant, non tamen ita, vt vel minimũ à fidei constantia dimouerent. Itaque cùm infantem suum Deo commendasset, & aquis salutaribus expiatum obtulisset, ardentissimis à Deo votis similem cum marito vitæ exitum obtinere meruit. Solus ergo infans inter parentum reliquias viuus voluebatur, cùm ecce diuina quædam visio viduæ cuidam offertur, monetque Ammiam (id enim matronæ nomen erat) vt à Præside petat Sanctorum corpora, pupilumque sibi in filium adoptet: quo facto dilata sunt, non ablata puero tormenta, quæ fortior deinde maiori cum gloria sustinuit. potuit verò tunc cum Propheta dicere: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* *Psal. 26.*

§. 10. *Codratus infans diuinitus educatur.*

CODRATUS Martyr, præter consuetum naturæ vsum educatus est: ab ipsis enim incunabulis nutrimentum incertum habuit, quippe qui matrẽ adhuc infans amisisset: & maternis vberibus caruisset: Christus autem illi signis minimè obscuris alimenta subministrauit, cùm eius iussu nubium globus è cælo infantem amplecteretur, alimentumque suppeditaret. *Metaphra. 10. Martij hipomanus tom. 7.*

§. 11. *Infans à Capra enutritur.*

BELISARIO Picenum agrum aduersus Gottorũ impetus tuente, ingẽs eius regionis homines terror inuaserat. feminæ itaque cùm derepente fugam capesserẽt in loco vbi Vrbisalia oppidum fuerat, *Procopius de bello Gott. l. 2.*

fuerat, quędam edito partu, eoque pānis, vt licuit, inuoluto, & in terra relicto, nusquam deinde cōparuit, aliquo fortè casu sublata è viuis infantem illum in solitudine iacentem, ac vagientem, capra quędam aduertit commiserata, quę & ipsa recens fœtum ediderat, accedens vbera ei prębuit, diligentique cura seruabat, ne canis aut alia quęuis bellua puerū offenderet. Obtigit post dies plurimos, vt Piceni ad sua quisque redirent. Dum in Vrbisaliam permistæ cum viris feminæ peruenissent, inuentus superstes puer; nec quomodo id euenisset, vt ibi infantulus vixisset, coniecturâ vllâ quisquam assequebatur. Alia ergo vbera porrigebat, alia blandiebatur, alia fouebat sinu: at ille insuetum mulieris lac respuebat. Interim capra affuit, & balatu fremens circumibat, ęgre se ferre subindicans mulieres infantulo appropinquasse. Vbi id aduerterunt mulieres, prorsus abstinuere à puero, caprę officium tum alendi, tum seruandi permittētes. Ex eaq; die populares puerum illum Ægistū appellauere. *Hæc Procopius, qui adijcit se tunc miraculi conspiciendi causâ adductum fuisse ad puerum, & capram, quæ ad lapidis iactum abierat, festinasse, balantemque accurrisse, pueroque desuper adstitisse, ne quis illi molestus esset. Est sanè nutricia Dei prouidentia, quando si parentes infanti desint, nutricios etiam ratione carentes prouideat.*

§. 12. *Diuina in S. Modestum prouidentia.*

Ex Menæis Raderus in Viridario Sanctorū.

CAtholicis parentibus natus est Modestus, Sebastę, patre Eusebio, matre Theodula, quę non pariebat; precibus amborum datus est hic filius (eximius postea pater, & Patriarcha Hierosolymitanus) à Deo post quadragesimū initi matrimonij annum: nato autem infante, ob hoc pater accusatus est apud Maximianum, quòd Christum profiteretur, comprehensusque in custodiam datus.

tus. Quod cùm Theodula intellexiſſet, & illa pariter cum filio ad carcerem properauit, in quo ambo Dominum precati, in manu Angelorum animas in pace ediderunt, Martyres iam voto effecti: quos carceris cuſtodes, cùm defunctos repeririſſent, puerum inter mortuos viuum iacentem ad Maximianum detulerunt, quintum menſem primùm agentem, quem vt liberalem & amabilem Imperator vidit, cuidam ex ordine Senatorio commiſit, vt qui dignus videretur quem Iupiter amaret. Eductus ergo B. Modeſtus ab hoc, cùm audiſſet quibus eſſet parentibus, & quo pacto Chriſti causâ mortem oppetijſſent, tredecennis incidit in Ludi-moderatorem quendam Chriſtianum, à quo Chriſtianam edoctus pietatem, totum ſe illi mancipauit. ægre verò patiebatur diutius ſe apud idolorum cultores verſari. Quare Maximiano ſacrificium publicum promulgante, ille ad parentum monimenta precatus, magno illos affectu rogauit, vt ex idolorum poteſtate eriperetur, ſacráque baptiſmatis vndâ ſignaretur. Offendit ergo illum Argentarius, qui adſcitum ſecum deduxit, multa in itinere mira perpetrantem, cumque ibi commendatum Pontifici, erudiri, ſacriſque Chriſtianis initiari curauit; qui columnam è cælo flammeam ſupra verticem iam baptizandi vidit deſcendere atque conſiſtere. ætate deinde creſcente cuidam dæmonolatræ velut mancipium venditus fuit ab Argentarij filijs, à quo toto ſeptennio mala innumera pertulit: quo defuncto liberatus, poſt multorum miraculorum famam, tādem Patriarcha Hieroſolymitanus eſt factus; vbi Argentarij filios Hieroſolymam negotiandi causâ venientes, & à quibus in Ægypto erat diuenditus, velut alter Ioſeph, nihil tale cogitantes humaniſſimè excepit, lautiſſimeque tractauit. Octo

& triginta annis Pontificatum administrauit, itá vt ad septimum & nonagesimum ætatis annum perueniret.

§. 13. *Ad maris accedentis littus dormienti Maclouio adnascitur insula.*

Surius 15. Nouëb. ex Sigeberto Gëblacensi monacho.

DVm quodam die Maclouius cum sibi coëuis pueris ad littus maris iuisset, alijs ludo intentis, ipse alto sopore correptus est. Accedente interim maris æstu, reliqui pueri fugâ saluti consulunt, socij dormientis immemores. Sed ecce fluctus licet tumidi circum vndique fluitarent, tamẽ velut circumducto in orbem circulo, eum terrę tumulum attingere non sunt ausi, in quo iacebat B. Puer: sed ita repentè simul cum fluctu creuit insula, vt æquoris fastigium semper exæquaret. Hæc res omnium vicinorum oculis fuit comprobata. Sanctus puer parentum, vix se præ admiratione capientium, nauigio eductus est: neue huius rei memoria vnquam excidat, stat in hodiernum diẽ insula æternum facti monimentum.

§. 14. *S. Petrus Damianus crudeli matris decreto pene necatus liberatur.*

Surius 22. Feb. to. 7.

B. Petri Damiani Episcopi mater, quòd prole numerosa grauaretur, marito defúncto, & summis in angustijs res domestica versaretur, ad restẽ se venisse exclamat, & aliquando doloris impatiens, Petro vix dum nato lac negare aggressa est, prorsus vt nihil infantis vagitu crudelis commoueretur. haud dubium est quin etiam mors eius fuisset secutura, nisi diuinâ prouidentiâ mulier quædam alia eò fortè adueniens, fame simul & frigore nigrescentem miserata, immanitate summâ efferatum matris animũ redarguisset, eamque paululum ad tranquillitatem reuocatâ, calentis aquæ beneficio, alijsque auxilijs infantem semi-mortuum ad vitam reuocasset.

§. 15. *Puero iam iam à patre occidendo succurritur.*

ANno 850. grauissima fames Germaniæ populos oppressit, maximè circa Rhenum habitantes: nā vnus modius frumēti Moguntiaci vendebatur decē siclis argenti. Morabatur autē tunc Rabanus Archiepiscopus in quadā villa parochiæ suę, cui vocabulum Winsella, & pauperes quotidie plusquam trecentos alimento sustentabat, exceptis illis qui in pręsentia eius vescebantur assiduè. Venit autem & mulier quædam pene consumpta inedia cum puerulo inter ceteros refocillari desiderans, quæ priusquam limen portæ transcenderet, præ nimia imbecillitate corruens spiritum exhalauit. Puer verò mamillam matris mortuæ, quasi viuentis de sinu protrahens & sugere tentans, multos gemere intuentes & flere coëgit. Tātæ igitur famis tempore quidam de Grabfelden cum vxore sua, & filio tenero, in Thuringiā proficiscens, vt malum inopiæ tolerare posset, vxorem in itinere in quadam sylua sic affatus est: Nōne, inquit, melius est vt puerum istum occidamus, & manducemus carnes eius, quàm omnes inedia consumamur? illâ verò contradicente, ne tantum scelus committeret, tandem vrgente fame, filium de brachijs maternis per vim rapuit; & voluntatem opere implêsset, nisi Deus illum sua miseratione præuenisset. Nam sicut idem postea multis retulit, cùm euaginasset gladiū, vt mactaret filiū, & in ancipiti positus necem distulisset, vidit eminus duos lupos, super vnam ceruam stantes, & lacerantes carnes eius, statimque parcens filio, ad cadauer ceruæ cucurrit, & lupos inde abigens, tulit de carnibus prægustatis, & cum incolumi filio ad vxorem reuersus est: prius enim quando filium tulerat de manibus matris, paulum ab ea declinaue-

Baron. to. 10. an. 850

En liberalitatē veri pastoris.

Quomodo mulier alia famis tempore filiū coxerit & vorauerit, vide Ioseph. de bello Iudaico lib. 7. c. 6. & 8. Hegesip. de excidio Hierosolymit. Baron. to. 10. anno 72.

clinauerat, ne illa morientem videret & audiret. At illa veniente marito, videns recentes carnes, & cruore perfusas, putabat filium occisum, & cecidit retrorsum pene exanimis: ille autem accedens, consolatus est eam, ostendens puerum viuentem. & resumpto spiritu, diuinæ prouidentiæ pariter gratias egerunt.

§. 16. *S. Bernardus æger statim sanescit incantatrice pulsâ.*

Sur. in eius vita l. 1. c. 2.

CVm sanctus Bernardus adhuc puerulus graui capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. adducta est ad eum muliercula, fortè ignorante matre, quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam cùm ille appropinquantem sentiret cum carminalibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueuerat, cum indignatione magna exclamans, à se repulit, & abiecit. Nec defuit diuina gratia zelo sancti pueri, sed continuò sensit virtutem, & in ipso impetu surgens, ab omni dolore liberatum se esse cognouit.

§. 17. *Sanctus Hermannus à fœda scabie liberatur.*

Surius 7. April.

COntraxerat aliquando Hermannus Religionem puer ingressus, tam fœdam capitis scabiem, vt condiscipulis esset horrori simul ac risui; adeoque, vt licet quietus & patiens, petulantium vix posset subsannationes sustinere diutius, quin animo contabesceret. Vidit afflictum Deus, & dormiens sensit (sine molestia tamen) animal aliquod, reptiléne, an volatile, incertum, rostro suo adeo totã illam purulentam scabiem auellere, vt nihil omnino relinqueretur, sed sanum condiscipulis caput sequenti die mirantibus apparuerit.

§. 18. *Al-*

§. 18. *Albinus alijs perpluis intactus à pluuia perseuerat.*

HIc cùm adhuc puerulus esset, & monasteriũ Obiallacense Christo arctiùs seruiendi desiderio ingressus, in Abbatis sui obsequium per pagum ambularet, applicuit ad quendam locum, vbi tantę detonuit violentia tempestatis, tantumque pluuialis imber se effudit, vt ipsam domum in qua erat, nec sua tecta defenderent: cumque prę magnitudine pluuiæ, casæ pro campo starent; madefactis omnibus qui in eodem loco erant detenti hospitio, solum B. Albinum tunc imber tãgere expauit: quia ibi flammam fidei sensit; ne iniuriam faceret, se gutta detorsit. *Antoninus 2. part. titul. 14. c. 2 §. 1. Joã Hug. c. 139 & 144. Juit Andegauensis Episcopus Albinus.*

§. 19. *S. Medardus ruente nimbo protegitur ab Aquila.*

EQuos in pascuis, vt paternis iussis obtemperaret Medardus, custodiebat. Iamque sub horam prandij missus qui eum reuocatum iret seruus, accedens, eminus vidit puerum propter effusam imbrium vim, latebras quærentem: & ecce aquila expansis alis super eum volitãs tam congruenter eum cooperuit, vt cùm circumquaque pluuia grassaretur, nullam tamen eius iniuriam perciperet. Quo viso seruus obstupefactus, domum concito cursu reuertitur, & parentibus miraculum pandit. Illi, cum tota familia, ruunt certatim ad locum, si fortè visu confirmare possent, quod auditu didicerãt. vbi verò illuc ventum est, non iam auriti tantum, sed & oculati testes effecti præ gaudio illacrymantur. *Surius 8. Iunij.*

§. 20. *Dei subsidium S. Ludgeri mater, adhuc infans, atque adeo ipse Ludgerus experitur.* *Io. Molan. 26. Martij de Natal. SS. Belgij.*

MAtrem S. Ludgeri Liafburgam, auia ex paterno genere gentilis, dolens filio tantum

filias nasci eâdem quâ nata fuerat horâ, à mancipio, situlæ aquâ plenę immergi mandauit. Sed mirando spectaculo paruula ętas, vtraq; manu marginem situlæ apprehendens, perfectę ætati reluctabatur. Itaque vicina mulier superuenit, quę infantulam eripuit, & ori eius aliquantulum mellis immisit: quia autem iuxta superstitionem Gentilium, semel aliquid gustantes illicitum erat necari infantes, in domo illius mulieris occultè educata est, & post auiæ mortem matri restituta.

Hæc deinde marito iuncta, Ludgerum in vtero gestans casu corruit, & palus in quem impegerat, latus eius penetrauit, sed Dei prouidentia tantæ prolis gerulam è mortis faucibus, & prolem ipsam liberauit.

§. 21. Sanctus item Germanus Dei prouidentia seruatur in vtero crudelis matris, posteaque à veneno.

Fortunat. apud Surium to. 3.

EVsebia S. Germani Parisiensis Episcopi mater, eo quòd hunc post alterum intra breuè spatium concepisset, pudore mota muliebri, cupiebat eum ante partum extinguere: & acceptâ potione, vt eum extingueret, dum ei nocere non posset, incubabat in ventrem, vt vel pondere pręfocaret, quem venena non læderent.

Sed & aliàs est à veneno parato conseruatus. Habebat socium Stratidium, cuius mater vt hæreditatem Germani acquireret filio suo, temperatam potionem in ampulla condidit, & vinum in altera, præcipiens puellæ, vt venientibus à schola ambobus, Stratidio porrigeret vinum, Germano maleficium. Illa verò ignoranter mutauit ampullas, & illi dedit maleficium, huic autem vinum. Stratidio tamen solicitè impenso studio, etsi mors vitam non abstulerit, tamen signum mortis infixit.

§. 22. A-

§. 22. *Agapitus & Theopistus S. Eustachij, filij feris diuinitus eripiuntur.*

REuertenti Eustachio post baptismum suum, & vxoris, & filiorum, Dominus apparuit, & prædicens eum multa passurum, confortauit eum ad patientiam. Inde ad dies paucos mortui sunt omnes famuli & famulæ eius, & pecora, & tota substantia eius ad nihilum redacta, per rapinam malorum, propter quod paupertate pressus est, & præ verecundia cum vxore & filijs profectus est in Ægyptum. Sed ascendens nauem, vt mare transiret, cùm non haberet naulum ad soluendum, nauclerus retinuit sibi vxorē eius pulcherrimam pro naulo. Et quia conquerente eo, volebat eam patronus nauis in mare demergere, contristatus sine ea discessit cum filijs. Dominus autem Deus prouidit pudicitię eius, vt ille eam non contingeret. Perueniens autem ad quēdam fluuium, vnum ex filijs dimittens in terra, alium super humeros ponens, transportauit ad aliam partem fluminis: cumque reuerteretur pro alio, in medio fluuij constitutus, vidit leonem illum rapientem, & in syluam portantem; & desperans de eo, reuersus est ad alium iam transuadatum. & videns lupum illum rapientem, & in nemus fugientem cum eo, existimans ambos ab illis feris deuoratos, incitabatur ex dolore nimio ad se submergendum. Sed à Deo confortatus, gratias de omnibus egit. Fuerunt autem illi paruuli eruti de ore illorum animalium rapacium à pastoribus & agricolis videntibus illos, & cum canibus insequentibus. Accidit autem post quindecim annos, quod cùm prouincia quædam Traiani Imper. rebellasset, Eustachius ob virtutem bellicam Imperatori notam, factus ab eo fuerit Magister militiæ ad egrediendum contra hostes. qui collectis de

D. Antoninus p. 1. titul. 7. c. 5. §. 3.

diuersis locis tyronibus, inter ceteros fuerunt ei pręsentati duo filij eius iam iuuenes facti, quos etsi non agnosceret, tamen ex generositate morum & industria, quodã etiã naturali instinctu primos inter cõuiuas suos habebat. Rediens ergo aliquãdo bello feliciter gesto, hospitatus est vbi erat vxor eius: cùm autem illi duo iuuenculi ad inuicem loquerẽtur de progenie sua, & vnus eorum referret alteri quod pater cum vxore & duobus filijs reliquisset patriam, & vxor fuisset ei ablata à nauclero, & pater cùm alio transportato veniret pro eo, leo rapuerat eum, sed à pastoribus fuerat de ore eius liberatus: subdiditque alter sibi euenisse simile. Vnde ex narratione ipsa cognouerunt se inuicem esse germanos. Mater autem eorum hæc omnia audiens recogitabat si fortè ipsi essent filij eius. Alterâ autem die cùm ipsa mulier rogaret Eustachium Magistrum militiæ, vt Romam reduceret eam, considerans diligenter effigiem eius, & cetera signa, agnouit esse maritum suum. Quod ipsâ manifestante & ipse agnouit vxorem, nec lacrymas præ gaudio continere poterant. Et interrogante vxore de filijs, dixit deuoratos à bestijs, explicans modum. Sed illâ referente quę præcedenti die audiuerat ab illis adolescentulis, eisque examinatis cognouerunt esse filios suos: factumque est magnum gaudium & festum in exercitu de eorum inuentione.

§. 23. *Puer Odilo licet æger, in templum irrepit, sanitatem consequitur.*

Ex Petro Damiano Sur. 1. Ian. Fuit S. Odilo Abbas Cluniacẽsis.

S. Odilo adhuc puer tanto repentè membrorum languore adstrictus fuit, vt incendendi quoque facultate priuaretur. Accidit autem vt eum nutrix ad valuas templi D. MARIÆ sacri, negotijs auocata, sine custode desereret. Quod puer aduertens, diuino quodam prouocatus

tus instinctu tentare cœpit, si forte aliquo nisu in templum irrepere posset. Igitur pedum ac manuum velut remigio vsus, adeo se tandem promouit, vt altaris peristromate correpto, se, iam conceptâ spe valentior, erexerit in pedes, & paulò post diuinâ virtute restitutis viribus, ad agendas Deo gratias accurrentium animos prouocarit.

§. 24. S. *Maurus mortuus natus, vita & salute donatur.*

APud *Huenses*, in circumuicinis locis Andanensibus natus erat *Maurus*, & mortuus: sed diuino permissu recepit vitam, & in baptismate dictus est, *Mortuus natus*, vernaculè, *Mort-né*. Vixit deinde vitam modestam, & tandem in siluis circa Andanam Eremiticum habitum elegit, in quo sanctè extremum vitæ suæ diem conclusit. Cùm autem vlteriùs à nemine videretur, vicini quæsitum inuenerunt, sed mortuum. Eius corpus sanctissimum cùm Andanam vehere vellēt, equi diuino nutu refragabantur, cùm verò *Huum* dirigeretur, sponte progressi sunt vsque ad ædem S. Ioanni Euangelistæ sacram, in qua honorificè inhumatū iacet. Literati quidam eum sanctè mortuum vocant. Rectiùs Renatum dixissent, quomodo S. Maurilius puerulum à se resuscitatum nominauit, qui ei postea in cathedra Andegauensi successit.

Molanus de Natalibus SS. Belgij 15. Ian.

§. 25. *Epiphanius puer Iudæus diuinam opem experitur.*

MAnserat Epiphanius decē annos natus matri suæ, quando mortuus est pater eius. Dixit autem ei mater: Fili quoniam familia nostra in ijs quę ad corporis vsum pertinent, nobis prębet angustias, accipe iumentum quod est intra domum nostram, & vade ad nundinas & vende: & ita id

Ex Metaphr. Surius 12. Maij.

quod

quod erit ad nos alendos vsui, suppeditabimus. Epiphanius autem dixit matri suę: Scis iumentum nostrum adhuc esse indomitum, fietque vt si eam ad id vendendū, qui circa ipsum congregati erūt, videntes eius insolentiam, me pœna afficiant, dicentes: Cùm malum habeas, malè patieris ex lege. Dixit ei mater: Abi, fili: Deus patrum nostrorum Abraham, Isaac, & Iacob, dabit iumento intelligentiam, vt per eius precium nos nostro vsui seruiamus. Epiphanius autem, Deo inuocato, qui dedit Moysi gratiam, vt maxima signa faceret coram Pharaone, profectus est volens obedire matri suæ.

Cùm ad nundinas autem esset ingressus, accidit vt iumentum indomitum fieret placidum, & valde mansuetum. Affuit autem quidam Iudæus negotiator nomine Iacob, qui dixit Epiphanio: Vis ô fili, vendere hoc iumentum? Dixit Epiphanius: Maximè, pater, eâ enim de causâ id adduxi. respondens autem dixit Epiphanio: Cuiusnam es religionis? Dixit Epiphanius: Iudæus. Dixit ei Iacob: Cùm simus eiusdem generis, non debet inter nos peccatum intercedere: sed cùm sit Deus noster iustus, constituamus iustum iumenti precium, vt neque tu iniuria afficiaris, nec ego damnum patiar, ne maledicta postea nobis inferamus, & Deus nobis irascatur; sed potiùs benedictiones. Quoniam dixit, Qui benedicit, benedicetur; & qui maledicit, est maledictus. His autem auditis Epiphanius valde timuit condemnationē Iacobi, & dixit ei: Nolo tibi ampliùs vendere hoc iumentum. Iacob verò dixit Epiphanio: Quanam de causa ô fili! Epiphanius dixit ei: Hoc iumentum, ô pater, est insolens & indomitum, acerbissimæ verò famis angustiæ subiere domum meam. Est autem mihi mater & soror: pater enim meus excessit è vita humana; mater mea iussit vt venderem

rem hoc iumentum, propterea quod cibo indigeremus: Nunc autem audiui ex te pater, quod malum sit, damnum afferre, & Deum timui ne fortè tu mihi maledicas, & ille me puniat propter tuã in me maledictionẽ. Cum hęc autem audisset Iacob, miratus est responsum pueri, accepitque tres nummos, & dedit Epiphanio, simul etiam eum docens verbis eiusmodi: Fili, hanc accipe benedictionem, & vade ad matrem tuam, & inferes panes in domum tuam; tecum quoque accipe hoc iumentum, & si suum quidem mutet vitium & mores insolentes ac proteruos, maneat domi tuę: sin autem in hac perseueret insolentia, eijce è tuis ædibus, ne alicui ex tuis mortem afferat. Cùm hęc audisset Epiphanius, & à Iacobo tres nummos accepisset, regressus est.

Priusquam autem ipse ingrederetur vicum circiter mille passus, occurrit ei homo Christianus nomine Cleobius, qui dixit ei: Vis vendere iumentum, ô fili? respondens dixit Epiphanius: Nolo, pater. Dixit autem Cleobius: Si vis vendere cape eius precium, & ipsum mihi relinque. Interea animal insolenter irruens & impetum faciens, Epiphanium excussit, humique allisit & abijt extra semitam. Epiphanius autem ex iumenti insolentia grauem accepit dolorem, humique iacebat, flens amarè & non valens surgere. Cleobius verò accedens, & femur eius tenens in eo loco, in quo affectus fuerat ab insolenti bestia, cùm eum ter signasset, statim erexit nihil mali in se habentem. Cleobius autem dixit iumento: Tibi dico iumentum plenum omni insolentia, quoniã voluisti tuum dominum occidere, in nomine IESV Christi crucifixi, nõ amplius excedas ex hoc loco. Quod postquam dixisset Cleobius, iumentũ statim cecidit in terram mortuum. Cleobium autem interrogauit Epiphanius, dicens: Quis est ô

pater

pater, IESVS Crucifixus, quod talia fiunt per eius nomen? respondit Cleobius: Hic IESVS est filius Dei, quem crucifixerunt Iudæi. Epiphanius verò timuit significare Cleobio se esse Iudæum: Cleobius autem perrexit suum iter ingredi, & Epiphanius venit in vicum ad matrem suam: quem videns mater accepit cum gaudio. Aliquanto autem post tempore Epiphanius est baptizatus.

§. 26. *Puer ex obedientia in furnum coniectus à patre, seruatur illæsus.*

Ex vitis SS. Patrũ 2. par. l. de Obedient.

QVidam tres habens filios renunciauit sæculo, & venit ad monasterium, relinquens filios suos in ciuitate, & cùm fuisset tres annos in monasterio, cœperunt ei cogitationes suæ filios ad memoriam frequenter adducere, & contristabatur pro eis valde: neque enim dixerat Abbati se filios habere. Videns autem Abbas eum tristem, dixit ei: Quid habes, quod tristis es? & narrauit ei quia tres filios haberet in ciuitate, & quia vellet eos in monasterium adducere. Præcepit autem Abbas ei vt adduceret eos. Qui cùm perrexit ad ciuitatem, inuenit duos ex eis iam esse defunctos; vnum verò solummodo remansisse: quem assumens venit ad monasterium, & requirens Abbatem, eum non inuenit illic: interrogauit autem fratres vbi esset Abbas: & illi dixerunt: Ad pistrinum perrexit. Ille verò tollens filium quem adduxerat, ad pistrinum iuit: & videns eum Abbas venientem salutauit, & tenens infantem quem adduxerat amplexatus est eum & osculabatur, dixitque patri eius: Amas eum? & ille respondit, etiam: & rursus dixit ei: Omnino diligis eum? respondit, etiam. Hæc cùm audisset Abbas, dixit ei, Tolle ergo, si amas eum, & mitte in furnum, sic modò dum ardet furnus: & tenens eum pater suus, iactauit eum in furnum ardentem. Statim autem furnus factus est sicut ros. Ex qua re acqui-

acquisiuit gloriam in tempore illo quemadmodum Abraham Patriarcha.

§. 27. *Thomas Morus item seruatur.*

NVtrix Thomæ Mori dum flumen equo trāſmitteret, cùm magno in mergendi periculo ſe videret, vt infantis quem gerebat, incolumitati cōſuleret, proiecit eum temere à ſe vltra ſepē fluminis propinquam, quem cùm repeteret, inuenit ſupra omnem ſpem penitus illęſum, & omnibus ſuis membris incolumem: ſed & infans venienti nutrici arriſit. *Thom. Stapletonus de trib. Thomis de Thoma Moro. c. 1.*

§. 28. *Alexander de Oliua puer, poſtea Cardinalis in puteo merſus, educitur.*

IN Sentinatum rure quodam, inopis mulierculę triennis puer in profundum puteum incautus fuerat delapſus, nemine id aduertente, præter infantem aliam eius ſororem ob id exclamantem: quamobrē cùm mater accurriſſet, extractum puerum iam expiraſſe agnoſcens, ſuſpenſum pedibus illum tenens, vt aqua epôta deflueret, ipſum religioni deuouit: mirum, emiſſo voto, ille reſumpto ſpiritu reuixit. vbi adoleuit, ſubijt Eremitarum ordinem, ac tādem à Pio II. in Cardinaliū cœtum cooptatus eſt; fuit illi nomen Alexander de Oliua.

§. 29. *B. Philippus Nerius in præcipiti caſu ſeruatur illæſus.*


ADduxerat ruſticus e villa ad ædes Franciſci Nerij parentis eius, aſellum pomis onuſtum: in hunc Philippus (erat tunc annorum forte octo) vbi aſcendit, continuò factum eſt vt ex altiſſimo loco cum aſello in cellam vinariam præceps rueret: accurrunt mox mœſtiſſimi parentes, & quem extinctum iam inde extrahere putabant, viuum incolumēque, nullaque ex parte lęſum ſingulari beneficio inueniūt. Quod quidē vnum ipſemet Philippus inter ſumma quæ à Deo acceperat *Antonius Gallonius Congregationis Oratorij Presbyter in eius vita.*

acceperat beneficia solitus erat referre.

§. 30. *Pueri duo Christiani seruantur incolumes pagano inter vtrumque obtrito.*


Ioan. Rodrigues Girano Prouincialis Iaponiæ in literis anni 1610.

TRes pueri vnà noctu cubabant, quorũ Christianis vnus non imbutus mysterijs, duorum in medio, lectulo excipitur, latus vtrimque claudentibus Christianis. Nocte intempesta, dum somnum capiunt, magno fragore rudera ingentis saxi à tecto in columnam, cui tota inclinata domus recumberet, subitò conuulsa, in medium puerum dormientem illisa, penitus eum obterũt. Conclamãtibus duobus Christianis superstitibus confestim aduolant parentes, cadauer contritum conspicati, illęsis interim filijs. hinc pro natorum salute grates Deo læti agunt, illinc dolent iacturã hospitis, calamitatemque acceptam. Interea loci timent ne falsò eos accusent idololatræ; vt necis authores, quod etiam euenit: at iudex tametsi ab Euangelica alienus luce, diligenter re examinata non hominum id manibus patratum facinus, sed occulto Dei iudicio accidisse de plano pronũciat; vtpote qui lapidi bruto discernere dedit paganum puerum inter vtrumque Christianum.



CAPVT IIII.

VIRGINIS MARIÆ IN PVEROS MIRACVLA.



XEMPLA protulimus superiori capite non pauca, diuinæ in pueros prouidentiæ; quæ cùm plurimis maximisque in rebus cernatur, tum verò in eo præcipuè quod matrẽ suam Deus, hominum

hominum patronam, parentemque esse voluerit; vt matrem benignissimam in cœlo iuxta ac patrem cælestem haberemus, quorum ope freti, turbulentas huius mundi tempestates enataremus, ac in placidissimo tandem quietis æternæ portu consisteremus. Quid ergo patronâ vel tam potente, vel tam benignâ nobis deesse possit? patronâ, inquam, quæ Regina est misericordiæ: sic eam vocat D. Bernardus. *Vocatur*, inquit, *Regina misericordiæ, quòd diuinæ pietatis abyssum cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire; vt quiuis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinij sui suffragia præstat*. O mellifui Bernardi vox, omni concentu suauior in âure peccatoris! D. Bernar. serm. 1. in Salue Regina.

Neque verò quenquam mouere debet, quod nulla à Deipara in sacris noui instrumenti paginis, patrata videantur miracula; vnum tamen multorum instar erit, quod scilicet potentibus illis verbis; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, maximum edidit, totique orbi maximè salutiferum miraculum, quo summum omnium montium transtulit in mare amarum, MARIÆ nomine significatum. An non vis eius miraculorum effectrix satis est omnibus vel hoc vno facto comprobata? nil ergo mirum si exinde à miraculis efficiendis cessârit, cui simile efficere prorsus erat impossibile. Adhęc ipsa quanta quanta est, tota est miraculum; rectèque D. Thomas docuit, MARIAM & Christo secundum humanitatem fuisse proximam, & præ ceteris maiorem quoque ab illo gratiæ plenitudinē obtinuisse: licet verò sapientiæ donum, gratiamque virtutum, & prophetiæ acceperit excellenter; tamen donorum atque virtutum suo sexui non congruētium vsu caruisse. Nec sanè decebat, quod ad vsum miraculorum attinet, quibus doctrina Euangelij à Christo eiusque discipulis primùm confir-

manda

manda erat, non decebat, inquam, vt aut Virgo Mater, aut Ioannes Bapt. Christi prodromus in euágelij exordio miraculum vllum ederet. at verò quod post obitum plurima ediderit miracula, in confesso est, & ab Andrea Cretensi, qui celebris Archiepiscopus fuit Hierosolymis, non temere scriptum est, miraculorum effectricem ab omnibus decantandam Deiparam esse Virginem; cuius idcirco sacrum corpus, ipsumque Dei sacrarium ad sepulturam elatum, multis statim claruit miraculis: vt præter alios Damascenus, & Metaphrastes asseuerant. Tum quippe Deus, cęlestis regni potestatisque sociam quatenus licuit adsciuit: eius ad arbitrium terras, maria, cęlum, naturamque moderatur vniuersam; vt omnibus manifestè appareat, quicquid ab æterno illo augustoque bonorum fonte in terras profluit, fluere per MARIAM. Hinc D. Bernardus ita monet: *Quicquid illud est, quod offerre paras, MARIÆ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit: Neque enim impotens erat Deus & sine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet: Sed tibi vehiculum voluit prouidere,* &c. *Ideoque modicum istud quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum cura, si non vis sustinere repulsam;* Quid ergo est oratio in cælum directa per MARIAM, nisi *Virga diuina*, quâ mortales quicquid optant id suo arbitrio efficiant? Quamobrem affirmare audet Anselmus, in hunc modum: *Velocior est nonnunquam salus inuocato nomine MARIÆ, quàm inuocato nomine IESV vnici filij Dei; & id quidem non ideo fit, quod ipsa maior sit & potentior: nec enim ipse magnus & potens per eam, sed illa per ipsum* &c. *sed quia filius est iudex omnium, & discernit merita singulorum. Inuocato autem nomine* Matris, *etsi merita inuocantis non mereantur vt exaudiatur, merita tamen*

And. Cret. l. 2. de encòmio de dormitione Virginis

De dormitione Virg. de vita & exitu Deipara.

Serm. de Natiuit. B. Virg.

D. Anselm. l. de excell. Virg. c. 6.

tamen Matris meretur vt exaudiatur. O filij benignitas! O matris authoritas! O peccatoris securitas!

§. 1. *S. Hermanni egestatem pia Mater pecunia inexhausta subleuat.*

SEptennis cùm pro more quoddam D. Virginis templum ingressus est Hermãnus, & per hyemis asperitatem nudis incedentem pedibus videret Mater misericordiæ, nec tamen in gelido corpore deuotionem feruidi cordis refrixisse, apparet ei, & illum ad se aduocans: Cur, inquit, in tanto frigore nudis incedis pedibus? respondet puer: non habeo calceos; & illa (sciebat enim parẽtes pueri magnâ inopiâ laborare) vade ad lapidem illum, & sub eo quatuor denarios inuenies, quibus tibi calceos compares. Paret dictis fide plenus, & inuẽtis denarijs, ad benignam matrem redit lætabundus; cui illa adiecit: Quoties aliquo indigueris: calceis, tabulis, stylis, & alijs eiusmodi rebus; eò recurre, & denarios reperies inopiæ subleuãdæ. Mirum verò est, quod cùm diu res ista pueros alios non latuerit, nihil tamen ibi simile potuerunt vnquam reperire. Quis hæc referre, scribere, credereve præsumeret, nisi paucis ante mortem diebus ipsemet pia calliditate inductus confessus esset? *Surius 7. April.*

§. 2. *De filiolo S. Genouefæ Palatinæ, qui per patrocinium D. Virg. à cerua lactatus est.*

GEnouefa, Ducis Brabantiæ filia, velut altera Susanna suis temporibus pudicitiâ, patiẽtiâ, nec non deuotione erga Dei Genitricem enituit singulari. cuius interuentu à Sifrido, Romani Imperij Palatino, masculam prolem concepit, antequam is ad barbaras nationes cum magno belli apparatu abiret. Abiens, coniugem cum omni dominio defendendam tradidit militi fortissimo Goloni. Sed miles primùm blanditijs, & fictis *Molanus de Natalibus SS. belgij 2. Apr.*

de morte mariti literis; deinde varijs moleſtijs eius pudicitiam exagitauit: nouiſſime redeunti viro omnia proſpera eſſe dixit, præter torum adulterio maculatum. Quare eam cum prole ſubmergẽdam ſuggeſſit. Quod mox maritus irâ percitus fieri decreuit: ſed famuli eam in nemore deſeruerunt, & pro lingua eius ad Golonẽ attulerant linguã cuiuſdam canis. Interim velut altera Agar, cum prole per ſolitudinem vagatur, antra inhabitat, lympha & herbis ſe ſuſtentat: ab aduocata autem ſua, Dei Genitrice multiplicem conſolationem capit; per cuius patrocinium etiam cerua quędã filiolo turgidas mammas exhibuit. Elapſis autem annis ſex, & mẽſibus tribus, maritus inter venandũ in die Epiphaniarum, vxorem cum prole reperit, & ex cicatrice vulneris in Brabãtia accepti, alijſque ſignis & verbis eam cum rugitu agnouit. Noluit autem cum marito congredi, niſi priùs ſponderet ædem ſe Dei genitrici ſacram ædificaturum, à qua tot annos fuiſſet ſeruata. quod celerrimè factum eſt: & conſtructam Hildulpus Epiſcopus cõſecrauit. Superuixit autem (delicata non ferens) in conſueta abſtinentia, vſque ad proximum diem ſecundum Aprilis; cuius anima cælos tranſcendit, corpus autem in prædicto templo eſt reconditum, vbi Deus ob ſuæ matris reuerentiam multa præclara operatur. Ceterum Golo à quatuor indomitis bobus dilaceratus, meritas ſui ſceleris pœnas dedit.

§. 3. *S. Petro Cæleſtino oculus reſtituitur.*

Surius 19. Maij. TRium erat annorum Petrus, cùm præacuto ſtipite in dextro oculo percuſſus, excæcatur. Deſperante autem Medico, mater ab humano ad diuinum confugit Medicum. Igitur de B. Virgine confidens ad quandam eius Eccleſiam puerum defert pernoctans in oratione: & dum maternus

oculus

oculus inter deuota precũ suffragia lacrymatur, oculus filij ipso mane sanus, & absque macula restauratur.

§. 4. *MARIA filium viduæ, quæ ei puerum IESVM pia simplicitate ex vlnis abstulerat, vinculis exsoluit.*

QVædam mulier solatio viri sui destituta, vnicum filium habebat, quem tenerrime diligebat. quadam autem vice filius eius ab inimicis capitur, & in custodia vinculatur. quod illa audiẽs inconsolabiliter flebat, & B. Virginem (cui multùm deuota erat) pro liberatione filij importunis precibus exorabat. Tandem videns quia sic nihil proficeret, ecclesiã, in qua erat sculpta imago B. MARIÆ V. sola intrauit, & coram imagine stans, ipsam sic alloquitur, dicens: Virgo B. pro liberatione filij mei te sæpe rogaui, & adhuc nequaquam matri miseræ subuenisti: tuum pro filio meo imploro patrocinium, & adhuc nullum sentio fructum. Igitur sicut filius meus mihi ablatús est, sic & ego filium tuum tibi auferam, & obsidem pro filio meo in custodia ponam. Et hæc dicens propius accessit, & imaginem pueri, quam Virgo baiulabat, auferens domum abijt, ipsamque in linteo purissimo inuoluit, & in arcam recondens, ipsam claui diligentius obfirmauit; bonum obsidem pro filio suo se habere gaudens, & ipsum diligenter custodiẽs. Et ecce sequenti nocte B. Virgo iuueni apparuit, & ianuam carceris aperiens, inde vt exeat præcepit, eique dixit, Matri tuæ, fili, dices, vt meum mihi reddat filium, ex quo reddidi sibi suum. qui exiens ad matrem venit, & qualiter eum Virgo liberauerit enarrauit. Illa autem plurimùm gaudens, imaginem pueri accepit, & ad ecclesiam vadens, B. MARIÆ reddidit, dicens: Gratias vobis Domina refero, quia

Iacobus de Voragine Arch.ep. Genuensis in festo Natiu. B. V. Raderus Viridarij 2. p. c. 5.

P 2 mihi

mihi meum vnicum filium reddidistis, & nunc vobis filium vestrum reddo, quia meum me recepisse profiteor.

§. 5. *Simili coactione MARIA paruulam à lupo liberat.*

Discipulus de mirac. D. Virg. §. 15. *Raderus 2. p. Viridarij c. 5.*

MAtrona quædam honesta & deuota, summo honore imaginem B. *Virginis* honorabat, salutationes, orationes, multasque venias coram illa faciens. tempore verò quodam cùm filiam paruulam in villam proximam tradidisset, & infantula jam luderet in area, lupus ludentem rapiens, cum ea ad syluam cucurrit: quem quidam cum clamore magno insecuti, sine exceptione puellæ sunt reuersi. ex quibus vnus in castrũ cucurrit, & matri in mensa sedenti raptum filiæ nuncians ait: Domina, lupus comedit filiam vestrã: cui illa turbata nimis respondit: Certè lupus non comedit filiam meam: mox tamen à mensa surrexit, & in multa cordis amaritudine capellam intrans, imaginem Saluatoris de sinu matris euulsit, stansque contra illam cum multis lacrymis in hæc verba prorupit: Domina nunquam rehabebis filium tuum, nisi mihi restituas filiam meam. Mira benignitas, atque humilitas Reginæ cęli, quasi timeret filio suo carere, si mulier non rehaberet filiam, lupo protinus imperauit, & is puellam dimisit. Insecuti itaque plures lupi vestigia, iuxta fruteta deambulantem repererunt, videntes vestigia dentũ lupi in gutture eius, cute superficie tenus incisâ, in testimonium tanti miraculi ad hoc reseruata. tunc filiam ad matrem ducentes, mox vt illam sanam vidit, effecta lętissima ad imaginem cucurrit, & puerum in sinum eius restituens, ait: Quia restituisti filiam meam, & ego restituo tibi filium tuum.

§. 6. *Puer*

§. 6. *Puer ob MARIÆ Virginitatem decantatam à Iudæis iugulatus ex tumulo respondet.*

DVm quidam puer ſcholaris, ſicut FF. Prædicatorum fidiſſima relatione didicimus, in odium Iudęorum per plateas veſperi ſæpe cantaret: *Erubeſcat Iudæus infelix, qui dicit Chriſtum ex Ioſeph ſemine eſſe natum*: Iudęi nocte quadam comprehendentes puerum iugularunt, & in cœmiterio ſub cuiuſdam ſepulchri lapide abſconderunt. Manè cùm mater filium vbique quęrens illac tranſiret, & eiulando clamaret identidem: Fili chariſſime, vbi te perdidi, vbi quæram te? puer ex tumulo ingeminat: *Erubeſcat Iudæus, &c.* Ad cuius vocem ſtupefacti, cùm ex tumulo reſpōſantem animaduerterent, viuum & incolumem ſuſtulerunt. *Cantipratenſ. par. 54 2. in notis.*

§. 7. *MARIA deuoti ſibi pueri Adam ſcabioſum caput curat.*

ADam Sacerdos & Monachus in Lucka monaſterio ordinis noſtri, conſiderans me in huiuſmodi miraculis delectari, ex multa charitate mihi de ſeipſo retulit, quod dicturus ſum. Cùm, inquit, eſſem puer, ita caput habebam ſcabioſum, vt prę fœtore putredinis eius, mecum ſedere, vel legere ſcholares recuſarent. Prima oratio, quam dedici, ſalutatio erat Angelica, adhuc puerulus ſatis eam frequentans. Cùm apud monaſterium Weſtphalię poſitus fuiſſem ad literas, & eundo ad ſcholas ſiue matutinas, quotidie tranſirem per quandam eccleſiam conuentualem ex neceſſitate viæ, ſine intermiſſione ante oratorium in honorem Dei Genitricis dedicatum cum tribus venijs totidem feci ſalutationes. Nocte quadam putans ad matutinas fuiſſe compulſatum, ſurrexi tremens, & cùm veniſſem ad iam dictum monaſterium, eſſetque oratoriū clauſum, tribus vicibus *Cæſarius l. 7. miraculorū c. 24.*

secundum consuetudinē genua flectendo Dominam nostrā Angelico versiculo salutaui. Surgens verò inueni ostiū apertū, & tanta erat in ecclesia claritas, vt fulgori meridiano assimilaretur: quam cùm stupidus intrassem, vidi ante maius altare septem matronas pulcherrimas residentes, vnam in medio, quæ ceteris clarior erat, & sex hinc inde, id est, tres à dextris, & tres à sinistris; media verò me vocans, cùm propiùs accessissem, ait: Bone puer, quare non adhibetur cura capiti tuo? Respondente me: Domina, satis circa me laborauerunt amici mei, sed nihil profecerunt; subiunxit illa: Nosti quę sim? cui cùm dicerem: Non Domina; respondit: Ego sum Mater Christi, & Domina huius oratorij, quia mei memoriam solitus es habere, ego tibi curam adhibeo. Accipe fructus ligni fusilis, & fac tibi ex eo hodie lauari caput tribus vicibus ante Missam, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* statimque curabitur. & dixit Domina nostra Mater Christi: Ad me accede Adam, & feci secundum mandatum eius. flectente me coram eā genua mea, manum suam benedictā super caput meum ponens, ait: Ab hac hora vsque ad diem mortis tuæ non dolebis caput. manè verò cuidam feminæ, quæ me nutriuit, omnia retuli, quæ in vallem proximam descedens, & ostensos fructus colligens, prædicto modo caput meum lauit, statimque conualui; dolorem verò capitis nunquam ab illa hora passus sum, cùm tamen hoc in ordine, satis sit miraculosum.

§. 8. *Infans à patre iugulatus, vitæ restituitur.*

Pelbart. de Themesvvar. ord. Minorū de Obseru. in PomerioB.

IN Mariali magno, & libro Scala cæli, legitur quod quædam Iudæa in partu laborans, mortem tantummodo expectabat. Cùm autem vicinæ mulieres Christianæ eam visitassent, & vidissent eius cruciatus: instabant vt se B. MARIÆ commendaret:

mendaret: quæ prout loqui potuit ait: O Domina MARIA, licet non sim digna rogare te, cùm sim de genere eorum qui occiderunt filium tuũ; tamen audio quod clemẽtia tua se extendit etiam ad peccatores. Si ergo liberabis me, en promitto tibi vnà cum prole baptismum suscipere. & ecce subitò absque dolore peperit filium: & quia tunc vir suus Iudęus agebat in remotis, surrexit mulier, & cum nato filio baptismum suscepit. Tandem reuersus maritus suus cùm hæc audisset, euaginato gladio filium interemit. Tũc mulier cœpit clamare, insurgunt vicini, & Iudæus fugit. & quia ciuitas clausa erat, exire non poterat. verùm cùm locum non haberet refugij, vidit discurrendo per ciuitatem, quod oratorium B. Virginis erat apertum; illuc intrauit, ibiq; cùm expectaret eos, quos sciebat ad capiendum aduenire, & sciret certitudinaliter mortem sibi imminere, videns in altari imaginem B. Virginis, sumptâ fiduciâ cœpit dicere: Heu Domina MARIA, verè magna est misericordia tua, quod me canem pessimum, qui deuoraui filium, permittis stare in domo tua, & in præsentia tua. Audiui quod magna est bonitas tua; fac ergo propter te mecum misericordiam, sicut fecit filius tuus cum Paulo persecutore: nam veraciter credo IESVM Christum ex te natum sine virginitatis amissione; & ipsum fateor Deum verum & hominem in lege nostra promissum, cuius misericordiæ non est numerus. Cumque fleret, venit Curia quęrens ipsum, & ibidem inuentum ligauerunt, & ipse cœpit baptismum petere, dicẽs; Vt cognoscatis quod non propter timorem mortis baptizari requiro, nunc supplico vt me baptizetis, & mox ducatis ad mortem: quod si negare vultis baptismum, IESVM Christum redemptorem mundi accipio in datorem baptismi, & sanguinẽ meum accipio pro aqua. Tunc stupefacti

Virg. l. 12. p. vlt. c. 7. §. 3.

permiserunt illũ baptisari, & sic ad carcerẽ postea duci. Iudæa vxor sua, contemplans filium suum iugulatum, vidit ipsum viuere, & ridere: moxque gaudens audita baptizatione sui mariti, cum filio cucurrit ad Curiam, & ostendit puerum viuentem, sola cicatrice remanente in gutture: & ecce mirãtur oẽs de his gestis: educiturq; Iudęus baptizatus de carcere, moxq; puero illi data est perfecta vox, & in prǽsentia totius populi hoc dicitur protulisse: Mater misericordiarum & totius consolationis, virgo ante partum, virgo in partu, & virgo post partum, mater IESV Christi filij Dei intacta, me in suum seruitorem adoptauit. Tunc omnes laudantes B. Virginem MARIAM, Iudæum baptizatum permiserunt liberum abire, qui seruiens ex corde B. Virgini, multa de eâ contra Iudęorum perfidiam conscripsit, & tandem filius suus crescens, & in bono proficiens, B. Virginis deuotissimus seruus extitit.

Surius 23. Apr. Canisius l. 5. de Deipara c. 28.

§. 9. S. *Adelberto puero sanitas voto nũcupato restituitur.*

ADelbertus Martyr illustris cùm adhuc puer graui morbo, eoque periculoso afficeretur, ipsum ita laborantem parentes Deiparę commẽdarunt, dicentes: Non nobis Domine, non nobis viuat puer iste, sed clericus in Matris Dei honorem portet iugum tuum. Recessit itaque in ictu oculi vis doloris, infantulus ad se redijt sospes in omnibus membris, & ad vitam monasticam se cõtulit. Sic bona Angelorum Imperatrix Augusta, virgo perpetua, splendida stella maris ad Deum portat hominum vota. Hic primus ferè Bohemis, ac deinde Polonis Euangelicam lucem ostendit.

Thomas à Cantipra. l. 1. de Apib. c. 23. parte 3.

§. 10. *B. Virgo procurat paupercula virgini psalterium.*

FIlia fuit viri pauperrimi, & cùm puella nondum septennis miro interiùs feruore spiritûs traheretur, rogauit patrẽ cũ lacrymis, vt sibi psalterium compararet: cui pater: Vnde, inquit, filia,

psalterium comparabo, qui vix tibi quotidie panem lucrari sufficio? mox illa conuersa suppliciter ad matrem Christi orauit, & dixit: O Beata MARIA Mater Christi, da mihi psalterium, quod pater dare non potest, & ero perpetuò ancilla tua. In hac igitur simplicitatis precio perseuerauit illa per annum, & ecce in somnis apparuit ei B. Virgo MARIA ferēs (vt ei videbatur) in manu duo psalteria, & dicens ei: Accipe nunc filia mea ex duob. quodcunq; elegeris. Nec mora, vbi cum maximo tripudio elegit vnum, disparente B. Virg. puella de somnis euigilans, nihil inuenit in manibus suis, & illusam se conquerens à matre Christi, flere cœpit vberrimè. quod vt audiuit pater, arrisit filię, & cōsolans eam: Vade, inquit, tātùm diebus Dominicis & festiuis ad magistram, quæ filias diuitū psalteriū docet, & primò discas legere, & postea B. MARIA tibi psalteriū forsitan procurabit. Mira res! quod vbi puella simpliciter accepit, & ad magistrā quæ diuitū filias docebat, venit, psalteriū inspexit & legit: & sic B. MARIA multo miraculosius promissum suę dignationis impleuit. Quod vt viderūt honestę & diuites matronę parochię, emerūt puellę psalteriū, & subsequenti tēpore, cū eā in Christi seruitio alacrem cernerēt, & deuotam, eidē iuxta ecclesiam cellulam pro reclusorio locauerunt.

§. II. *Puer Rosarium D. Virgini quotidie recitare solitus, è medio mari liberatur.*

SÆuâ tempestate ita mare intumuerat, vt insolita mole ęstus ex alto incitatus oppido superfunderetur: ac nullo discrimine quicquid alluerent fluctus, secum traherent. oppidanis in editiora se recipientibus, imbecillum adolescentulū ad fugam tardiorē infesti fluctus magno impetu allisi, dū reciprocant, abripiunt, longeq; prouehūt à littore: eius casum miserati duo robusti peritiq; natatores, in medias vndas se eijciunt, si forte ali- *Ex lit. Soc. an. 1596. Prouincia Lusit. Collegij Angrēsi.*
quam

quam misero possent opem ferre. sed eum iam fluctuum volumina ingenti æstu longè in scopulosa quædam breuia compulerant, vt non sine certa pernicie vlteriùs contenderent:re igitur infecta ægrè se recipiunt, amissa prorsus spe seruandi pueri, quem à suorum aspectu iam marini vortices subduxerant. sed eum omni humana ope destitutum diuina prouidentia seruauit: subitò enim innoxio decumani fluctûs volumine ad terram eiectus, subducta molliter vndâ in littore incolumis exponitur, magnâ & insperatâ parentum, oppidanorumque lætitia; affirmauitque se Dei beneficio ac diuinæ Matris ope seruatum esse, quod sibi solenne fuerit, quotidie sanctissimæ Virginis Rosarium percurrere.

§. 12. *Puerum D. Virgo, mortem sibi falsò martyrij nomine consciscentem impedit.*

Ex litteris Soc. Prou. Toletanæ Collegij Madridiani. an. 1587.

PAstoriciam vitam adolescētulus quidam agebat sanctissimę Virginis, quam venerari ab infantia instituit, obseruantissimus. castissimę porrò vt placeret, castitatem toto pectore amplecti:non ferre hoc hostis spurcissimus, & inuidere simplicis adolescentuli bono; ergo turpibus eum incendit cogitationibus, acribusque subinde stimulis sanctum animum rapit in diuersa. hac ille labe conscientiæ cùm se existimaret miserrimum, ad oppidum si quando commearet, nixis in templo ad Virginem genibus, lacrymas profundens, eam orabat, vt ne seruulum abijceret suum, neue ope destitutum humana, perire pateretur. sed valescebant in dies solicitudines, progressionem cum ætate facientes. hoc miser precibus intentior, cùm affligaretur aliquando, vt nihil magis, in quadam sylua arboribus densa, hominem videt nescio è quibusnam latibulis emergentem, qui blanda oratione ac subdola causam mœstitiæ requirit, &

paulatim

paulatim exploranti similis, à volente nolente extorquet. Tum ille (dæmonem ex eo agnosceres) nihil esse quod se maceret, si cogitationum illecebræ adrepunt mēti, etiam si intrant, ac diutius morantur per impressa delectationis vestigia: satis esse, si non erūmpant: neque enim cogitado peccatum, sed tātùm perpetrando committi. nihilo magis pacatus Rustici animus, quem amor Virginis ab impuris cogitationibus arcebat. paucis pòst diebus, cùm tentaretur vehementiùs, prope abfuit ab assensu. Tum verò omnis ad consolationem clausa est via, quòd peccatum se putaret admisisse inexpiabile. hisce erat in angustijs: offert se illi vir seuerus ac tristis, pallenti vultu, quasi qui ætatem consumpsisset in studijs literarum. Tum verò causam acute expiscatus ægritudinis, ita exaggerauit illius sceleris culpam, eam vim dixit esse peccati, vt nulla ratione possit absolui. subijciente Rustico (neque enim dum pestis in animo insederat) Quid est, quod aiunt, omni culpæ impetrabilē esse veniam? Crede mihi, respōdet versutus, intelligenti nimirum in his rebus, quarum scientiam & vsu percallui, & lectione voluminum: peccatorum, quibus violari ea putatur, quam tu diligis, si quod est, vnum est remedium. quod? quęrit alter. martyrium. hic factus Rusticus audiēdi cupidior: quod tādem martyrium? Vnum è tribus, ait callidus nocendi, aut si te è præcelsa suspenderis arbore, anathema nobile. aut si aridorū lignorum feceris pyram, atque in eam magno animo inscenderis, multo igne succensam; aut denique si in lacum proximum (& digito intento ostendebat lacum) præcipiti iactu animam extinxeris. Per ignē aut aquam transibis ad palmam martyrij. Remansit Rusticus, post pessimi discessum consiliarij, quàm antea multò incertior. Inter peccati confessionem, quę occursabat animo, & mortis atrocitatem

citatem, quam natura fugiebat, ambiguus pudoris & metûs: tandem vim faciente conscientia, & cupiditate criminis eluendi, detestabile ministeriũ occupat cœcus, aggerit in remotiore sylua, ligna ad concipiendam flammam aptissima, quam cùm subdidisset, in mediam moribundus irrumpit, sed nec accendi potuit ignis, & si forte illo iterum inflammante accensus est, spatio interposito relanguit. & mulier maior humanâ specie, candenti pallâ, semel, iterum, tertiò, ignarum consilij ex igne extraxit. hoc igitur cùm sæpe tẽtasset, fessus, inops consilij, re imperfecta, resedit: obijcit se illi iterum magister sceleris: quærit, ecquid placuerit remedium? illo affirmãte, ésne vsus, inquit? etiam, respondit: sed non successit. quod hac non successit, alterâ aggreditor viâ; excipit dæmon: Illa nimirum non placita erat hostia. iam te in lacum conijce, vt eluatur peccati deformitas; nec fuit difficile persuadere cupienti; ita sunt mortalium animi, eius quod semel stetit, propositi pertinaces. ita properè ad lacum, quærenti aditum, subit, eo die non persolutum Virgini pensum statarum precationũ; abijcit se in genua humiliter, accepto Rosario. quo percurso, cũ e corpore detraxisset lacernam, è pedibus calceos, inuadit martyrium, desilit in lacum. adest iterum mulier, candida veste, & sępius renitentem hominem apertoque ore inhiantem aquis, & in vlteriorẽ gurgitem omni impetu progredientem, superiore apprehẽsum amiculo reponit in sicco. vbi hoc quoq; non processit, abit inde cõturbatus; nec explicat quid facto opus esset: tandem incertus curarum, cùm ad vrbẽ venisset, iniecta est cogitatio, vt ad nos accederet petiturus cõsiliũ ab aliquo sacerdote. Hęc dũ facere aggreditur, animaduertit, ac sacerdotẽ admonuit se proloqui non posse, inserente se dęmone in eius fauces, & vocem strangulante. sed tandem sacris conta-

contacto collo reliquijs, Deo propitio factum est, vt & importunus ille spiritus, & desperatio omnis abscesserit.

§. 13. *Puer curatur à Febri.*

IActabatur puer febri per aliquot menses, quæ ei videbatur mortem allatura. Venit in mentem votum dicandi se misericordiæ matri in eius Sodalitio, idque die ipso nunciati authoris nostræ salutis, statimque mortis periculo, & continuatione febris liberatus est. Neque Dei Genitricis beneficium tacitũ continebant parentes. In quartanam cùm conuersa esset vis morbi, recurrente die sacro inuisenti Virgini Elizabetham, placuit matri memori eius quod tertio ante mense euenisset, puerum adducere in nostrũ sacellum, confessioni faciendæ: fecit, sanatus reuertit: remanserunt tamen puero vires ita attenuatæ, vt se mouere non posset: reliquiæ morbi. Cogitauit religiosa mulier perfectricem eam fore mirãdi operis, quæ fuerat inceptrix; ad montem Rolandini (nomẽ est templi, vbi multa miracula, propter mœnia vrbis) adducendum statuit: igitur equo vectus, ipsamque ingressus ædem scipione vtrimque innixus, audito sacro (res mira, sed vsitata benignitatis Parẽti) relictis scipionibus, vt monumẽtum essent beneficij, neque eorum vltra requirens auxilium, suis pedibus redijt domum, ciuitate cum diuinis laudibus ad spectaculum accurrente.

Bencius de hist. Coll. Dolani Prouinc. Lugdunensis.
Tympius de pramijs Sodalium B. Virg.


§. 14. *Puella à dæmone liberatur.*

REcens est etiam quod à Thoma Moro, laudatissimo viro, vel potius Martyre commemoratur: Puellam quandam Anglicanam & duodenem Rogerij Wentworthi Equitis filiam, cùm à dæmone miris modis discruciaretur, & horrẽdum de se spectaculum cunctis exhiberet, diuinitus admonitam ad D. MARIÆ Ippisuuitchij templum

Thom. Morus l. 1. dial. cap. 16. ex quo Canisius l. 5. de B. Maria c. 22.


plum se contulisse, & coram eiusdam Virginis imagine in conspectu totius populi perfectè & subitò restitutā esse: quę puella hoc miraculo ita commota sit, vt frustra reluctante patre, confestim mundo renunciarit, & Monialium se adiungens societati, in eadem sanctè vitam traduxerit.

Vide aliud 2.p.c.11.§.13.& 3.p.c.1.§.3.12.& 14.



CAPVT V.

VARIA ORBIS LOCA V. MARIÆ PRODIGIIS IN *pueros perpetratis celebria.*



INNVMERA sunt propemodum miracula, quę diuersis in locis à Deipara Virgine patrari cernuntur: verùm non sicut diuersa sunt loca, ita diuersam arguunt patrantis potestatem; nec enim alia est Virgo, quæ Romę à Consolatione nomen accepit, alia quæ ad Drepanitanam Sicilię vrbem magnis claret prodigijs, alia quę apud Bononienses; aut quæ in Mindensi ditione, alia, vel apud Atrebatenses perpetuâ candelâ est illustris: sed eadem prorsus *Mater misericordiæ*, cuius benignitas nullis templis, locis, terminis, temporibus, potest coërceri.

Quæri verò hic posset à curioso rerum indagatore, cur in hac potius D. Virginis basilica, vel huius imaginis contactu & cultu supra mortalem vim effecta contingant? Verùm id, teste August. curiosiùs inuestigandum non est, sed in abdita Dei consilia referendum. Neque tamen (si fas sit aliquid

Aug. epist ad Clerum & pop. Hippon.

aliquid dicere) id adeo ei mirum videri debet, qui apud D. Paulum legerit, non omnibus, morbos à corporibus profligandi factam poteſtatem: hanc enim facit, cui, quando, vbi, quamdiu, qua ratione voluerit, qui fecit mirabilia magna ſolus. idem hoc loco dicendum de varijs vbique gentium MARIÆ domicilijs, vbi Matrem Filius honorat, tum vt iacentium ſpes erigatur, tum vt impia hæreticorum perfidia condemnetur, tum vt MARIÆ honor latiùs increbeſcat. 1. Cor. 12.

Ergo quæ mundi plaga tam abdita, quæ natio tam inculta, vbi nō prodigijs admirandum, templis ſolenne, votis frequentatum Virginis Matris patrocinium exiſtat? ſed id paruulorum exemplis ſelectioribus (immenſum enim eſſet ſingula perſequi) & quę narrationem habeant non iniucundam, comprobemus.

DIVA VIRGO MONTIS-SERRATI.

§. 1. *Mulier nobilis quatuor filios per altiſſimam feneſtram inoffenſos proijcit.*

VAlentia Hiſpaniæ oppidum eſt celeberrimum. Hic femina quædam auri & prolum diues B. Virginem Montis-ſerrati tanto affectu proſequebatur, vt in eius ſacelli vſus neceſſarios magnam quotannis bonorum ſuorum partem diuideret. Porrò vt huius feminæ fides ac deuotio clariùs innoteſceret, ecce repentè tantus domum eius inuaſit ignis, vt illius extinguendi nulla via, nullum tempus ſuppeteret. Illa tot flammarum vndique crepitantium vi cùm ſe circumuallatam conſpiceret, per feneſtram (quà vnicum patebat effugium) ſibi ſuiſque ſalutem quærere decreuit; præcipuè verò Virginis Matris auxilio freta, cuius opem inclamat ardentiſſima prece; quatuor filio- *Ex lib. miraculor. B. Virg. Montis-ferrati §. 17.*

los

los per feneſtram altiſſimam, præcipites dedit, hęc ad ſingulos addens: *Ego te fili, Deo, Virginiquè Montis-ſerrati committo.* Hos eâdem armata prece per præceps ſequuta (mirum dictu) ſe ac filiolos videt inoffenſos: nempe ſuppoſuerat manum ſuam prępotens Virgo, ne colliderentur.

§. 2. *Infans mortuus reuiuiſcit.*

Ex eodem §. 70. *cõtigit anno* 1543. MVlier quædam, ex quo matrimonij vinculis erat alligata, ter abortum fecerat: Cuius mali auertendi cauſa ad ędiculam D. Virg. in Mõte-ſerrato ſacram venit, oratque impenſius, vt quẽ in vtero quartũ geſtaret fętum, felici ederet partu. idque votum per Eccleſiaſten ex ſuggeſtu, populo commẽdari voluit. Domũ reuerſa prolem rurſus non prolẽ parit; hanc obſtetrices in remoto horti loco condũt. Mater mitigatis nonnihil partûs doloribus, afferri ſibi infantem imperat; reſpondent mortuum eſſe; illa non adducitur vt credat, ſe enim illum D. Virgini, antequam pareret commẽdaſſe, quare iterum vrget, & videre infantem flagitat, vel hoc matri non poſſe recuſari: effoſſum igitur infantem matri reſtituunt, quem illa vlnis amplexans totum lacrymis humectat, cælum ipſum pijs queſtibus ac votis fatigat, nec ab oratione deſiſtit, donec (ô mirum) reuiuiſcit infans, vagit, mammarum papillas lactis auidus arripit.

§. 3. *Infans tres dies mortuus mirè ab inferis exit.*

Ex eodem §. 3. FEminæ cuiuſdam filius Montis-ſerrati ædem annua peregrinatione viſere ſolitæ, à nutrice ſua derelictus fortè in puteum ceciderat; eum ſolicita quęrit nutrix, quærit ſolicita mater: inuenit tandem, ſed vitâ ſpoliatum, non ſine acri cordis ſui dolore, eumque (ſi fortè malum celetur marito) in ſecreto extendit cubiculo, ſpe haud dubiâ conceptâ, fore vt à Diua Miſericordię matre

reſuſcite-

resuscitetur. quod ab ipsa votis omnibus contendit totos dies tres, eò solùm tempore dempto, quo maritus domi versabatur; tum enim suarum rerũ satagens, dolorem comprimebat: si quando verò sub prandij tempus rogaretur vbinam esset; respondebat, in patrui sui ædibus eum esse: sed cùm esset præter morem cubiculum obseratum, caussam inquisiuit; fingit illa rursus merces à vicino sibi commissas accepisse, ideo fores obserasse. tertio demum die suspectam habere pueri absentiam: non gustaturum quicquam (accumbebant enim mensę) sacrosanctè affirmare, nisi infantem cernat. Mulier vlteriùs simulare nescia, concidit ad mariti pedes exanimis. aperit rem totam seruus facti conscius: ille sacerdotem acciri protinus iubet, qui puerum terræ mandet; lintea sepulturæ expediri: lubet tamen interea idipsum oculis videre: clauibus ergo ab vxoris latere nondum sibi restitutæ detractis, ostium reserat, & (ô rem admirandam) infantem reperit viuum, incolumem, lecti linteaminibus colludentem. Stupent vicini ad funus iam inuitati, mater ad se rediẽs hæret velitne redire, an rursus excidere sibi. omnes in potentis Virginis laudes exclamant, memores beneficij ad ædem sacram Montis-ferrati contendunt, anathematis loco feretrum appendunt, funeri destinatum, additis alijs muneribus, & publico iureiurando fidem faciunt rei ad posteritatem traducendæ.

§. 4. *Infanti truncata membra restituuntur.*

MVlier alia, Ioanne Troade marito peregre profecto, infantẽ tres mẽses natum in cunis reliquerat tantisper dum aquam ex puteo hausisset: sed breuis illa hora matribus diuturnum erit

Ex eodem §. 252. cõtigit anno 1540. 14. Sept.

documentum. Sus enim immunda domum interim ingreditur, fœdum in modum infantem deformat, nasum ei, labia, ac manuum digitos absumit, totum sanguine suo proluit, & incunabula sua pugnare nescia innoxio tingit cruore: accurrit rediẽs mater, & clamore feram exigit, seipsam nequicquam damnans, quòd infantem solum reliquisset. Succurrit tamen, & nî fecisset, absumptus omnino credi poterat. at quid reliquum est spei! recusat medicus eius curam suscipere: alius viuere eum posse negat. Verùm quod negant medici, hoc opis Diuinæ spes totum promittit, ab arte humanâ mater ad manum medicam potentis Virginis conuertitur, orat etiam atque etiam afflictæ vt misereatur. Vix dixerat; cùm sensim adnascuntur ori labra, fœdos narium meatus honestat nasus, manus digitos trudunt; omnis redit decor.

DIVA VIRGO LAVRETANA.

§. 5. *Puellula à B. Virgine Lauretum adducitur.*

Horatius Turcellin. hist. Laur. li. 2. c. 13. ex Raphaele Riel.

ANno 1507. Sabino cuidam ex pago haud ignobili agri Piceni (Rocham Contradam vocant) filia erat septennis nomine Alexandra, quæ haud longè à pago paternum pascebat gregem: hæc, dum oues pascerentur sub arboribus, venerabunda cęlesti numini supplicare cõsuêrat: itaque diuinitus nondum septennium egressa dicauit se Deo. quo magistro, dum precibus institit Deiparam enixè colens; repentè obtulit se illi cælesti specie Virgo (haud dubiè Dei Mater fuit) quę puellam manu prehensam se sequi iubet. Mira res dictu: triginta millia passuum ab eo loco, ipsamet Cęlitum Regina paruam puellam ad Lauretanam dedu-

deducit ędem: & ingenti perfusam gaudio ex suæ imaginis ac domûs aspectu reducit ad pascua. ibi Alexandram,etiam si quę tandem illa ædes, quæ Virgo esset, ignoraret; tamen ingens eius loci & spectaculi desiderium tenebat. Ergo vt gustata semel Lauretanæ domûs dulcedo subibat animum, flēs precibus vrgere, ac fatigare Sabinum patrem non desinebat,vt ad ædem illam tot luminibus illustrem (neque enim aliter designare nouerat locum) duceret. vbi pulcherrima illa virgo habitaret.eludebat filię postulatum pater,siue pueriliter delirare eam ratus, siue quem tandem locum illa describeret, ignarus. Ceterum haud multo intermisso tempore euenit vt Sabinus cum vniuersa familia Lauretum pergeret. tum verò Alexandra locum agnoscens, gestire, & exultare gaudio, ac versa ad parentem: En pater, inquit, hæc illa est domus quo me pulcherrima illa Virgo candidâ veste amicta deduxerat. huc ego redire, hoc spectaculo iterum frui expetebam. Obstupuit ad hæc pater,& eximiam puellæ erga Deiparam religionem animo reputans, sensit eam B. Virgini esse cordi, vtique cum Dei mater illam ad se à primis annis inusitata quadam ratione pelliceret. Igitur pietatem filiæ fouere non destitit,remque omnem nec ipse tacuit, & Alexandra vbi adoleuit,pijs hominibus sæpe narrauit,qui deinde alijs ac mihi ipsi retulerunt. Alexandra deinde hoc tyrocinio imbuta virginitatem perpetuò coluit, vitamque sanctissimè egit ad annum nonagesimum, Lauretanam virginem quotannis reuisens. Tanta porrò fuit sanctimoniæ fama; vt in oppido Montalbodo Virginum cœnobio Antistita data sit, vbi miraculis etiam, non tantum virtutibus floruit.

§. 6. *Puellula Lauretana è puteo liberatur.*

Idem li. 3. c. 17.

PArua puella ad puteum, qui in ædibus Lauretani Præsidis erat, de more accesserat aquam haustura. Iam situlam fune religatam demiserat, & aquę plenam incautâ festinatione reuocabat, cùm vase degrauante, ipsa vltro in puteum deuoluitur, B. MARIAM inclamans. Vidit fortè de fenestrâ vnus è pręcipuis sacræ domûs ministris cadentem puellam, eique B. Virginis implorauit opem. Protinus ipse cum domesticorum manu decurrit ad puteum. Mirum dictu: illam conspiciunt incolumem, lætamque summæ incubantem aquę: Igitur properè maiorem situlam cum valido fune dimittunt: puellamque quid facto opus sit, monitam extrahere cônituntur. Iamque illa situlę insistens, & funem manibus tenens ad os putei attracta peruenerat, multorumque eam manus petebant, opem laturę: at illa inter tot manus anceps consilij, dimisso perperam fune, nullaq; comprehensâ manu, eodem recidit. cęterum omnibus qui aderant Deiparam inuocantibus, ad aquam peruenit innoxia, etsi multa suberant fragmenta testarum. Itaque ad vltimum illi scalis demissis, segniore, sed tutiore via eam educunt: Narrauit deinde puella, labenti sibi in puteum Virginem eximiâ specie præsto fuisse, cuius manibus exceptam semet innasse aquæ sine vllo prorsus incommodo. Idem quoque sibi denuo cadenti vsu venisse: quippe ipsam B. MARIÆ exceptam manibus super aquas in gremio Diuæ sedisse, quoad scalæ conquisitę, colligatęque demitterentur.

§. 7. *Cæcæ infanti lumen redditum oculorum.*

Ibidem li. 4. c. 29.

ANno 1529. Ioannes Petrus Florentinus ex Anna Bassa, Vercellensi, coniuge sua filiolam genuerat vtroque lumine penitus captam. quâ baptismo

baptiſmo rite luſtratâ, Anna mater Lauretanam Virginem enixè inuocãs, vouet, ſi puellę vnius ſaltem oculi vſus redderetur, eam ab ſe Lauretum primò quoque tempore delatum iri. Id votum B. MARIÆ cordi fuiſſe ſtatim apparuit. Extemplo nulla humana ope infans cæca altero videre oculo cępit. Mater ergo voti haud parum memor, impigrè Lauretum petit, luſcam geſtans filiam ſinu, materiem noui miraculi, non ſolùm veteris teſtem futuram. Quo propiùs Lauretanam accedebat domum, hoc meliùs puella cernebat. itaque poſtquam gratulabunda ſacroſanctam Virginis intrauit cellam (is dies fuit III. Non. Maij, anno huius ſeculi 80.) dextro oculo planè videbat: iamque etiam ſiniſtro videre cœperat; adeo Deus, Deique Parens vota exſuperant piorum.

§. 8. *Puero tranſuerſum os excutitur ex gutture.*

SEquitur aliud in diſpari genere, nõ diſpar fortaſſe miraculũ. Angelo Bernardino ex Æmilia, paruus erat filius, cui inter edendum os (ex carne opinor, id enim non traditur) tranſuerſum hæſit in gutture: adeo quidem pertinaciter, vt nullâ humanâ ope excuti poſſet: & tumorem gutturis conſecuta febricula puerum acriùs vrgebat. Iam puer exiguâ in ſpe trahebat animam, cùm pater chariſſimum filium moribũdum intuens, obortis lacrymis Lauretanam Virginem ſuppliciter implorat: nec mora: puer extuſſito oſſe, diuinitus eminenti periculo eripitur: è veſtigio à patre Lauretum aductus B. MARIÆ ſiſtitur. vbi dum votum exſoluit (vt cumulatum foret beneficium) febriculâ etiam quæ ex morbo erat reliqua, liberatur. *Ibidem.*

DIVA VIRGO HALLENSIS.

§. 9. *Puer diu amissus, & in voragine mortuus repertus, vitam recuperat.*

Lipsius de Virg. Hallensi c. 20. Contigit an. 1427.

CAntipratum locus est in Cameracensi tractu, atque ibidem religiosorum cœtus cum Abbate. Vir inhabitat cui nomen Ioannes Bidaus, atq; illi puer bimulus nomine Martinus. Dies Dominicus erat, & vir cum vxore mane sacris operaturi Christiano more ad templum eunt. Emanent, & alibi apud amicos prãdent: nec nisi à meridie, secundâ horâ domum remeant. statim prolem suam oculis & affectu requirunt (nouimus parentes) non reperiunt. quærunt in vicinia, & ab ipsis vicinis, si quis vidisset? negare omnes, pater percelli, & rogare vt sese in quærendo adiuuent, sicubi fortè puer (nec longè tantillus poterat) aberrasset. Eum reliquum diem illum, & totam noctem quæsitioni donant; addunt diem alterum in vesperam. tum vicini desperantes inuenire, & bona fide alibi perijsse arbitrati, patri valedicunt, & vt idem filiolo faciat suadent. Domum quisque suam redeunt, etiam pater ad mœstam vxorem: eò vterque mœstior, quod frigidissima tunc fortè aura erat, nec tenellus puer sub dio, sicubi esset, posset subsistere. In hoc doloris æstu ad D. Virginem, quæ Hallis colitur, animum & preces pater vertit, & votum peregrinationis addit. statim in somnum soluitur, & viso monetur quærere etiam puerum certò inueniendum: luce orta vicinos iterum adit, & rogat secum eandem operam dare. Haud facilè inducuntur, & irritam, aiunt, spem foues. nonne biduum iam pene quæsiuimus: inuentus esset, si esset. Tamen instantem sequuntur, & omnes agros, dumeta, fossas scrutantur:

tantur: donec sub meridiem ad voraginem aliquam limo,& aquis obsitam ventum.Pater instinctu aliquo interno; &, hîc, ait, perquiramus. Illi negare puerum eò pedes tulisse,quo ægrè,ipsi possent.eunt tamen.Ecce iacentem,& cœno atque aquis obrutum reperiunt. triste spectaculum. nec audent tollere:nam sponte aut casu mortuos tangere, nisi iudice permittente non licet. Ille igitur aduocatur, venit, indulget: puerum deinde ad templum deferunt, mox, vt putabant, terræ dandum.Sed patrem spes non deserit.& D.Virgo excitat,atque internum robur addit. In altari igitur prolem collocat ante ipsam *Diuæ* illius ibi imaginem: & prolapsus in genua,calidis precibus lacrymisque opem poscit. Adstabat turba hominū, ipse Abbas Cantipratanus Nicolaus: & puer (ô mirum!) statim vitam, & vocem recipit, surgit, cum patre domum, cum eodem mox Hallas venit,gratias acturi,& laudes *Diuæ* meritissimò propagaturi.

§. 10. *Puer in Mosa iam mergendus educitur.*

ANno 1408. Huyum oppidum in terra Eburonum super Mosam est:cui medium scindit,& influit,sed ponte lapideo coniunctum.Puer ibi annos 14. natus cùm quatuor æqualibus suis cymbam conscendunt, & solita huic ętati lasciuia in flumen pergunt, ludere, & vagari captantes.Sed miseri in discrimen,& angorem veniunt, venti surgunt, & flumen à pluuia increuerat: iactantur, fluctuant, & tamen adnisi ad ripam appellunt,& quatuor exsiliunt;primus ille quatuordecennis relinquitur, repulsâ, vt fit, pedibus aliorum cymbâ: venti etiam abripiunt, atque adeo cymbam euertunt. Puer in vndis voluitur: pueri compares opem clamant,accurrunt plures,& inter eos trepida mater. Quid faceret? tollit in cælum *Idem c. 15*

 lum

lum oculos; & , *O Dei mater quæ Hallis coleris, matri succurre, ego & filius sospites tibi sistemur: Votum facio.* Dixerat, ecce puer inter ingentes vndas ad pontem abripitur, inter arcus illæsus transit, & ad medium circiter milliare supernatat: quo, nisi cælesti manu subleuante? cuius ductu, longè infra oppidum in pratum deuehitur (nam flumen restagnabat:) & ibi molliter deponitur, ac matri redditur: reddunt & ipsi votum Hallis, lubentes merito, tibi virgo auxiliatrix.

§. II. *Puer fascia strangulatus spiritum & vitam recepit.*

Lips. c. 17 BInchium Hannoniæ oppidum est, aëre sanum, situ amœnum, & vtraque hac dote Reginæ MARIÆ, Caroli V. sorori commendatum: hic mulier pauperrima erat anno 1419. quæ operas locare mercede aliis solita: atque eo quæsticulo sese ac liberos tolerabat; Catharina illi nomen, & habebat infantem in cunis adhuc iacentem, Christophorulum: ita eum reliquit, & ad solennes, vt dixi, operas ipso profesto Paschatis iuit. Post horas aliquot quàm digressa, vicina mulier domum pulsat, nec arctè clausam (quid enim custodiretur in illa inopia?) eam intrat. neminem reperit, sed videt infantem cunis appensum è cingulo aut fascia, quâ illigatus supernè erat. Obstupuit, accedit, mortuum videt, & glacie frigidiorem. scilicet euenerat, vt solus infans volutaret se, aut verteret, & è cunis laberetur pendulus, collo obstricto: clamat, & quiritatur, adueniunt, atque ipsa mater, tristi iam præsagio anxia: quid cum rem videt? collabitur, alterum pene funus. Matronæ (& honestiores iam excitæ erant) atque vnà viri solantur, erigunt, & consecrare infantem Diuæ Hallensi suadent.

Facit ex animo, & verbis conceptis: ecce autem infans rigidus, & tres amplius horas mortuus, animam recipit, & se commouet, oblata in cibum aut potum libat: denique valetud ne integratâ, eum mater concomitante matronâ nobili Scarsiniâ, & aliquot notæ fidei hominibus, Hallas defert, offert, ac voti se absoluit.

§. 12. Puer sepultus reuiuiscit.

Seneffia qui pagus est Brabantiæ Idem c. 19.
Hallis propinquus, nimia mira edisseram.
Olim accidisse, audite, res certissima est,
Firmata scriptis serijs, & testibus,
Firmata item tapete picto, textili,
Quem nunc videre templo in Hallensi licet.
Res sic habet. Matrona nupta, partui
Propinqua languet: mortuam prolem parit.
Amici & agnati, vt solet, mandant humo
Cadauer: abeunt, atque luce posterâ
Matri haud volenti non volentes nunciant.
Sed nunciant; in lacrymas hæc soluitur,
Diemque totum luget: ecce vespere
Videre visa specie honestâ feminam,
Solatij quæ hac lege faceret copiam,
Si vota concepisset Hallensi Deæ.
Nihil morata concipit, dein vocat,
Oratque præsentes suam prolem sibi
Saltem liceret leuiter oculis tangere,
Quam mensibus tot conditam in sinu suo
Mater tulisset. Spernere illi, & dicere
Prolem sepultam & mortuam ante triduum.
Insistit hæc, & precibus iterum quærere,
Negantibusque versa in iram edicere,
Se potionis & cibi expertem fore,
Id donec impetrasset. His victi minis.
Eunt, refodiunt, adferunt, in lectulo

Locant parentis. Illa lumen poscere
Et intueri sedulò: quid fit? puer
Mutat colorem, e pallidoque púnicat,
Mouetq́, vtrumque brachium, & bis ter gemit.
Defertur in sacram ædem, vt vndis abluant
Ex lege sacris: sed sacerdos in mora est:
Astabat aræ, & incruentam victimam
Deo immolabat: immolata iterum tamen
Moratur, & negat puellum viuere.
Hi dicere, ille abnuere; at ecce mox puer
Et spiritum palam, atque aquas emittere.
Ergo ille munus fungitur suum, hi suum,
Domumq́, redeunt: denique à meridie
Sopitus iterum. Christiani iam gregis,
Demoritur infans, cælicamq́, init domum.

§. 13. *Mira de puero item resuscitato, aut sub terris seruato, non sine alijs stupendis.*

Idem c. 21. QVid iam narrabo? quod plura miracula in vno continet, & quod diuinæ benignitatis & potentię fontem totũ manat, atque ostendit. Assurge anime, & style, & maiori quodam ore hoc effer. & vt possim tu Diua manum moue, & mentẽ inspira. S. Hilarij vicus est minus nobilis iuxta Cameracum nobilissimum oppidum. eius incola Stephanus Morelius fuit, cui vxor Firmina; & hęc ei prolem non prolem pęperit, anno 1428. mortua enim erat, & obstetrix quæ partioni interfuerat, ita iudicabant: idque exploratò cùm lauissent, fouissent, igni, experiendæ, vitæ, admouissent. Puer igitur in terra communi & prophana de more sepelitur. & alij quidem curam aut cogitationem eius vnà deponunt, at non mater, cui duplex luctus, & à morte prolis, & à tali morte, quod nondum consors, & particeps diuini baptismi, & lauacri fuisset: itaque plangere & se affligere, & tamẽ spem, vel fiduciam in D. Virgine ponere, eo magis quod

gis quod solita esset annuâ peregrinatione eam colere, & Hallas venire, ac statuam piè casteque venerari: Vota igitur facit, iteratque de die in diem, & contra ordinem rerum vel naturam pugnat, vsque ad diem quintumdecimum à prolis suæ morte, & iam fidentior esse, ac palam affirmare eam viuere: gnaram, certamque se factam ex viso nocturno quod sæpius euenisset. Mulieres denique administras importuna vrget ac propellit ad hortum ire vnà cum patre Stephano, & puerum terrâ iam tot dies conditum contemplari, & arbitrari ecquid eius rei esset. refodiunt tres pedes circiter defossum puerum, terrâ etiam supernè pedibus inculcatâ: vident ipsum & miraculum, pulchellum, viuidum & rosæ instar, quod dicitur, rubentem, nulla nota mortis in corpore, nec noxa quidem, nisi quod maxilla altera terrę aggestu & impressione, attrita leuiter esset. Mirantur trepido gaudio, nec audent tamen tollere: quippe iam diu mortuum; & contra calumniam omnem ad pastorem suum eunt. ille venit: ipse quoque stat attonitus, & signa vitæ palam videt: suadet quoniam in D. Virginis patrocinio puer esset, deferri ad proximum pagum Vertenguelium qui frequentior erat, & ibi ea colebatur, eunt obstetrix, feminæ magna pompa: & quia dies inclinabat, & pagus secundo lapide aberat, prouida mater sacratæ candelæ cereæ partem donat, quæ in laterna præluceret. Mirum hic alterum, cum lento passu irent, vt amat hic sexus, pars illa cerei, cuius modulus sesquipalmis erat, non defecit nec minuit quidem; & perseuerauit ardere ac lucere à sexta vespertina ad lucem sequentis diei sine vlla, vt dixi, diminutione. Mirum tertium. Via anterior quam inibant & petebant, tota illustris instar diei erat, statim ab agmine tenebræ & nox excipiebãt. Iam in propinquo Vertenguelij erãt, & de

Miraculũ 2.

Miraculũ 3.

& de pastore audiunt non esse inibi,sed in arce a-liqua (*Verteinium* ei nomen) cum Præfecto, viro nobili conuiuari. Ergo pater Stephanus cum ædi-tui Sancti Hilarij vxore, quæ comes hæserat, il-luc celeri pede eunt. reperiunt arcem sub tem-pus prandij clausam; pulsant, repulsant: nemo audit,vel admittit. Quid tamen? sponte (quartum miraculum obserua) dum adstant,portula maiori portæ (vt fit in arcibus) inserta, sponte aperitur, dat aditum,ineunt,& ad alteram portam accedũt. Pulsant item & nemine conspecto portula aperi-tur: pergunt ad tertiam, fit idem. Veniunt igitur ignaris omnibus in cœnaculum: Henricus d'Am-manus Præfectus arcis inclamat quis intromisiss-set? & socios, an hostes? immo exsilit,& ianitore conspecto gladiũ educens,in eum ingruit,&,Sce-leste, inquit, vbi fides? ille excusare & deprecari sedulò, se portas omnes clausisse, neque reclu-sisse, & testem filiam Præfecti quæ adfuerat, da-re. Admiratio in locum iræ succedit, & videt imbellem manum, & hostile nihil esse. itaque preces admissi exponunt, & pastorem poscere, vt Vertenguelij talem puerum (rei ordinem breuiter addunt) velit sacro fonte ablutum Chri-sti numeris adscribere. Surgit nouitate hac, & illâ attonitus, & comitantur eum è conuiuio, vi-ri feminæque ad viginti. Ipse Præfectus equum insterni iubet, & conscenso cum quinque comi-tibus eòdem intendit. Vocatâ autem virgine filiâ, portas maiores aperiri illico iubet: frustra, iam sponte omnes reserauerant, aut vt veriùs dicam, Virgo illa mater aperuerat. Ipse signo Crucis i-dentidem se signare,& tamen pergere, donec ad templum cum pastore aduenirent. Ibi puer omni-bus conspicuus,signa vitæ clara mittit,sanguinem stillat è naribus, os aperit, clauditque, idem in oculis,

Miraculũ 4.

Miraculũ 5.

oculis, & denique gemit etiam, ac lacrymatur; & veris quidem grandibusque lacrymis, & quas detergere linteo, & excipere licebat. Ergo baptismum pastor, incoram omnibus (ad septuaginta hominum erant) indulget: & vixit puer quinque horas circiter, in arâ Beatæ Virginis reclinatus; ac mox instar niuis, visus palam liquescere & tabescere, & sic ad mortem ire. terræ igitur ibi sacræ mandatur: & sextum miraculum addam? possum: Firmina mater absens & in lecto, illâ ipsâ horâ, sensit sibi mammas arescere, antea lactantes, & quas nullâ arte donec puer baptismo tinctus, & verè mortuus esset (vide sympathiam) potuit arefacere aut exsiccare. Huic rei duo pagi, & tot homines testes: ô rei mirandæ? & quid omnis calumnia vel impudentia hęc contra possit. Ego verò te Diua veneror supplex, atque inuoco; quæ puerum à morte ad vitam donec in veram vitam surgeret, reduxisti: nos quoque benigna intuere, & effice, vt momentaneâ hac vitâ functi ad illam æternam, te duce, veniamus: quod per illum, quem genuisti, te, quæ genuisti, precamur, ô Diua Diuarum. Miraculū 6.

DIVA VIRGO TVNGRENSIS.

§. 14. *Amissus in sylvis puer in brachia matris conijcitur.*

TVngris (pagus est in Hannonia Seruiæ vicinus, ad quem anno 1080. Deiparæ statua manibus Angelorum est delata, miraculis etiam num clarus (contigit ann. 1336. quod commemorabo. Puer (Ioanni nomen erat) annorum non amplius *Robert. de Haultport. de miraculis D. V. Tungrensis c. 24.*

amplius quinque ex pago Baudourienſi cum fratre duodenni & ſorore nouenni in ſyluam ad legenda fraga profectus, ijs domum reuerſis relictus erat, quem vt abeſſe vidit veſpere mater, dolere, lacrymari, eiulare, totam noctem ſuſque deque currere; totos dies ſeptem noctesque omnia luſtrare: tandem de itinere ad S. Mariam Tungrenſem ſuſcipiendo incidit cogitatio: Nec diu cunctata vouet iter, diu quæſitum filiolum vouet, nuncupato voto; albis induta Tungrenſem ædem vix præ nimiâ, quæ aderat, turbâ, ingreſſa, vota ſua ſacerdoti explicat; apud quem cùm peccatorum ſuorum ſarcinam depoſuiſſet, lacrymas precibus miſcens, in vota ardens incumbit, ſupplicat MARIÆ Matri amiſſum vt tãdem detur filiolũ inuenire; meminerit nunc etiã atq; etiam eius doloris, quẽ triduo experta ſit aliquãdo, dilectiſſimũ filiũ IESVM veſtigãs, ſeptimum iam agi huius doloris diem: non ignara mali, miſeræ ſuccurrat matri. Et ecce loquenti filiolus in vlnas obijcitur: ſtupet illa eo viſo, auditoque, ſtupetque adeò, vt in defectionem incidens, tres horas & amplius velut exanimis iacuerit: quâ re animaduerſâ eius loci Paſtor cum tota multitudine benignæ Matri ſupplicat vt mulierem ſibi reddere dignetur; recuperati filij gaudium ſincerum eſſe ſinat; velitque. Repentè ergo ſibi reſtituta; totâ cum plebe prorumpit in laudes omnipotentis Dei, & Deiparæ:

§. 15. *Alter in bullienti lebete coctus vitâ donatur.*

Ibidem. HÆc res, quam dixi, alteri miraculo occaſiõnẽ dedit. Mulier alia in pago Tungrenſi tam læto præſentis miraculi rumore domo ſua euocata, eiuſque videndi cupida infantem trimeſtrem quem fortè iuxta focum lauabat fouebatque; in puluinar deponit, properat ad templum, ibique paulo

paulo diutius morata eſt: memor tandem infantis ſui ante focum relicti, regreditur domum, & reperit eum non iam ſuper puluinar, ſed in cacabo feruentis aquæ pleno. Hic velut furore ſuccenſa mulier templum repetit, vindictam ſumptura de priori illa muliere, quaſi necis infantis ſui fuiſſet cauſa, iamque acribus eam verbis inſectabatur, ſed cùm immodicum dolorem mitigaſſet Paſtor, ad infantem pariter pergentes, coctum ex aqua feruenti educunt, prodigioſę Virginis aræ imponunt, obſecrant impenſiùs, & infantiles artus repentè ſuus reuiſit ſpiritus, meliori calore vegetãs corpuſculum, meliori colore purpurans genas. Vixit is deinde 46. annos fuitque in S. Brixij paſtor Tornaci.

§. 16. *Puer graue infortunium paſſus fit repente ſanus.*

ANno ſupra Milleſimum quadringenteſimo decimoquarto, Ioannes, puerulus biennis, filius Ioannis Biermerani, Walincuriæ incolæ, incidit in falcem, quæ dextram illi maxillam cum capite vſque ad ſiniſtri oculi ſupercilium pertuſo oculo medio ſcidit. Cõcreditus eſt tribus Medicis curandus, ſed fruſtra: nam ſuâ operâ, & induſtriâ nihil præſtare valentes, eum deſeruerũt tanquam certæ morti deſtinatum. Quod vt parentes viderunt, puerulum B. Virgini Tungrenſi deuouerunt, mox cereum deferunt, infantem offerunt, & ſtatim ſanitati redditus eſt. *Idem c. 2.*

DIVA VIRGO SERVIENSIS.

§. 17. *Puer periculoſo gutturis incommodo liberatur.*

ANno 1584. 28. Iulij Alexander Alanus nouennis filius vnicus Illuſtriſſimi Domini *Ex miraculis ſelectis à Re-*

Iusto Haut port. c. 42. à Reuerendissimo Archiep. Cameracensi approbatis

Emanuelis, Marchionis de Renty Domini Seruicſis, ſummi Hannoniæ Pręfecti, Equitis aurei Velleris *&c.* in altũ guttur demiſit pręacutam orichalci crepitantis partem, vernaculè vocant, *or cliccant*; adeo vt ſuffocandus crederetur, nec vllum ſuppetebat remedium: nam digito in os inſerto tantum abeſt vt educi malum poſſet, quin potiùs ſenſim reſpirandi vis magis minuebatur, & viam anhelitui pręcludebat. Ergo ad extremum Illuſtriſſima Domina Anna de Reneſſe mater eius, magnâ de Virgine Deiparâ fide conceptâ, donaria decreuit Seruiam per famulum deferenda, quæ antequam traderet, puero oſculanda præbebat. Et (mirum dictu) extemplò funeſtam illam, orichalci partem eijcit, clamores comprimit, itaque ſe habet, quaſi nihil ei inſoliti contigiſſet. Non immemor beneficij parens vterque cum auiâ paulò pòſt ad ſacrã ædem puerum adduxerunt, magnâ animi demiſſione Deo, ac miſericordię Matri gratias relaturi.

§. 18. *Infanti multis diebus ſepulto vita reſtituitur.*

Ex miraculis ijſdem.

ANnò 1582. Elizabethę, Ioannis Ferrin coniugis fœtus, quòd mortuus ex aluo maternâ prodijſſet, in remoto horti margine defoſſus fuerat: iamque dies ſeptimus ſupra decimum agebatur; cùm mater dolore mitigato id vnum nouâ ſpe conceptâ extorſit à marito, vt infantis corpuſculum effoderet, hac lege vt ſi computruiſſet, relinqueretur, ſin perſtitiſſet integrum, aſſumeretur; forte ſpe haud dubiâ, vt B. Virgo vitam ei reſtituat. Paret ille vxoris importunis precibus, incorruptum reperit, affertque ad matrem. Hæc iter ad Diuam Seruienſem ingreditur, cui à fonte nomen eſt, à fonte, inquam, vitę, qui enim eam inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Vix ibi depoſitus infans iacuerat, cùm roſeo co-

sco colore in genis tingi, calere, respirare, aliaque vitæ signa præbere. baptizatur ergo summâ cum omnium lætitiâ, perstititque viuido colore formosus, donec Seruiensi ex ditione efferretur: tum enim sensim pallescere, prorsus vt quo longiùs à vitæ fonte abire, hoc propiùs à morte abesse videretur; tandem inter mortales esse desijt Cælitibus conuicturus.

§. 19. *Puer miraculosè per B. Virginem præseruatur à periculo mortis.*

ANno 1584. Martij die 25. in pago Seburcensi, in quo requiescit corpus S. Drogonis, Antonius Cordarius puer annos decem natus, vi torrentis inundantis abreptus est, ac per triplicem cataractam impetuose deuolutus; matre interim totâ gemebundâ semper eum prosequēte, quousque ipsa deuouens B. Virgini Seruiensi filium suum peregrinum, eum vndosis extraxit aquis versus pagum Seburquianum. tum autē infans in hæc verba exclamare cœpit: Heu, quantus me timor inuasit? affirmans nihilominus quandam Dominam vultu, habituque candidam semper inter medias vndas suum tenuisse, ac sustentasse caput. *Idem c. 37.*

§. 20. *Heroinâ Roysiniâ calculo laborantem filium B. Virgini deuouente, subito puerulus calculum eijcit.*

HErois Roysinia videns Chirurgum iam in eo esse, vt filio suo calculum exscinderet, pietate mota, subducit illum è manibus Chirurgi, verita grauiores cruciatus, vel mortem charissimi filij, deuouetque illum B. Virgini Seruiensi peregrinum, fusaque precatione feruentissimâ puerulus calculum sponte sua eijcit, ad plenum conualescens. Visuntur etiamnum Matris, & filij statuæ in ædiculâ. *Idem c. 38.*

DIVA VIRGO CAMBERONENSIS.

§. 21. *Puer ex medijs vndarum vorticibus eripitur.*

Robert. de Haultport. c.16. miraculorum.

CIrca annum 1326. vir quidam ab encœnijs cum alio quopiam amico ſuo domum rediens, vbi ad pontem Boiſſutenſem peruentum fuit, lubens alteri roganti permiſit infantem ſuum geſtare, quod equo meliore inſtructus, fidentior ſibi videretur. Verùm paulò pòſt equus velut effrenis, furenſque in medios ſe dat vortices,quà torrens ferebatur rapidiùs:ſorbetur vir ille gurgite,& ſubmerſum videns alter,filiolumque ſuum videns inuolutum, incurrit in alueum fluminis quà potuit, implorat auxilium D. Virginis Camberonenſis, cuius opem aliquando ipſe in ſimuli caſu fuiſſet expertus: & ſtatim infans ſummo ſecurus incubuit æquori, & ad ripam leni agmine appellitur: verùm reſtabat in medijs hærens fluctibus pater, qui victus aquâ torrente, ignarus conſilij mortem certam expectabat: iterum tamen ad Matrem miſericordiæ conuertit preces; & ecce eques ignotus, rapidos fluctus ſecat, eumque ſaluum ex præſenti mortis periculo liberauit.

§. 22. *Aliud de reuocato ad vitam.*

Idem c. 15

IOannis Huetij vxor Camberonenſis,dum obſtetrix accerſitur, infantem peperit mortuum: congeminant vicinæ preces, obſecrant Virginē Camberonenſem infelici vt infanti vitam reſtituat. Nec vanæ fuere preces: ſiquidem in membra redijt animus ſacri lauacri latice mundādus. Inſuper reuerſâ obſtetrice,alterum edidit puerpera felice partu, qui ſummâ cum cæremoniarum pompâ,& gratiarum actione eſt baptizatus.

§. 23. Ob

§. 23. *Ob transmissum ad guttur lapillum persicum periclitans, liberatur.*

ANno supra millesimum quadringentesimo duodecimo, filius Ioannis Fenaij, Camberonæ S. Vincentij agens, lapillum persicũ ad guttur vsque transmiserat, quem cùm per quinque horarum spatium, nec extrahere, nec violento spiritu reijcere posset, nihil magis imminebat quàm præsens mortis periculum, vt scilicet suffocaretur. Parentes illum deuouerunt V. Matri peregrinum, cum eoque Camberonam venerunt; sed vt terram ditionis & iurisdictionis Abbatię attigerunt, puer & lapillum suapte sponte reiecit, & ad plenum conualuit. *Idem c. 20*

§. 24. *Puella veneficijs infestata ab ijsdem miraculo stupendo eximitur.*

ANno 1520. Puella quædam annorum 14. ex vrbe Atho, dũ pedibus terit inuolutos quosdam lapillos humi iacentes, veneficij vim sensit. Parentes ignari vnde hoc filię accidisset, ad supremam cælestẽque medicinam confugerunt, venerũtque penultimo die Aprilis (qui proximus processionem sequebatur) supplicatum B. Virgini in sua ædicula Camberonensi, pro illius salute: inde reuersi deprehendunt puellam ex ore eiecisse tres aut quatuor (vt fert regestum) floccellos crinium qui amoris nodis (sic vulgò dicitur) obstricti erant: tandem ad numerum viginti septem euomit. Dumque postremum emittit, brachiorum & tibiarum vsu destituitur, atque adeo omnium membrorum. inde factum est, vt parentes Camberonam rursum venirent, magna pietate & feruore, Virginis misericordiam implorantes; nec vanæ fuerunt preces. nam puella membrorum vsum recuperauit, ab omni veneficio libera: quę & ipsa summâ cum alacritate ad B. V. ędiculam profecta *Idem c. 50*

fecta gratias egit, seque ob sanitatem redditam quotannis peregrinam deuouit. quod autem eiecerat, coram venerabili D. Virginis imagine suspendit, vbi etiamnum hodie conspicitur.

DIVA VIRGO CARNOTENSIS.

§. 25. *Infans tetri spiritus infestatione liberatur.*

Sebastian. Roullard. in Parthenica hist. Virg. Carnotensis 1. p. c. 9.

IN pago Bercherensi, altero ab orbe Carnotensi lapide, mulieri cuidam erant filiæ duæ: grandiusculæ commiserat alteram in cunis adhuc iacentem, vixque foras extulerat pedem, cùm ecce sistit se in medio domus terrificum humanâ specie monstrum, oculorũ orbes rotans, erigens hirtam cęsariem, & toto ore gestuque iras spirans immanes. Sibi penè excidit hoc visõ puella: quà potuit tamen, & genibus tremore fatiscentibus, ægrè prodijt in plateam, accurrunt properi vicini, anhelam mirantur, mutam quippe reddiderat timor. sed matre reuersa prorupit in vocem pauoris indicem. Mater rata maligni spiritus esse tericula; O, inclamat, *Virgo Carnotensis*, serua mihi filiolam: Ingrediensque pauido licet incessu densum videt fumum, cunas semi-vstas, cum fascijs, infantem verò intactam. O gaudium! ô potens inuocatæ MARIÆ subsidium! meritò tibi *Diua Carnotensis* filiolam lætabunda mater adduxit, tibi has ipsas in anathema cunas suspendit.

DIVA VIRGO EXHILARATRIX. VVLGO DE LIESSE.

§. 26. *Puer mortuus antequam natus, vitâ donatur, ac baptizatur.*

F. Iacobus Bosius §. 5 miraculorum.

ANno supra millesimum quingẽtesimo quinquagesimo quarto, insigne hoc quod sequitur mi-

tur miraculum Landuui cõtigit. Siquidem mulier quædam vterum gestans, cùm partus tempore adueniente quatuor dierum spatio fœtum in lucem edere non posset, omnibus medijs, ac remedijs humanis vndequaque diligenter à se exploratis, cùm nullum sui mali leuamen experiretur, propotereaque maximis premeretur angustijs, ac doloribus, confestim postea ad sacratissimam Virginem *Mariam Exhilaratricem*, tanquam extremum mali sui perfugium, recurrit, seque sacratæ eius ædiculæ peregrinam deuouit. Quo facto mulier subitò à puerperij acutissimis doloribus, & pressuris euasit libera: Verùm puero in hunc modum nato nullum vitæ vestigium elucebat, sicque exanimis quatuor horarum spatio infans permansit. Quod mater conspiciens, flexis genibus, iunctisque manibus, ac eisdem in cælum subleuatis, Dei matrem orauit, quatenus precibus suis filio suo vitam, & baptismi gratiam impetrare dignaretur, & in tanti beneficij gratam memoriam, sacrum solenne coram imagine B. *Mariæ Exhilaratricis* decantari curaret, simulque in honorem SS. Trinitatis cereum trium pondo offerret. Hac suâ oratione completâ (ô misericordia, & potentia Dei, ac Matris eius immensa!) puer motibus corporis incœpit vitæ signa certa prębere, sicque postmodum meruit baptismi gratiam salutariter recipere.

§. 27. *Mulier sterilis parit prolem, eaq; mortua reuocatur ad vitam.*

MErcator quidam in Burgũdiæ partibus erat, qui nullam ex vxore prolem susceperat, nec suscipere poterat: ex quo factum est, vt seipsum B. Virgini *Exhilaratrici* deuouerit peregrinum, ædiculam eius se visitaturum promittens, casu quo precibus eius, voti sui compos efficeretur. Voto facto, vxor eius, anno nondum euoluto, ge- *Idem §. 3.*

ſtauit vterum. Puerperij autem tempore imminẽte, vno ſcilicet menſe circiter ante dictus mercator dictum votum implere geſtiens, ad iter peregrinationis ergo verſus ſacram ædem B.M. *Exhilaratricis* ſe accinxit. Verùm latronibus ac prędonibus ex inopinato impetum in ipſum facientibus, eundem in viâ ſpoliauerunt, omniaque ei diripuerunt, ad arborem eum poſtea alligantes, qui duobus aut tribus diebus fixus adhæſit, à quâ tandem per quandam iuuenculam liberatus eſt pijs à ſe Beatę *Mariæ Exhilaratrici* effuſis precibus. Interea temporis, vxor eius filium ſpecie formaque decorum enixa eſt: ſed diebus quindecim pòſt, à pueri in mundum hunc natiuitate, matre balneum, vt ſe lauaret, ingreſsâ, ibidemque ipsâ obdormiſcente, puer quem manibus tenebat, ipſius incuriâ inter aquas collapſus eſt, & exinde etiam aquis prędocatus. Huiuſce lamentabilis euentus Prętor commonefactus, mortis capitalem ſententiam in ipſam protulit. Verùm maritus ſoluto peregrinationis voto, ad propria rediens, quarto die à morte pueri, qui iam ſepulturæ beneficio, terræ viſceribus erat demandatus; cùm ſubintellexiſſet contra vxorem ſuam mortis latam eſſe ſententiam, quam & illo ipſo tempore executioni mandari conſpiciebat, feſtinus ad Prętorem tranſuolauit, dixitque ei ſe vxorem conuentam cupere; quod & illi permiſſum eſt. Cumque ex eâdem intellexiſſet puerum eximiæ fuiſſe pulchritudinis, Prætorem rogauit, vt in eius præſentiâ conſpiciẽdus ſiſteretur. Quamuis autem (vt dictũ eſt) à quatuor nunc diebus inhumatus foret, adeo nihilominus importunis precibus apud Prætorem egit, vt eum è terrâ effodi, ac in Prętoris præſentia deportari impetrauerit. Quo facto (mirabile dictu) corpus emortuum pueri, balſami odorem ſpirare videbatur. Tunc pater videns filium mortuum, adeo

adeo venusta facie esse ac rubicunda, in genua piè corruens, adeo instanter ac sensibiliter *B. Mariam Exhilaratricem* inuocauit, vt ab omnibus quid diceret, intelligeretur, factaque ardenti prece, extemplo puer qui antea iacuerat exanimis, complures voces & suspiria edidit in Pretoris, ac totius magistratus, præsentia. quod iudicem permouit vt mulierem cum marito suo libertate donaret.

DIVA VIRGO MOLISMENSIS.

§. 28. *Infans cunis incendio crematis, ludibundus inuenitur.*

EXtruxerat ædem sacram Robertus Abbas Molismensis in honorem B. V. MARIÆ (cui à primæuâ ætate se totum dediderat, imo quē ipsa sibi desponsauerat dum adhuc vteri materni clauderetur angustijs) in quâ post mortem est honorificè tumulatus. Hic plurima edidit Deus miracula, precibus suæ Matris & B. Roberti meritis, adeo vt *Diua Virgo Molismensis* miraculorum famâ celebris admodum esset. Duo ad rem nostram commemorabo. Vir quidam in villâ quę Nouallames: dicitur, cum vxore sua negotijs externis occupatus, domo sua obserata, solum reliquit infantulum, in cunis dormientem. Interea ignis correptâ materiâ paulatim increscens, in flāmas sese iam foras diffundit: cumque in tecti iam superficie debaccharetur, accurrit populus illi periculo remedium allaturus; sed frustra id fuit, flammis aditum in ædes prohibentibus. accurrunt etiam parentes, pueri nomen crebrò appellantes, tundunt pectora, lacerant capillos, prę amore chari pignoris non sentiunt conflagrantes ędes, quarum dispendium, eius saluti posthabebant. Mater hęc sę-

Surius 29. April. in vita S. Roberti.

pius iterat: *Esto clypeus à facie ignis deuorantis Domina Molismensis*. Demum aduolat ad puerum vterque parens: rogant Deum, vt vel cineres flammis absumpti pueri liceat inuenire. O rem planè stupendam! inueniunt infantulum flammis aridentem, & cunabulis simul cum pannis in cineres redactis, in solum puerum sæuire nescit incendium. Miretur totus orbis miraculum fornacis Babylonicæ renouatum.

§. 29. *Infantem abreptum lupus referre cogitur.*

Ibidem. INter eos qui miraculorum famâ vndique exciti confluebant ad D. V. Molismensem, quædam paupercula mulier morbo laborans caduco venire constituit, auxilium à Matre Domini & B. Roberto eius famulo quæsitura. assumptis igitur duobus puerulis, quorum alter pendebat ad eius vbera, alter verò gressu debili matris vestigia sequebatur, iter prosequitur destinatum. Inclinante autem iam die, venit ad Monasterium Quinceij, hospitium mendicans à monachis. Sed quia illorum canon intra fines Monasterij sexum muliebrem non admittit, compulsa est misera mulier, inde recedens, in nemore pernoctare. Vbi sanè casu fortuito focum reperit, quem è sopitis cineribus rursus excitans, cum duobus puerulis illic mansit: mediâ autem nocte lupus aduenit, & cum mulier ex vnâ parte ignis sederet, crudelis bestia in altera recubauit. Quo viso mulier, fronti suę signum crucis imprimens, se, & pueros suos Deo & B. V. MARIÆ & B. Roberto deuotissimè commendauit. Interea illam suus inuasit morbus, & dum corpus ceu exanime palpitat, lupus quasi de industriâ expectasset, minorem puerum abripiens aufugit. Morbo autem illo se remittente, femina tanquam à morte resurgens, inter brachia suum quęrit infantulum, quem paulò ante tenuerat, nec

alibi

alibi ſe reliquiſſe ſciebat. Lætabatur ſe illo morbi dolore liberatam, ſed ecce ſuccedit dolor illi acerbior, quando maiorem filium interrogans de minori, caſum planè miſerabilē cognoſcit. Quid faceret miſera mulier, aut quo ſe verteret, neſciebat. ſed inter lacrymas, & eiulatus hæc ſubinde repetebat, Redde, redde depoſitum beatiſſima MARIA, redde depoſitum Pater Moliſmenſis. Mira res, ecce bellua, cui proprium eſt nō parcere, ſed vorare, ex ſylua deferens puerum ore innoxio, cum matri ſuæ reddit incolumem. Tunc illa conceptum mœrorem ſubſequenti lætitiâ profligans, cœptæ peregrinationis iter proſequitur, & in multorum præſentia rei ſeriem enarrat. Porrò in dorſo pueri dentium relicta veſtigia, eius verbis fidem conciliabant.

DIVA VIRGO ASPRICOLLIS.

§. 30. *Puella claudicans, correcta.*

ARſchoti erat MARIA Leukena Franciſci & Catharinæ filia, decem admodū annos nata. Cōtractio huic in tibia, & pede facta eſt dextro, & vel tres digitos minuit ab altero. Minuit etiā craſſitie, cœpitq; marceſſere & tabere. Tres annos ita fuit difficili, aut nullo inceſſu: nec medicina ſubuenit. Mater excita miraculis ad Diuam eam ducit, & in equo ventum ad Demeram propinquum colli flumen. Sed ibi ſalebræ, lamæ, & vligines erant infida equiti: & filia deſcendit pedibus innixa, & identidem lapſabunda, ægrè quidem tamen eò peruenit: funduntur preces, ſtatim malum mitius, & vigor tibiæ redditur, pedibuſque ſuis domum ex facili redit. Ipſa mox tibia par, & æqualis vndique concinnatur craſſa longa, vt ante noxam illam fuit. Verbo, nullum eius vltra veſtigium. *Lipſius c. 6 de Diua Aſpricol.*

§. 31. *Stru-*

§. 31. *Strumosa & vlcerosa mirificè puella sanatur.*

Idem c.17. LOuanij Walterus Gillonius agit, qui vitreas ex opificio concinnat, vir sanè bonus, & mihi quoque ab hac operâ notus, Is filiam tredecennem habebat, quæ triennio ante infestari strumis multisque vlceribus cœpit, nec in vna corporis parte: caput, brachia, manus, femora, tibiæ, pedes infici: sed caput maximè, atque ibi genę, oculi, os ipsum & aures obsideri, intumescere, sic vt non palpebras diducere, vix labia aperire, & spiritum emittere posset. Interim & disrumpi alibi vlcera, & tetro odore adstantes fugare. Anxius angor parentum, atque eius: & remedia doctè & solicitè applicita non iuuant. Tres vt dixi sic annos affecta iacuit: Verè iacuit: nam ingredi inualida iam erat. Ecce audit de benefica ista Diua; & parentes rogat, permittere illuc iter, &, si commodum esset, comitari. Annuunt, & pater vir validus: vel humeris te meis filia, inquit, gestabo. Hoc illa pietatem deprecari, &, Quinimmo pedes pater, ibo, & Diua conantem iuuabit. Certè iuuit: iuerunt enim cum eis & alij vicini, filiam miserantes: quę fessa & languida, tardo gradu ad votiuum tum locum venit. Precantur ibi omnes calide, domum redeunt, & in via puella animo alacrior esse, & corpore agilior, cantare etiam, quasi veterum malorum sana, aut certè oblita. cœnat domi, dormit: mane ignara matre surgit, ipsa se ornat, & vestit (diu non factum) descendit & interulam linteam parentibus ostendit mundam, & nullo pure attaminatam: addit, dolorem omnem sibi detersum. Mirari parentes, & nondum credere. explorant linteam, conspiciunt corpusculum, vident omnia vlcera coiuisse, immo vix cicatrices aut vestigia comparere. tum seriò læti grates Diuę ac-

uę acclamant : atque adeo mater eodem vespere, certa sanitatis, inter sanas proles eam in loco deponit.

DIVA VIRGO SALVTIFERA.

VVLGO NOSTRE DAME de Guarison.

§. 32. *Mutus ab ortu infans linguæ vsum recipit.*

INter alia quæ eo in loco contigerunt miracula; Puerum quendam Hortensem (locus est Tarbio vicinus) mutum à primo ortu, statim ac parentes nuncupato voto B. Virgini Salutiferæ deuouerunt, & pater coram præpotentis Virginis imagine, cereum infantem suo, tum mole, tum pondere ęqualem obtulit, puer redeuntem à suscepta peregrinatione patrem prior compellauit, & deinceps nullo linguę impedimẽto laborauit.

Ex lib. miraculorum istbic factorum. Vide huius loci originem p. 2. c. 33. §. 10.

§. 33. *Puella longo fluminis allapsu iucundissimè ad ripam defertur.*

ANno 1605. Petrina Tayan d'Aruensis, decem aut 12. annos nata, cùm fortè Gersium fluuium, tum multis pluuiarum cataclysmis exundantem furentemque traijceret, vi tempestatis acta in medios abripitur vndarum vortices, fuissetque haud dubiè de eius vita conclamatum, nisi hos inter fluctus, Salutiferam Virginem iterumque, iterumque inclamasset: adfuit illa (vt nusquam abest) eiusque ope puella, postquã quingentorum ferè passuum aquas tranasset, ripam attigit incolumis. Ea ipsa deinde adijciebat, volupe sibi fuisse tam iucundum fluminis allapsum experiri.

Ex eodem.

DIVA

DIVA VIRGO IN ARENA PROPE DITTELBACH.

§. 34. *Raptum puerum lupus intactum dimittit.*

Io. Trithemius li. 2. miracul. 2.

IN villa Bibergawe fuit homo ruricola, nomine Richard. Schilder, qui habebat inter alios puerulũ annorũ ferme quinque. is anno Dom. Natiu. 1506. mensis Iulij 23. quæ fuit in festo S. Martyris Christi Appollinaris, villam egressus, puerili simplicitate cum falce, vt viderat ab alijs gramina gestiebat euellere. & ecce lupus inter sepes latitans cum puerulum in agro conspiceret solum, ex insidijs prorumpens, famelicus illum rapuit, & cum prædâ, ad remotiora currere cœpit. Res patri nunciata innotuit confestim, quia domus agello proxima fuit, qui domicilium egressus, lupum cum puero currentem à longe conspicere quidem potuit, sed reuocare prædam in eius arbitrio non fuit. Vnde nimium turbatus animo, cùm omne auxilium deficeret humanum, se totum conuertit ad Diuinum. Flexis igitur in terram genibus, sanctam Dei Matrem cum lacrymis inuocauit dicens. O sancta MARIA Mater Domini, redde mihi puerum illæsum, & ego sanctam imaginem tuam in Arena prope Dittelbach, quâ potero deuotione, adibo, & memoriam tuam precibus simul, & oblationibus honorabo. Mira res. Mox vt preces homo compleuit, puerum lupus dimittens ab ore in terram, procul inde aufugit. Pater autem videns à remoto lupum fugientem, accessit ad puerum, & inueniens eum sanum, & incolumem, Dominæ nostræ gratias egit, & votum suum lætus impleuit.

§. 35. *Puer cultro transfixus à morte præseruatur.*

ANno insequenti fuit homo quidam in villâ Leymach, cui nomen Leonardus Spor. Hic puerum habebat annorum quinque, more puerorum die quadam cultellum in manu tenentem, & cum eo nescio quid gestientem. Verùm vbi cultrum incautiùs manu ferebat, puer ipse in terrã cecidit, & semetipsum circa orificium grauiter, & nimis profunde vulnerauit: quod vbi mater vẽtre iam grauida vidisset, clamare cœpit in tantum, quod tota vicinitas territa conuenit, qui puerum miserabiliter iacentem intuentes, Matrem Domini summâ cum deuotione inuocabant, & pro eius salute peregrinationem cum oblatione in Dittelbach promiserunt. Mater verò pueri mœrore simul, & perturbatione plena; quid vicini loquerentur non aduertens, ad iacentem puerum accessit, & cultrum de eius corpore cum impetu extraxit, subitoque præ multitudine tristitiæ deficiens, in amentiam cecidit. Puer autem mox extracto cultello surrexit, & liberè discurrens, sicut priùs, quasi nihil passus, omnino sanus euasit, & quod valde mirum fuit, cùm vulnus, & patens esset, & valde profundum, nullam tamẽ sanguinis guttulam penitus emisit. Sanus itaque puer incolumis euadens, & vulnus ostendit apertũ, & vulneris nullum sensit dolorẽ. *Ibidẽ miraculo 2.*

DIVA VIRGO IN VRTICETO.

§. 36. *Puer sub onerato lignis carro grauiter collisus sanatur.*

ANno Domini 1442. indictione Romanorum quintâ concursus ad memoriam sanctæ Dei Genitricis in Vrticis propè Heylpronnam, iuxta *Tritheminus de miraculis ibi factis.*

Nec-

Neccarum, sumpsit exordium, vbi ex collatione fidelium insigne Cœnobium postea constructum cernitur ordinis Fratrum Carmelitarum. Hic inter stupenda miracula quæ acciderunt, Puer quidam in pago cum suis coæuis, pueriles in plateâ exercebat ludos, quem carrus lignis oneratus negligentiâ rusticani vectoris opprimens, tam forti collisione quassauit, vt viuere ad horam posse minimè speraretur. Cuius parentes villani Henricus cognomento Singer, & Agnes, patrocinium B. Virginis cum lacrymis inuocantes, votum ad eius memoriam in Vrticeto fecerunt; ipsumque puerum, si conualesceret, perpetuo censu Dominæ nostræ tradiderunt, volentes obnoxium. Exaudiuit preces pauperũ illico Regina misericordiæ, & puer meritis patronæ, statim miraculosè conualuit, parentum sancta deuotio sacrum Vrticetum cum sanato visitans votum impleuit, censum octo denariorum quotannis, quamdiu vixit, sanitatis beneficium consecutus, persoluit.

§. 37. *Puer in thermis Badensibus submersus, vitæ restitutus est.*

Idem de D. Virgine in Vrticeto c. 9.

EOdem anno, homo quidam ex inferiori Baden vbi residentia est Marchionis, oriundus, & incola loci, cum duobus filijs suis lauandi gratia, thermas, quæ aquas in eodem oppido calidas emanant, ingressus est. quo dormiente, calefacto iam corpore, puerorum alter in aquam cecidit, & sub vndâ iacens immobilis, mortuo similis fuit. Quod cernens alter, flere mox incepit, & clamore suo parentem è somno excitauit. Euigilans autem homo, & circumgyrans hinc inde oculos, puerum vidit in aqua submersum, nimioque pauore turbatus iacentem aquâ iam plenum extraxit, & non erat in eo neque vox, neque sensus, neque spiraculum anhelitus, sed mortuo similis per omnia

omnia iacebat. Tunc pater ad memoriam reuocans miracula quæ facta in Vrticeto per Dominam nostram audierat, flexis in terram genibus, auxilium Reginæ cælorum petijt: votum ad eius memoriam in Vrticeto cum lacrymis emisit, & vitam suo filio impetrauit: mox enim vt voti sermonem compleuit, puer qui mortuus videbatur, reuixit, & sanus per merita viuificantis Dei Parentis intactæ surrexit.

DIVA VIRGO AD S. PETRVM LOVANII.

§. 38. *Puer bimulus submersus ad viuos redit.*

Pagus est Louanio propinquus Haeght vocant incolę. Hîc anno 1545. 5. Septembris, infans erat duorum annorum Ioannis Stremin & Elizabethæ filius, quibus ad consueta opera profectis, ipse domi relictus est cum sorore sex annorum puellulâ; & hæc eum ludēdi causâ (vt fit) deseruit. Erat domi puteus etiam vicinis communis: in hunc infans vasculo quasi hausturus aquam deuoluitur. Redit mox filiola, vestigat fratrem; nusquam inuentum, reperit in puteo, currit celer ad matrem: hæc aduolat infantē ereptura, eripitque, sed aquis, non morti, & carbonis instar, nigrum. vna vicinorum omnium vox erat, frustra iam explorari per sesqui-horam si quid superfit vitæ: sed non ita absistit pia mater, quin potiùs spem suam omnem in D. Virgine quæ in D. Petri apud Louanienses colitur, ponit, vouet ei filiolum, conceptoque voto de itinere arripiendo (mirum dictu) suspirare primum puer, omnis nigredo fugere, redire floridus decor. Parentes promisso se liberaturi ad D. Virginem cum puerulo gestiente ac lætabundo proficiscuntur; rem stupendam propalāt.

Ex lib. miraculorum in D. Petro quod ad me misit P. Costerus cum seq.

§. 39. *B. Virgo puellam in puteo tutatur.*

Ex eodem. Accidit anno 1548. mense Augusto, quod modo dicturus sum. Quo tempore (inquit R. P. Franciscus Costerus, à quo etiam hoc, cum sequenti accepi) Louanij studijs nauabam operam, puella isthic annorum duodecim, aut paulò maior, Anna nomine (quod modo Collegium S. Annę dicitur; Nicolao Leuuiller, & Margaretę Lompré parentibus eius, erat pro domo) ad aquam ex puteo hauriẽdam profecta, recidiuo aquæ pondere sublimis in præceps ruit; exciti sono vicini; concurrunt, miserando viso spectaculo horrent, consilij expertes nequicquam trepidant. Sed ipsa ex alto puteo clarâ voce: *Nulla*, inquit, *mentes vestras occupet turbatio; adest enim mihi Domina candidissima, hæc capite deorsum ruentem conuertit, hæc aquas procul arcet.* Demittunt ergo rudentem; quo se mediam cingat: educta, rei seriem inquirentibus, hoc vnum respondet: In ipso casu medio, Virginis opem se inclamasse in hęc verba: *O sacra Virgo, quæ in S. Petro coleris, ades periclitanti mihi.* Nec plura. Diuiditur illico fama vniuersam per vrbem, & postero die *Magnæ Virgini* festo ritu litatum est. Primâ verò Septembris Dominicâ, vidi (inquit Costerus) puellam lineis indutam cum cereo ardenti, duobus hinc, atque hinc stipatam sacerdotibus, solennem supplicationis pompam prosequentem. quod ipsum deinceps annis multis, beneficij memor factitauit.


DIVA VIRGO HANSWYKENSIS.

§. 40. *Infans sepultus effoditur, baptizatur.*

Idem. Mechliniæ mulier infantem speciosissimum, sed vita carentem infelici effuderat partu. pedissequa herę suę miseram sortem, adeoq; ipsius

infantis

infantis potiori iure, vt qui conditoris sui æternum priuaretur aspectu, miserata, surgit nocte media, infantem in extremo horti recessu defossum effodit, eumque circa horam quartam antelucanam ad D. Virginem Hanswykensem (erat tum Monachorum Cœnobium, Mechliniæ adiacens) defert, spe plena, imponit aræ corā imagine D. Virginis, & totā se effundit in preces & lacrymas, nec surgit, donec post quatuor horas voti dānatur. Salutaribus ergo lymphis infans extemplo tingitur, & breui interpositā morā, concessam relinquit lucem meliori fruiturus.



CAPVT VI.

ANGELICVM IN PVEROS OFFICIVM.

AD ea, quę diximus subsidia, accedit quoque ministerium Angelorum, qui sic nuncupantur, quod à Deo velut diuinæ mentis internuncij ad nos transmittantur. Duo verò hic præcipue attingam (nam pro meritis loqui de Angelis, non nisi Angelus potest) primùm summi beneficij loco ducendum esse, quod tutelares nobis spiritus sint assignati: deinde quid à nobis ea Cęlitum diligentia, suo iure poscere videatur. Consideranti mihi sæpenumero vtilem adeo mortalibus Angelorum operam, non parua mentem subijt admiratio diuinę in nos benignitatis atque munificentię, dum cęlestes hosce genios nobis attribuit: si enim vnicuique infanti e cæcis vteri materni

latebris in lucem recens effuso Rex è primoribus regni sui vnum submitteret, qui eius curam gereret, eum tueretur, eius pædagogus esset, nonne iure miraremur? nonne meritò obstupesceremus?
Psal. 90. sed accipe quid maius: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* nec obstu-
D.Hieron. l.3.in Mat. pescis? exclamabit prote D.Hieronymus: *Magna dignitas animarum, vt vnaquaque habeat ab ortu natiuitatis in sui custodiam Angelum delegatum*! Audi hęc animarum zelator, & animas iusta lance ęstima. Nemo se de cętero rebus terrenis degeneri conuersatione abijciat, nemo quenquam, licet squalore obsitum, licet pannosum, licet purulentum, habeat despicatui: meminerit verò quo loco fuerit is apud Deum à primo suo ortu, cùm actionum suarum à Deo ductorem accepit, à quo per omnem vitam dirigatur, doceatur, contra hostium protegatur incursus, illustretur, ac demum ad ęternæ beatitudinis portum eius ductu pertingat.

Ex hac tanti beneficij magnitudine facilè apparet quid ad alterum, quod proposueramus, dicēdum sit. In more fuit positum apud antiquos, vt prouinciales, & socij populi Romani in clientelā se darent proceribus Romanis, quos paternos sibi adoptabāt, non modò publicè, sed & priuatim, ijq; vt clientes eorum dicerentur, inter se verò hospites. ferebat autē eiusmodi consuetudo, vt clientes perpetuò patronorum suorum patrocinio caput, ac fortunas suas tuerentur; vicissimque ipsi eos omni obseruantiâ, obsequioque venerarentur. Quod si adeò patronos illi suos, à quibus externa tantùm commoda, & vitę, fortunarumque subsidia, incolumitatemque expectarent, obseruabant, reuerebanturque, quibus studijs, quâ diligētiâ, memorisque animi significatione Angelos tutelares à nobis coli oportebit, à quibus non penates

nates tantùm nostri defenduntur, non facultates tantùm propugnantur, non corpora tantùm ex infinitis propè periculis eripiuntur, sed à quibus animi quoque sana consilia, lucemque in tantâ rerum humanarum caligine accipiũt, ac demum ad res diuinas capessendas, atque adeò cælum ipsum, erudiũtur? Speculũ vultis intueri, in quo qui hactenus ignorârit quid ab Angelo custode beneficij quotidie accipiat, quidve ei grati animi causa rependẽdum sit, cõtempletur? Illud vobis proponit Tobię filius cùm ait: *Pater*, inquit, *quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficijs eius? me duxit, & reduxit sanum: Pecuniam à Gabelo ipse recepit: Vxorem ipse me habere fecit; & dæmonium ab eâ ipse compescuit. Gaudium parentibus eius fecit; Me ipsum à deuoratione piscis eripuit: Te quoque videre fecit lumen cæli: & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hoc poterimus dignum dare?* Ea res est de quâ meritò consultatio instituatur, & à nobis iure fortè potiori instituẽda esset. Sequamur Diui Bernardi consilium, simus deuoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos quantùm possumus: ipsi enim amant nos, quia Christus nos amauit: Angelo autem nostro debemus, inquit, *reuerentiam pro præsentiâ, deuotionem pro beneuolentiâ, fiduciam pro custodiâ*. Multi nihilominus vix semel in anno, aut ne vix quidem Angeli sui præsidis implorant auxilium: immo ne quidem recordantur per omnem vitam, aut etiam sciunt, se tantùm à Deo præsidij accepisse. quod certè negligentiæ genus vehementer periculosum est, in tam morosa vitę huius militia, & malitia hostium insatiabili. Ideo monet ibidẽ Bernard. *Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus vijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerẽtiam habe. túne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes?* Quàm iucũdum erit circa vltimam

Tob. 12.

D. Bernar. super Psal. Qui habitat. vbi vide multa pulchra in hanc rem.

vitæ periodum, Angeli tutelaris ductu omnia fecisse! quàm graue tacitis eius monitis non acquieuisse, immo restitisse! idcirco nos præmonere debent, quæ de Angelo Israëlis duce, Moysi dicebat

Exodi 23. Deus: *Obserua*, inquit, *eum, & audi vocem eius, nec contẽnendum putes: quia non dimittet, cùm peccaueris.* certè qui parebunt Angelis ductoribus in via, eos habebunt corregnantes in patria: sin minùs, dæmones in inferno cruciantes.

§. 1. Angelus Ismaëli siti laboranti subuenit.

Genes. 21. *SVrrexit Abraham manè, & tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ Agar, tradiditq́ puerum & dimisit eum. quæ cùm abiisset, errabat in solitudine Bersabee. Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat, & abijt, seditq́ è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim, non videbo morientem puerum; & sedens contra leuauit vocem suam, & fleuit. Exaudiuit autem Deus vocem pueri, vocauitq́ue Angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri, de loco in quo est, surge tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum; aperuitq́ue oculos eius Deus.* Quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere.

§. 2. *Tobiæ ducem se præbet Angelus.*

Ex Tob. c. 5. Sabell. l. 3 Exem. c. 6. TObias Tobiæ filius, vt paternæ cæcitati remedium quæreret, puer adhuc, omniumq́ue rerum ignarus, domo peregre profectus, cælestem meruit ducem sortiri, cuius ductu felix itu puer, felicior reditu, præsentissimum attulit patri remedium.

§. 3. Christus IESVS Angeli monitu, communi infantium cædi subducitur.

Matth. 2. *ANgelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge*

in

in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi: futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdẽdum eum. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israël. *In ipsa Magorũ abitione, inquit Nicephorus.*

§. 4. *Ab Angelo MARIA nutritur.*

CEdrenus & Gregorius Nicomediensis affirmant MARIAM in templo, ab Angelo sancto nutritam fuisse, qui frequenter insolitam speciem præseferens puellam inuiserit, quod indicat etiam Ambrosius. Ad cuius rei confirmationem scribit idem Gregorius: *Tu autem ô homo*, inquit, *admirabilem in templo & nouam viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione, ea quæ capere non potest cogitatio: vides ipsum Dei Verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero, & contendis fueritne alimentum, quo nempe MARIA vesceretur, materiale an expers materiæ? vides paterno consilio spiritûs in ea adumbrationem, & de ministerio Angelorum dubitas?* Certè Palladius, qui sub Theodosio maiore vixit, Angelum ad Abbatem Apollo solitum fuisse, alimenta deferre ait, tum Abbatem Anuph. inde commendat, quod Angelus illi cælestem cibum suppeditaret: quemadmodum Ioannis patrem Zachariam vidisse confirmat Pãtaleon apud Metaphrasten: & id, si MARIÆ factum sit, in dubium reuocabimus? *Cedren. in Compend. hist. Greg. hom. de oblatione V. in templo. Ambr. l. 2. de Virg. In hist. Sãctorum.*

§. 5. *Angelus Ioannis Baptistæ custos.*

SAluator quidem, ita vt dictum est, in Ægypto exulabat, filius autem Zachariæ Ioannes, in cuius Natiuitate patris vox soluta est, cùm priùs ab illo Ioannis nomen in tabula fuisset exaratum, *Niceph. li. 1. c. 14.*

alterum cum dimidio annum agebat, & vnà cum matre Elizabethâ in spelunca quadam ad regionem montanam saluus conseruabatur, fortasse Herodis sanguinariam effugiens manum. Atque inde in solis locis libẽter versari solitus, Angeloq; duce vsus, in remotiores syluarũ recessus secessit. Addit Cedrenus Elizabetham post dies 40. in eâdem speluncâ diem obijsse, Ioannis verò ab Angelo curam esse susceptam. S. Chrys. & S. Petrus martyr, dicunt ideo Zachariam neci datum quod filium suum occultasset, nec prodere voluisset.

Cedren. in Compẽdio hist. Chrys. de natiu. S. Ioannis. S. Petrus in reg. eccl. c. 3.

§. 6. *Angelus custos paruuli nouitij dormientis loco ministrat sacro.*

In histor. Francis. l. 2. pag. 180

CONsueuerat F. Ioannes Parmensis, sextus Generalis Minorum, quotidie Missam in aurora dicere, cui Nouitius inseruiebat. Nouitius post matutinas horas semel cùm obdormiuisset profundiùs, vt inseruiret horâ consuetâ non aderat, adfuit expectanti Fratri Ioanni Angelus qui ei cooperatus est in missâ in habitu Nouitij: Missâ ergo absolutâ visum est Nouitio tertiò vocari, qui surgens, & audiens Fratrem Ioannem Generalem, rogauit num vellet missam celebrare, quo audito F. Ioannes cognouit Angelum in formâ illius iuuenis sibi facienti ministrasse.

§. 7. *Angelus custos infantis animam Dæmonibus eripit.*

F. Iordan. de Saxonia ord. Erem. S. Aug. in vitas FF.

MVlieri cuidam natus fuit filius cuius labiâ & non alia membra moueri videbantur, & cùm baptizaretur, animam nequaquam potuerunt perpendere: plorat ergo mater; Heu, inquiens, misera, quæ filium genui, cuius anima damnata est. Cogitur vir sanctus Nicolaus Tolentinus visitare nolentem, vt quod viderat in nocte de filij animâ, ad matris consolationem recitaret. Eram, inquit, in meo lecto dormiens, & ecce filij a-

nima in manibus meis deponitur, circumcirca autem dæmones terribiles adſtiterunt, tractantes inter ſe, & dicentes. Quia huius anima, noſtra eſt, nondum enim baptiſmum perfectè ſuſceperat, cùm deceſſit. ego autem quamuis fragilem me cognoſcerem, pro anima meis manibus commendata, Deo ſupplicaui, vt Angelum ſalutis ab alto mitteret ad defenſionem animæ pereuntis, cuius immenſæ pietati placuit Angelum dirigere fortiorem, qui dæmonibus illis eiectis, de manibus meis ſuſcepit animam cæleſtibus ſedibus collocandam. Conſolare ergo, conſolare, & de Dei iudicijs non turberis; melius eſt enim quod filium genueris cælo altiſſimo, quàm huic infimo mundo.

§. 8. *Angeli cuſtodis monitu & ope Oſitha tertio ſubmerſionis die ex flumine emergit.*

OSitha cùm tenera adhuc ætate ad Moduuēnam Antiſtitem ſuam, vt Edithę virginum matri (cui tradita erat moribus informanda) pareret, libellum quendam pium deferret, Oſytha vi ventorum ex ligneo quem traijciebat ponte in flumen præceps corruit, atque eius impetu rapta, momento temporis abſorpta eſt. Elapſis autem tribus diebus, Angelus Domini Moduuennæ in cellâ oranti apparens monuit eam, vt feſtina ad flumen pergeret, remque apprimè neceſſariam expediret. Illa voci Angelicæ obtemperans, inuenit Editham, puellam Oſitham anxiè quæritantem, tandem Moduuenna, deprecemur, ait, ſoror chariſſima Dominum, vt ſanctorum omnium meritis perditam nobis puellam reſtituat, eiuſque potentiam, ac miſericordiam perpetuò collaudemus. poſt lacrymas igitur multas ab oratione ſurgēs, Inclamat Oſytha, Oſytha, Oſytha, in nomine SS. & indiuiduæ Trinitatis, incolumis ex hoc flu- *Sur. 7. Octob.*

mine emerge. Et ecce puella è flumine cum codice illęſo prodiēs: ecce ego, ecce ego, ecce ego, Domina mea. Oſtupuerunt viſâ puellâ, & prę gaudio fluentibus lacrymis immenſam Dei & Angeli tutelaris opem extollentes, domum vnâ redierunt.

§. 9. *Angeli cuſtodis cum S. Franciſca familiaritas.*

Andreas Valladerius in eius vita.

ADerat S. Franciſcæ Romanæ à pueritia, Archangelus perpetuus comes & protector caſtitatis, alba indutus, nonnunquam cærulea; ſtaturâ puerum non excedebat.

§. 10. *Præſentia tutelaris Angeli magicas artes diſſipat.*

Delrio l. 6 de Magia c. 2. ſeq. 3. q. 3.

DE ōpe Angeli cuſtodis ſatis clara, etſi non petitâ, capio (inquit Delrio) miram narrationem Saliſberienſis l. 2. polycra. c. 11. his verbis. Dum puer, vt pſalmos addiſcerem, Sacerdoti traditus eſſem, qui forte ſpeculariam Magicam exercebat, contigit vt me, & alium paulò grandiuſculum puerum, præmiſſis quibuſdam maleficijs, pro pedibus ſuis ſedentes ad ſpeculariæ ſacrilegium applicaret, vt in vnguibus ſacro, neſcio, oleo an chriſmate delibutis, vel in exterſo & leuigato corpore peluis, quod quærebat, noſtro manifeſtaretur indicio. Cùm itaque prædictis nominibus, quæ ipſo horrore, licet puerulus eſſem, dęmonum videbantur, & præmiſſis adiurationibus, quas quo authore neſcio ſocius meus ſe, neſcio quas imagines, tenues tamen & nebuloſas videre indicaſſet: ego quidem ad illud ita cæcus exſtiti, vt nihil mihi appareret, niſi vnguis & peluis, & cætera quæ antea noueram. Exinde ergo ad huiuſmodi inutilis iudicatus ſum, & quaſi qui ſacrilegia hæc impedirem, ne ad talia accederem condemnatus. & quoties rem hanc exercere decreuerant, ego quaſi totius diuinitatis impedimentum arcebar: ſic mihi in ea ætate propitiatus eſt Dominus. Vtiquę

que arbitror (inquit Delrio) per Angelum custodem: sed addit author. Cùm verò paululum processissem, flagitium hoc magis ac magis exhorrui, & eò fortiùs confirmatus est horror meus, quod cùm multos tunc nouerim, omnes antequam deficerent, aut defectu naturæ, aut manu hostili, beneficio luminis orbatos vidi, vt cætera incommoda taceam, quibus in conspectu meo à Domino aut prostrati, aut perturbati sunt, exceptis duobus, Sacerdote videlicet, & diacono quodam, qui specularioꝛum videntes plagam effugerunt, alter in sinum Canonicæ, alter ad portum cellulę Cluniacensis, sacris vestibus insigniti. Eosdem tamen prę cæteris, in cōgregationibus suis, aduersa plurima postmodum perpessos esse misertus sum.

§. 11. *S. Neophytus ab Angelo nutritur, instituitur.*

Mirabiliter alebatur S. Neophytus: nam cùm esset annorum circiter decem, columba deuolans ipsius cubile complectebatur, humanamque fundebat vocem: cùm verò metu correpta exanimis corruisset, hanc oratione peractâ excitauit. Vbi verò montem Olympum attigisset, specum subijt, quam vt ingrederetur, columba viæ dux ostendit, feraque inde abacta illic tugoriolum exstruxit: ab Angelo verò nutriebatur. Decimoquinto autem ætatis anno se Decio Præsidi stitit, auxilio Angelorum hunc ad illum descensum instituens. *Ex Menæ 21. Ianu.*

§. 12. *Ioanna Virgo Angelum tutelarem pro parentibus habet, ab eoque docetur.*

Ioanna quædam, vrbiuetana virgo tertij ordinis D. Dominici, tametsi trimula, matreque orbata fuisset, & quinquennis Patre, conseruauit tamen innocentiam baptismalem ad vltimum vsque vitæ diem, beneficio Angeli custodis, vt ex *Serap. Razius in histor. FF. Prædic.*

proprio ipsius facto colligitur. Cùm enim nonnulla ex sodalibus suis ipsi diceret. Ioanna, an nescis te carere matre? hæc ad ecclesiam eam ducẽs, & demonstrans imaginem Angeli in muro pictam, Scito, respondit, hunc Angelum mihi in matrem esse, à quo adhuc paruula omnia pietatis, ac fidei documenta percepi.

§. 13. *Ioannis Carera, pueri, cum Angelo præside familiaritas.*

Ex histor. Socie. anno 1551. l. 13.

CONcionabatur Burgis P. Strada: venit ad eũ annorum circiter 14. puer Ioannes Carera, petijt in Societatem admitti. ille cùm ob teneram adhuc ætatem eius admissionem differendam existimaret, vt se ab eo expediret, dixit se hac conditione eum in Societatem admissurũ, si totam concionem, quam certo die habiturus erat, fideliter referre posset. Secundum concionem, venit puer ad patrem, omnia dicta fidelissimè retulit; miratus pater, idque diuinitùs agi ratus, effecit vt admitteretur. Compos voti factus, totũ se contulit ad exercitia, disciplinamque virtutum: multus erat in adhibendo Deo precibus, multus in colendis tum pænitentię, tum pietatis officijs, præcipuè verò erga sanctissimam Dei matrem, tutelaremque Angelum suum inflammato studio rapiebatur, quicum tanto erat, & tam familiari coniunctus vsu, vt velut cum intimo amico sua consilia, sermonesque conferret, sæpe ad eum de suis rebus dubijs, arduisque referret, sæpe interrogaret, exquireret consilium, vicissimque ei Angelus ad omnia notis, vsitatisque vocibus responderet. Denique in eam sancti Angeli familiaritatem venerat, vt ab eo quotidie horis ante-lucanis ad orationem excitaretur è somno; quanquam hanc aliquando cõsuetudinem Angelus intermisit, quod excitatus ab se manè Ioan. languore, ac lassitudine victus non

è cubili

è cubili protinus surrexisset: sed si hęc culpa fuit, certè per dies plurimos occultâte se Angelo pœnas dedit. Cuius præsentiæ desiderio multis ad Deum placandum precibus, ac ieiunijs adhibitis vix tandem aliquando quod amiserat recuperauit. Namque eum Deus multò pòst pro sua eximiâ suauitate quamplurimis cęlestium voluptatum blanditijs, atque inusitatis inter precandum iucunditatibus delinitum ita est consolatus, vt quod abstulerat etiam redderet, excitatorem suum Angelum custodem, qui quotidianę precationis, vt antea consueuerat, matutinis temporibus admoneret, & cum quo simul agere, & sermocinari liceret, receptum in pristinam familiaritatem Angelus monuit, idcircò suam se occultasse pręsentiam, quod ad orationem se suscitantem non protinus audijsset; Deumque ab eo venas voluisse repetere, vt documentum ei esset in posterum, ne in surgendo moras necteret. His ab initijs profecta viri virtus, eos habuit cum ętate progressus, vt vltimis etiam nationibus profutura redderetur, missus ad occidentis solis Indos, multis in Mexicanâ regione laboribus, magno Societatis, & ecclesię illius commodo functus sit.

§. 14. *Adolescentulus à submersione liberatur ab Angelo custode.*

Acceperat ex Sodalitio Angelorum Adolescentulus quidam versiculos quosdam absque morâ memorię imprimendos, quos breui pòst Angeli custodis officium repræsentans esset recitaturus. Cumque ad cataractam molæ, inter discendum, aliud agit (vt pueris mos est) inque rotas molares fortè oculos intendit, pede fallente, fermè est ipsis rotis interceptus; Iam supinus secundo flumine ad eas ferebatur cùm ipsi simul Angelus custos in mentem indidit, vt pariter nescio

Ex literis Societ. anni 1598. Molshemij in prouin. Rhenana.


cio quod vimen maleſidum arripiat, pariter vocem auxilio petendo intendat. Molitoris ergo accurſu aquis extractus, periculum euaſit tenens mordicus chartam, cui verſiculi inſcripti erant.

§. 15. *Plurimis ſubmerſis, infantes duo enatant.*

Simō Maiolus Vulturenſis Epiſc. Colloq. 13.

IN vrbe Aſtenſi, cùm ingens fluuius Tamarus à multitudine nauigio traijceretur, anno 1564. demerſa in medio naui, omnes etiam nautas ac reliquos, qui natandi peritiâ valerent, fuiſſe aquis obrutos, nobis veridicorum virorum teſtimonio cõpertũ eſt. Erat verò multitudini admixta mulier inops, quæ in nauigio illo poſita puerum triennẽ dextrâ tenebat, lactentem alium in ſinu fouebat; demersâ naue, ipſa cum vtroque filio trans flumẽ deuecta eſt incolumis, nec illi fuêre adiumento brachia, quibus filiolos complectebatur, ſed haud dubiè fauor Angelicus.

Vide aliud 1. *p. c.* 3. *§.* 7. *&* 3. *p. c.* 11. *§.* 1. *& c.*14. *§.*4.



CAPVT VII.

SANCTORVM IN PVEROS MIRACVLA.



MVLTA equidem homini, & imprimis infirmę puerorum ætati inſidiantur pericula, verùm diuina prouidentia, de qua ſuperiùs egimus, non pauciora nobis ſuppeditauit auxilia: inter quæ eſt, vbique terrarum, vbique gentium, tot Thaumaturgorũ præſens ſubſidiũ, quorũ dignitas & re-

& rerũ olim bene gestarũ recordatio, plurimùm apud prępotẽtem illũ Deum habeat authoritatis. Hinc miraculorum multitudo, quæ non parũ Dei omnipotentiam extollit, Sãctorum gloriam commendat, pusillorum timiditatem prouocat, redditque audẽtiorem: nam principiò quid est quod Dei potẽtiam reddat magis stupendã, quàm quod non solùm per se & in suo nomine, quod naturâ sanctum est atque terribile, verùm etiam per Sanctos suos, & in eorum nomine, multa supra vires mortales & naturæ leges perpetret? immo verò (quod magis, mirere) nunquid per eorũ reliquias, sudaria, semicinctia, imagines, immo vmbras, miracula stupenda edit Deus? Iam verò quot sunt per Sanctos patrata à Deo prodigia, tot sunt diuinæ virtutis illustres quędam patefactiones, tot splendoris illius æterni beatis communicati obsignationes, ac velut sigilla, tot denique testimonia, quibus Sanctos suos mũdo cõspicuos facit Deus, vt eorum fidem, iustitiam, gloriam æmulemur. Tertio denique non parum erigũtur abiectorum animi, si quem forte Dei maiestas terreat, vel vitæ male actæ conscientia, si patris nimium afficiat reuerentia; cùm non rectà ad Deum, sed quasi ponè accedamus, per dilectissimos Dei amicos, nostrosquẽ apud ipsum patronos: fitque hac via non rarò, vt quod non fueramus accepturi, accipiamus, & verò cumulatissimè. Age ergo, exempla quibus non modò piorum in Sanctis inuocandis studium, & ardor comprobetur; sed eiusdem etiam inuocationis, diuinis miraculis in pueris consignatæ, certa & euidentia testimonia fulgeant, in medium adducamus.

§. 1. Elias suscitat filium Sareptanæ viduæ.

ÆGrotauit filius mulieris matris-familiàs, & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus. 3. Reg. 17.

bitus. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi vir Dei? regressus es ad me vt rememoraretur iniquitates mea, & interficeres filium meum? Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum; tulitque de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit supra lectulum suum. & clamauit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam apud quam ego vtcunque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. Et exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit. Tulitque Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: En viuit filius tuus.

§. 2. *Rusticus filium suum suscitandum offert.*

Æneas Gazæus ex quo Baron. to. 6. anno 464.

NEc fabulæ sunt quod dicimus, nec è longâ vetustatis memoriâ repetitum, sed hac tempestate factum miraculum. Ego ipse vidi senem, & egregiè bonum, & Deo comprimis charum. Ei familiaris erat quidam agricola, vir simplicis ingenij, & pater vnius tantū pueruli, cum quo puero vir ille rusticus senem illum frequenter adibat, volens aliquid boni facere, & discere; illucque suarum frugum primitias tanquam ad fanum quoddam afferebat. Accidit haud ita multò pòst, vt puer graui morbo correptus, vitam cum morte commutaret; eum iam defunctum pater non (vti lex mandat) sepulcro condit; sed sportę impositum, folijs obtectum, atque in humeros sublatum, ad senem illum intrat: deinceps autem, deposito onere, senem (vti consueuerat) affatus, cum ei, intentis oculis ad eum, assedisset, paucaq; dixisset, & audisset, puero (vt habebat) ceu vuarum primitijs, illic relicto, discessit: at vbi iam sol occidisset, factâ solitâ precatione, senex fructus illos attrecta-

attrectaturus,folijs remotis,non vuas,ſed mortuũ iuuenit;& quantam pater ſpem fidemq́ue habuiſſet,eſt admiratus. Ergo cum animo ad Deum intento ſuper puerum incubuiſſet, priùs non ſurrexit, quàm puerum reſuſcitaſſet; atque ſic eum reſuſcitatum ad patrem miſit. ipſe verò in exilium iuit ne admiratione eius homines perciti, nimis moleſti deinceps eſſent. Hæc author,ex tanto miraculo probans Theophraſto Catholicam fidem, de Reſurrectione mortuorum, in Eccleſia prędicatam.

§. 3. *S. Nicetius puer curatur à Sancto Martino.*

ORta erat puero puſtula in facie virulenta, prorſus vt ſerpente in dies malo, breui moriturus crederetur: mater tamen opem S.Martini implorat impenſiùs. Iam per biduum clauſis oculis, ſine vocē iacuerat: adeoq́ue de funere cogitabatur,cùm oculos aperiens; Quò iuit, inquit, mater mea?& illa: Ecce adſum,quid vis fili? Ne timeas, inquit, mater, B. enim Martinus ſuper me crucem Chriſti formans, ſurgere me iuſſit incolumem,ſtatimq́ue ſurrexit,memorem accepti beneficij ſeruans cicatricem. *Ex Grego. Turon. Surius 2. Ap.*

§. 4. *S. Andreas puerum dæmoniacum ſanat.*

CVm multa admiratione digna apud Patras per B.Apoſtolum Andream agerentur,aduenit ex Italia Statocles frater Proconſulis. Huic erat puer Alcmana nomine,quem in precio ſingulariter habebat. Euenit autem vt ab impulſu Dæmonis percuſſus tunc iaceret ſpumāſq́ue in atrio tumultũ magnum excitaret;quæ vidēs Stratocles nimis molliter caſũ dilectiſſimi pueri ferebat. Et ecce Maximilla & Ephidama conſolantes virum, dicunt: Noli contriſtari frater,mox puer recuperabitur:eſt enim hic vir quiſpiam,qui viam ſalutis oſten- *Abdias, diſcipulus Apoſtolorũ in eorum hiſtor. l. 3.* *Maximilla Proconſulis Ægeæ vxor, Ephidama huius ancilla.*

ostendens, multos reuocat ab infirmitate ad integram sanitatem: mittamus ad illum, & statim reddet tibi puerum sanum. Haud mora, accersitur Apostolus, qui rogatus à matronis, apprehensa manu eius, ait: Surge puer in nomine IESV Christi, Dei mei, quem prędico. Et statim surrexit incolumis. Stratocles verò credidit exinde in Dominum, & ita confortatus est in fide, vt ex illa hora non discederet ab Apostolo, sed quotidie adhærēs lateri eius, audiebat verbum salutis.

§. 5. *S. Hilarion tres pueros depositos sanitati reddit.*

D. Hieron. in vita SS Pat. 1 p. de S. Hilarione.

ARistene Elpidij (qui postea Præfectus prætorij fuit) vxor valde nobilis inter suos, & inter Christianos nobilior, reuertens cum marito & tribus liberis, à B. Antonio; Gazæ, propter infirmitatē eorum, remorata est: ibi enim siue ob corruptum aërem, siue (vt postea claruit) propter gloriam Hilarionis serui Dei enutrita; pariter arrepti omnes à medicis desperati sunt. iacebat vlulans mater, & quasi inter tria filiorum discurrens cadauera, quem primùm plangeret, nesciebat. Agnito autem, quod esset quidam Monachus, in vicina solitudine, oblita matronalis pompæ, quoniam se matrem nouerat, vadit comitata ancillulis & eunuchis; vixque ei à viro suo suasum est, vt asellò sedens pergeret; ad quem cùm venisset: Per IESVM, te, ait, clementissimum Dominum nostrum, obtestor, per Crucem eius & sanguinem, vt reddas mihi tres filios, vt glorificetur in vrbe gētilium nomen Domini Saluatoris. ingrediatur seruus eius Gazam & Marnas corruat. Renuente illo, & dicente, nunquam se egressum de cellula, nec habere consuetudinem, vt non modò ingrederetur ciuitates, sed nec villas; prostrauit se humi crebrò clamitans; Hilarion, serue Christi, redde mihi

de mihi filios meos; quos Anthonius tenuit in Ægypto, à te seruentur in Syria. Flebant cuncti, qui aderant, sed & ipse negans lacrymabatur. quid multa? non priùs mulier recessit quàm ille pollicitus est se post solis occasum Gazam introiturum. qui postquam venit, singulorum lectulos & arentia membra considerans, inuocauit IESVM, & (ô mira virtus) statim quasi de tribus fontibus, sudor pariter erupit, eâdem horâ acceperunt cibos, lugentem matrem cognoscentes, & benedicentes Deum Sancti manus deosculati sunt.

§. 6. *Curatur puer paralyticus.*

HAbebat quidam homo filium paralyticũ in Ægypto, & adduxit eum ad cellam Abbatis Macarij, & relicto eo ad ostium recessit longiùs. Respiciens autem senex vidit puerum plorantem, & dixit ei: Quis te adduxit huc? qui dixit: Pater meus proiecit me huc, & abijt, & dixit ei senex: Surge, & apprehende eum, qui statim sanus factus est, & surgens apprehendit patrem suum, & sic abierunt domum. *Idem l. de Sanctis Senioribus qui signa faciebant.*

§. 7. S. *Libertinus Abbas puerum suscitat.*

LIbertinus Abbas monasterij Fundensis in prouincia Samnij discipulus fuit S. Honorati, Abbatis & fundatoris ipsius loci. Claruit autem tempore Totilę Regis Gottorum, & miraculis effulsit: nam cùm esset Monachus, ex Abbatis iussu qui Honorato successerat, quodam tempore Rauennã pergebat, pro amore verò Honorati olim eius magistri, quocunque Libertinus ibat, caligulam eius in sinu deferebat. Dum ergo pergeret, accidit vt mulier extincti filij corpusculum fleret: quæ seruum Dei intuita, iumentum illius per frenum tenuit, atque iurando asseruit quod illum inde abire nõ permitteret nisi filium eius suscitaret. Ille verò inusitatum miraculum *Petrus de Natal. lib. 11. c. 95.*

expauit, & declinare mulierem voluit, sed omnino nequiuit. In eius quoque pectore pugnabant inuicem humilitas conuersationis, & pietas matris; timor, ne inusitata præsumeret; dolor, ne orbatæ non subueniret. Vicit tamen in eius corde pietas, quęque vicit, affuit, & humilitas descendit: orauit, caligulam de sinu protulit, eamque supra corpus extincti pueri posuit: moxque defunctus surrexit, quem flenti matri reddidit, & iter inceptum peregit.

§. 8. S. *Vincentius infantem sectum, coctum, elixum, restituit.*

Surius Aprilis 1. IN villa, quam Morellam vocant, non multùm distante à Valentia, mulier quædam per interualla quasi furore corripiebatur, non sine magno & suo, & aliorum periculo, cum alioqui sibi reddita, singulari prudentia & mansuetudine polleret. Ad ædes eius inuitante marito venit B. Vincentius (Ferrariensem vocant) moxque oblatæ ipsi mulieri bene precatus est, imposuitque illi manum, & quamdiu quidem illic moratus est, nullam mulier molestiam passa est, ita vt ab omnibus iam planè curata putaretur. Abeunte autem marito cum familia ad concionem S. Vincentij, illa sola cũ alia familiari femina remansit, cibos necessarios præparatura, sed cũ illa femina alijs intẽderet, hanc rursus amentia corripuit, & ecce infãtem suum in frusta secat, partemque coquit ad ignem, reliquam in cœnam reseruat, absolutâ concione maritus domum lætus redit, ab occurrente coniuge perquirit, num sit apparatum prandium? illa respondet parata esse omnia: rursus sciscitante marito, an pisces commodè cocti sint, ait, cum piscibus etiam egregias se coxisse carnes; id verò ille molestè ferens, obiurgauit eam, sciens B. Vincentium à carnibus abstinere.

Tandem

Tandem aduertit illam, more ſolito, furijs agitatam, proprium mactaſſe filium. Tum verò ingens omnium exiſtit luctus, & clamor mariti inprimis, qui eam calamitatem ferebat acerbiſſime. Res geſta ad B. Vincentium perfertur, ille mox accurrit, extenta manu iubet omnes ceſſare à clamore & eiulatu; porrò infantis membra diſſecta ſibi afferri: quibus allatis, flectit genua, paucis obſecrat Deum, inde crucem imprimit in cadauer infantis ita dicens: IESVS MARIÆ *filius, mundi ſalus & dominus, qui huius infantis animam ex nihilo fecit, eam in hoc corpus reſtituat, ad laudem & gloriam nominis ſui.* Hæc vbi dixit, cũctis adſpectantibus membra inter ſe coniungebantur, & infans reuixit. Ex tanto verò tamque reuera ſtupendo miraculo, quanta illic omnium admiratio, quantum gaudium, quanta ad priorem erga S. virum venerationem acceſſio extiterit, facilè ex ſe quiuis poteſt intelligere.

§. 9. *Theodatus infans, poſtea ſanctus monachus, S. Iudoci votis inter prunas illæſus.*

HVius infantis pater quotannis S. Iudoci ædem ſacram adire venerabundus conſueuerat. accidit verò ea tempeſtate caſtrum flammis conflagrare, cunctiſque ad res ſuas incendio eripiendas occupatis, ipſe quoque ſuarum rerum ſatagens, cunas, in quibus iacebat Theodatus, in templi quodam angulo collocauit, B. Iudoco depoſitum commendans. Conflagratis omnibus, & templi faſtigijs, parietibuſque igne ſolutis, infãtis ſui memor, tota mente conſternatus, reuiſit templi ruinas, & cum S. Iudoco grauiter expoſtulans de morte infantis, quaſi eum occiderit, ab eo depoſitum repoſcit, aliàs non ſuſcepturum ſe ad ipſius ſacra limina de cætero peregrinationem. Et ecce inuentus eſt in carbonum congerie, prunis

Surius 13. Decembr.

ardentibus manu tenella colludens; eius procul dubio virtute seruatus, qui três pueros Hebręos in ardenti fornace intactos conseruauit. Exportato extra incendij locũ infante, dũ ex cunis eũ eleuat, panni, cunæ, fasciæ, omnia attonitis cunctis in cineres redeunt; solus ipse perseuerauit incolumis.

§. 10. *S. Gregorius Turonensis adhuc puer à febre liberatur.*

Surius in vita S. Illidij 7. Iulij ex Gregor. Turn.

AGitabatur febre valida Gregorius, eiusque nimia stomachus pituita redundabat: incessit tamẽ puerũ libido, vt ad B. Illidij basilicam deportaretur, illatusq; manibus puerorum post orationem ad eius tumulum fusam, cùm lacrymis remitti non parum vim morbi sensit: sed reuersus domum, rursus febre corripitur. Quadam verò die cum grauius vexari cœpisset, & discrimen aditurus videretur, accedens mater: Mœstum hodie, inquit, dulcis nate, sum habitura diem, cùm te talis exerceat febris. Nihil, inquit ille, prorsus, ô mater suauissima, contristeris obsecro, sed ad sepulcrum cura me remitti B. Illidij, credo enim firmiter, fore vt virtus eius, & tibi lætitiam, & mihi tribuat incolumitatem. Deportatus igitur ad eum locum orationem fundit prostratus, votum concipit, si eum Antistitis sui virtus ab hac ęgritudine liberet, Clericum se illicò futurum. Voto nuncupato, sensit protinus discedere febrim, domumque reportatus, cùm in recubitu, vbi tunc sui epulabantur fuisset illatus, erumpente è naribus sanguinis copiâ, febris simul omnis cum cruore tabido defluxit.

§. 11. *S. Clemens puerum prodigiosè in medio mari per anni spatium seruat.*

S. Ephram Martyr.

AD tria milliaria fertur retrocessisse mare cũ in illud coniectus fuit S. Clemens, populoq; liberum ad ipsius vsque reliquias siccis pedibus

aditum

aditum præbuisse. Inuẽtum verò est velut exiguũ quoddam sacellum à Deo ex marmore cõstructũ in quo sacratissimum Pontificis corpus honestè quiescebat: nec procul inde anchora cũ qua demersus fuerat, Diuinoque oraculo cautum est, ne corpus inde tolleretur: cessurũ nãq; venientibus mare aniuersario miraculo, idque septem diebus continuis. Huc inter cęteram turbã confluxerant ad miraculi magnitudinem considerandam parentes pueri de quo agimus, quẽ ibi votis suis ritè peractis, non tam obliuione, quàm Deo ita volente, redeuntes domum relinquunt, cumq; longiùs progressi essent, & mare iam denuo templum fluctibus operuisset, filio non inuento, suspicati quod erat, remansisse eum in quodam templi angulo toti lacrymis & luctu deformati domum reuerterunt. Anno redeunte filij memores, ad anniuersarium miraculum redeunt, si fortè ossium eius reliquias inueniant. at verò vt primi omnium mari paulatim recedente templum subeunt, filiũ (res post homines natos inaudita) incolumem, & lętitia gestientem conspicantur; quo spectaculo iure merito consternati, concidunt in facies suas, & Deum in Sancto suo mirabilem collaudant, filiumque Martyris patrocinio à tam euidenti morte toto anno seruatum lætitia iuxta & admiratione pleni domum reducunt.

§. 12. *S. Bernardus puero membra distinguit.*

AD S. Bernardum, præsentibus Reuerẽdissimis D. D. Gerardo Lemouicensi Episcopo, & Lãberto Aginnensi item Episcopo, illatus est puer informis ab vtero matris; erat enim globi instar rotundus, vtroque cubitu circa vmbilicũ constricto, & pedibus ad nates applicitis. Huic cùm mẽbra singula vir Deo plenus, salutifera primũ cruce consignasset, deinde extendisset, erectum iam in pedes, & exultabundum domum remisit.

D'Assigni-es Annaliũ Cistert. sec. 21.

§. 13. *Geminatum S. Adelheidis miraculum.*

Surius 5. Februarij. Feminæ cuiusdam filius octennis, totidem annis membrorum omnium, præterquam linguæ & oculorum, officio destitutus fuit: ei verò S. Virgo Adelheidis, quadam nocte, in somnis visa est omnes ipsius neruos relaxasse: itaque alta voce eo exclamante, excitati sunt omnes qui in domo erant, & ad eius lectulum properantes, viderunt eum sanatis membris omnibus, ceu exanimem, iacere. sed post horæ interuallum, ad se reuersus, narrauit visionem, petijtque multâ instantiâ à parentibus se deduci, cum oblatione, ad sepulcrum Virginis. Mox ergo iumento imponitur, sed in ipso itinere, vt maior Dei virtus appareret, cum per pontem cuiusdam fluminis transirent, iumentum cum puero in aquas decidit, & totâ ferè horâ ab omnium conspectu subductum fuit. eo casu vltra modum afflicti parētes pueri, præ nimio dolore, S. Adelheidem non solùm nullius apud Deū meriti, sed etiam crudelem & inhumanam appellabant, cùm ecce subitò vident iumentum cum puero illæsum, ad littus peruenisse.

§. 14. *Simili importunitate victus S. Anthelmus submersum puerum suscitat.*

Surius 26. Iunij. Fisciliacum rus est, sex à Bellicensi oppido miliaribus distās. hîc mulier quædam cùm rebus alijs distenta esset, puerulum iam trinum negligentiùs agens, miserandâ reperit morte peremptum. nam cùm infantulus ad ripam præterlabentis fluminis incautus luderet, casu lapsus, ab aquis voracibus interceptus, & præfocatus est. Tum mater serò sui nati solicita, cùm vndique illum anxia quæreret, reperit immersum fluctibus, & extinctum. quem vt rigidum aquis extraxit, Sancte, inquit, Anthelme; redde mihi filiū, quem rapuisti: illum enim nosceris occidisse, quem custodijsse potue-

potueras,& hæc dicẽs:magnis clamoribus omnia complebat, pectora tundens, & genas vnguibus lacerans: accurrit mœstissimus genitor,& viciniâ totâ plorans. Suasum est matri ad tumbam sancti Pręsulis deferre puerulum:iungit se plurima multitudo.at illa non minoris fidei,quàm mulier fuerat Chananæa, lacrymis egit & votis apud benignissimum Patrem,& quem mortuum detulit, viuum recepit;iacens namque humi emortuum cadauer infantuli repentè surrexit, & arripiens bacillum, qui iuxta se erat, vertit se ad S. Præsulis tumbam, & illic sanus, lætus,floridusque resedit. tum accurrenti & plurimùm lætanti matri arridens infans, & vt potuit, alloquens, medium se amplexantis vlnis & osculis parentis iniecit.

§. 15. *Surdi quatuor ac muti dicunt Aue MARIA.*

SAnctæ memorię Fratri Saluatori hortano,quatuor pueri surdi à natiuitate iuxta ac muti oblati sunt; quibus ille visis extemplo, ait: pronunciate Salutationem Angelicam: verùm cùm ne mutirent quidem, benedictione eis impertita, *In nomine Patris,& Filij,& Spiritus S.*Agite ergo nunc, inquit,Salutationem Angelicam pronunciate. & statim apertis aurium ambagibus, solutisque linguæ vinculis,in hanc concordes vocem prorumpunt: *Aue Maria.*&c. *Ex Chron. S. Franc. to. 4. p. 1. l. 5. c. 44.*

§. 16. *S. Georgij mirè solicita circa S. Theodorum puerum cura.*

CVm sextum ageret ętatis annum S. Theodorus, cupiebat mater eius, vt in regia ciuitate ad militiam educaretur. Itaque cùm zonam illi auream, & vestes preciosas, & res alias necessarias parasset,de itinere cogitabat.Verùm qua nocte profectura erat,Sanctus Dei martyr Georgius ei apparuit: Et quodnam, inquit, mulier, de puero con- *Metaphr. ex quo Surius 22. April.*

ro consilium cepisti? ne frustra laborem suscipias; Rex enim qui in cælis est, ipsum sibi requirit puerum. Ex somno manè mulier excitata, somnium suum cum lacrymis enarrauit. Appropinquat, inquiens, mors filij mei: atque ita labore itineris supersedit; octennem magistro litteris imbuendum tradidit. Verùm ipse abstinentiæ studijs non minùs quàm litterarum se dabat: quam quidem consuetudinem ne domesticorum importunitate cogeretur abrumpere, ampliùs horâ prandij non reuertebatur, sed ad vesperam vsque ieiunus in ludo litterario manebat, vel cùm è scholis discederet, in asperum montem vicinum se conferebat, vbi S. Georgij templum erat, quo cùm accepisset mater eum sese contulisse, misit quosdam è seruis suis qui eum inde abstraherent. illi puerum ad matrem adducunt, quæ grauiter illi comminata est: sed ab ea consuetudine nullis minis, vel verberibus, potuit vnquam auocari. Porrò cũ ad latus dormiẽtis matris iaceret in lecto, accedẽs Christi martyr Georgius puerum excitauit, primũ quidem sub aliùs cuiusdam viri pij specie, deinde sub propria persona. Surge, inquiens, puer Theodore illuxit aurora: ad precandum in S. Georgij Oratorium ingrediamur. Surgentem autem cum lętitia & alacritate, cùm essent adhuc tenebræ domo deduxit ad sanctum Oratorium. ac multis quidem in via dęmonum dolis terrebatur, qui sub luporum, aliarumque ferarũ formâ puerũ territãtes, & vndique eum inuadentes vt deuoraturi, à bono proposito abducere conabantur. Verùm Christi Martyr illum educto gladio defendebat, vt ab ipsis feris lædi non posset, alacriusq; deinceps reuerteretur. Hoc cum puer quotidie frequẽtaret, nec eũ mater in lecto manè cerneret, mirabatur quò, se non sentiẽte, à latere suo discederet. metuẽs ergo, ne à feris (quæ tum fame stimulante circumquaq; grassa-

Dęmones terrent euntem ad templum.

grassabantur) deuoraretur, ipsum territabat, ne ad Oratorium iret, presertim ante solis exortũ, quòd locus ille desertus & periculosus esset; sed his ipse consilijs non acquiescẽs, prefinitâ horâ à Martyre excitatus ad Oratoriũ se contulit. Mater euigilans cùm puerum non inueniret, irâ commotâ eò tẽdit, capillis eum inde abstrahit, verberatum ad lecti spondã alligat, cibos ei denegat. Verùm nocte illa S. Georgius feminæ apparuit, strictoque gladio irruit aduersus illam minabundus, &, Abscindã, inquit, tibi caput, quia puerũ cædis, & ad me ire prohibes. Iurãte illa se id amplius non impedituram, remisit minas, atque discessit è somno igitur excitata, soluit puerum, blandis eum verbis orans ne sibi succenseat quòd vapulasset: & ex ipso quæsiuit cuius fretus auxilio sic ante lucem prodiret: ex cuius responso agnouit eum esse S. martyrem Georgium, quem in quiete conspexerat.

§. 17. *Idem eundem dæmonis insidijs eripit.*

QVodam die Gerontij condiscipuli ipsius personam induit diabolus, & super asperam quandam rupem eum adducit, & cùm in locum excelsum conscendisset. Saluatoris illi tentationem obijciens; Si vis, inquit, optime Theodore, virtutis tuæ specimen dare, deorsum desili. at ille loci altitudinem intuitus, respondit: Loci me terret altitudo. Atqui, inquit diabolus, tu solus inter omnes pueros me fortior iam eras, vincebasque me: nunc autem hoc ego non metuo, sed me deorsum proijciam. Caue, respondit Theodorus, ne id facias, ne preceps labaris, & pereas. Illo autem confirmante se id sine periculo facturum: Si tu, inquit Theodorus, id feceris, ego item faciam. Stans igitur diabolus super petram, desilijt, & rectus ad Theodorum clamauit. Ecce, inquiens, ego saltaui; si vales, & tu idem effice, vt videam, v- *Ibidem.*

trum

trum hac item in re, quemadmodum in cæteris ſis generoſus. Puer autem ſaltus magnitudine territus, conſiderabat Gerontium nunquam antea tam audacem fuiſſe. Præſto interim fuit Christi martyr Georgius, apprehenſaque pueri manu, illinc eum abduxit: Veni, inquiens, ſequere me, & ne audias tentatorem illum, qui animam tuam quærit; neque enim Gerontius eſt, ſed noſtri generis inimicus. atque ſanctus Martyr in oratorio ſuo puerum conſtituit.

Rurſus poſt multas aſceticas exercitationes fecerat dæmon, vt in morbum incideret, nec iam moueri poſſet. Verùm ei dormienti S. Georgius aſtitit, & dixit ei: Quis cauſa fuit, fili, vt in morbũ incideres? at ille conſiderans immundum coram ſe ſtantem dæmonem: Iſte, inquit, impurus ac deteſtandus me in morbum coniecit. Martyr verò vehementer dæmonem torquens in fugam conuertit, & apprehensâ Theodori manu: Surge, inquit, & conualeſce; neq; enim ampliùs execrandus iſte dæmon apparebit in conſpectu tuo. Statim igitur puer excitatus, ſurrexit ſanus.

§. 18. *Puerum duodennem cæcum ſanat S. Petrus Archiepiſcopus.*

D'Aſſigni es in Chronicu Ciſtert.

CONuenerant in Normanniæ & Galliæ finibus, S. Petrus, & Ludouicus Rex Galliæ, cum iuniore Anglorum Rege, Comite Flandriæ, aliiſque pluribus, ſanciendi inter ſe fœderis cauſa. Et iam de ſumma rei agebatur, cùm arceri ab ingreſſu, miniſtrorum tumultu, mulierem obſeruauit vir Dei, lacrymis perfuſam, & pro filio ſuo duodenni, ab annis iam ſeptem oculis orbato ſupplicaturam. Quibus ad ſe accitis, rogat ecquidnam velint? Reſpondit puer, quod euangelicus ille cæcus: *Domine vt videam.* S. Petrus nummum ei in manus dat, & ſaliuâ ſuâ digitos illius illinit,

in ver-

in verticem atque oculos crucem exprimit, dehinc Deo preces offert suas. Astabant reges attoniti non cum exigua procerum corona, nec satis: serióne an ioco res ageretur, sciebant, cùm ecce puer; Mater, inquit, quid hoc? videre videor: homines contuor; nummum in manu video. Mater Sancti virtutem agnoscens, ad eius genua accidit, velut ad Dei sacrarium. Rex quoque Galliæ, re penitus explorata atque perspecta, positis genibus, vim diuinam in puero declaratam venerabundus adorauit, & postquam ei verticem atque oculos fuisset demisso animo exosculatus, non indonatum abire permisit.

§. 19. *Dagobertus adhuc puer, ceruæ doctus exemplo, ad asylum sanctorum Dionysij, Rustici, & Eleutherij confugit.*

DAgobertus, postquam sibi per ętatem licuit, feras indagare & venari (vt Gallis mos est) pergit. Excitato ceruo cùm longo iam cursu lassus, quetis locum quærit, in vicum quem Catulianum vocant, profugit. In eo vico sacellum erat, vbi condita humo & lapide instrata corpora Beatorum Dionysij, Rustici, & Eleutherij, à suscepto pro Christi fide martyrio, per annos triginta supra quingentos, religiosè colebantur: eò (cum patens sacellum esset) se ceruus proripit, soloque decumbens, quieti se mandat, insequentibus crebris latratibus ceruum canibus: cùm ad sacellum venissent, ceruo conspecto frequentiore latratu perstrepentes, nulla eis, sed nec ipsis venatoribus, in sacellum irrumpēdi facultas fuit, suam ædem tuētibus viris sanctitate spectatissimis. ea res per vicina loca perlata, locum veneratiorem fecit, & Dagoberto admiratione͂ simul & pietate͂ cumulauit. Mortua per id tempus Bergedruda Clotharius Sichildem accepit, vnde processit Haibertus. at Dagobertus

Gagninus de Fräcorum Regū gestis l. 3.

gobertus

gobertus cum præceptorem qui eum ſæcularibus ornatum redderet inſtitutis, à patre accepiſſet, quem Aquitaniæ ducatu pater donauerat, intellexit non rudis adoleſcens quantum Sadrageſillus (id enim nomen erat Pędagogo) propter acceptã à patre dignitatem ſuperbiret, ita vt eum neque ſatis revereretur, neque obſeruaret, vocatum ad conuiuium Sadrageſillum, cùm è regione Dagoberti, velut par illi aſſediſſet, poculumque tanquã ex æqualis manu deſumpſiſſet, iubet eum virgis cędi. Qua accepta iniuria ad Clotharium Sadrageſillus ferè lacrymans procurrit; eam rem pater furente animo excepit. Dagobertumque protinus ad ſe venire iubet. Exaſperatum patrem quia adoleſcens pertimeſceret, non alium fugæ locum quàm ſacellum quò à canibus tutus fuerat ceruus ſecum reputans, eò ſe confert: non minùs præſidij ſibi à Sanctis conferri arbitratus, quàm belluę contuliſſent. Cognito filij perfugio Clotharius Dagobertum inde extrudi; & ad ſe deduci ferociter imperat: id vt facerent adeuntibus ſeruis, cùm propè ad ſacellum minùs milliari conſtitiſſent, tam fixi ſtupenteſque hæſerunt, vt vltra procedere minimè poſſent, quanquam progredi maximè conarentur. Igitur reuerſi quid illis obtigiſſet, patri renunciant, credidit Clotharius fabulamentum eſſe quod narrarent ſerui, veriti ne Dagobertum offenderent; ſecundis, qui pręceptum exequerentur miſſis, par accidit. Nec ſic ab ira potuit temperare ferox pater, niſi & ipſe miraculum experiretur. In ſacello dum ſopori ſe mandaſſet Dagobertus, vidit per quietem tres Reuerendiſſimos viros ſeſe affari; Adoleſcens, inquiũt hi, martyres ſumus, quos multò ſuprà tempore pro fidei veritate mactatos, hoc loco catula ſepeliuit: qui locus quandoquidem non ſatis cultus, decoratuſque eſt, minore nos dignatione populus colit:

Reuelatio Sãctorum Dionyſij & ſociorũ facta Dagoberto.

colit: quare si in te receperis digniore apparatu tumulos nobis extruere, tum securitatem tibi, tũ placatum patrem restituemus:& ne somnio te illudi existimes, si terram vbi delitescimus effodies, optimis characteribus suo quemque nomine cõperies esse signatum. Huiusmodi visione confidentior factus adolescens, se quæ Diui Martyres petijssent impleturum religiose promittit. Ad filium pater cùm indignabundus contenderet, eodem quo serui, stupore, & miraculo perculsus, filio parcit, cumque non multò pòst regni consortio donatum, Austrasiæ præfecit. præter ea quæ citra Arduennam syluam ad Rhemos spectant. Postea pacatis vndique rebus Dagobertus voti non immemor Catulicum vicum petit: & sacrosancta corpora inde exhumari iubet: inscripti erant tituli cuique Mausolæo, quibus alter ab altero sine controuersia erat designatus. ea in conditorio (quod fabre fieri Rex mãdauerat) reponi ad tempus imperat, tãdem magno sumptu cùm templum exædificasset (quod & solido argẽto tectum erat) eò transferri corpora, aureo feretro gẽmisq; ornato instituit: annuis insuper prouentibus ad sacerdotum & ministrorum templi alimoniam designatis. Et ne minus ornamẽti interiùs locus haberet, tapetes quoque vnionibus & gemmis varijs intextos, quibus interior paries tegeretur, attribuit; adeo gratissimus Diuis Martyribus patronis suis Dagobertus fuit. inopum pręterea curam nõ omittens recõditorium proximè aram maiorem templi argenteum apponit, vbi quæ Diuis donaria martyribus offerrentur, reposita sacerdotes egenis impartirent.

Voto se exoluit religiosus Princeps.

§. 20. *Puer Damasi Papa precibus ex baptismali fonte, in quem deciderat, educitur.*

SAbbatho Paschalis festiuitatis, cùm compressio magna esset, baptismi tempore puerulus è mani-

Baron. to. 1. an. 38.

manibus geſtãtis hominis lapſus, ad imaque fontis, quem ipſe Damaſus extruxerat, delatus, ab omnibus deploratus eſt, vt mortuus: cùm autem Damaſus oculos ad cælum eleuaſſet, ac pro ipſo oraſſet, poſt horæ ſpatium puerulus, iuſſu Damaſi, ex profundo aquarum vix eductus, inuentus eſt prẹter ſpem & expectationem omnium viuus ſanuſque, vt antea erat. *Hæc in actis Damaſi narrantur, accepta ex ſermone habito in eiuſdem depoſitione.*

§. 21. *Sanctus Nicolaus Theodatum puerum ex ſeruitute liberat.*

Ex legẽda aurea.

QVidam vir diues, meritis B. Nicolai, filium habuit, quem Theodatum vocauit: hic Sancto Dei capellam in domo ſua conſtruens, omni anno feſtum eius ſolẽniter celebrauit. erat autem locus ille ſitus iuxta terram Agarenorum. Theodatus ergo quadam vice ab Agarenis capitur, & in ſeruitutem regis eorum deputatur. Sequenti anno, dum feſtum S. Nicolai pater eius deuotè celebraret, & puer ſcyphum precioſum tenens Regi aſſiſteret, recolit ſuam captionem, parentum dolorem, & gaudium quod in domo ſua ea die fiebat. cœpitque altius ſuſpirare; quorum ſuſpiriorum cauſam dum Rex minis extorſiſſet, ait Rex. quidquid tuus Nicolaus agat, tu hic nobiſcũ manebis: & ſubitò facto vehementi vento totamque domum concutiente, puer cum ſcypho rapitur, & ante fores Eccleſiæ, vbi parentes agebant ſolennia, collocatur, & magnum gaudium omnibus generatur.

§. 22. *S. VVinvvalocus puer, ſororculæ effoſſum ab anſere oculum mirificè reponit.*

Surius 3. Martij.

ERat S. Winwaloco, ſoror vnica, domi patris, puella tenerrima: huic die quodã cum puellis coëtaneis puerili ſe ludo oblectanti, repentè anſer vnus e domeſticis excuſſit oculũ, & deglutiuit.

tiuit. Mox autem dolor ingens puellum obtinuit, parentes tristitia: quorum misertus Deus, per Angelum suum, rem gestam Winwaloco indicauit, iussitque eum ire ad paternas ędes, & sorori oculum, parentibus verò animi iucunditatem restituere. Eâdem nocte surgit, veniensque inuenit valde perturbatos, iubetque (vt ab Angelo edoctus erat) anseres coram se adduci, ex ijsque vnũ apprehendit, eiusque ventrem ferro secans, oculum sororis integrum inde extraxit, restituitque in locum pristinum. Porrò anserem sanum abscedere iussit ad gregem suum.

§. 23. *Eleutherius Abbas dæmoniacum sanat.*

QVadam die, cùm iter caperet Eleutherius, facto vespere ad Monasterium Virginum declinauit, in quo puer paruulus erat, quem malignus spiritus omni nocte occupare consueuerat. quem ea nocte Sanctimoniales ad iacendum cum Eleutherio posuerunt: factoq; manè, cùm illę Moniales requisijssent Abbatẽ, an aliquid ista nocte puero contigisset, illeque de tali interrogatione miratus, nihil ei contigisse responderet, causam viro Dei aperuerunt, rogantes eum, vt puerulum secum ad monasterium tolleret, quia iam de cętero vexationem eius ipse videre non posset. Ductus ergo ad Abbatis cœnobium, cùm dudum ibi fuisset, nec dæmon ad eum accedere præsumpsisset, animus viri Dei de pueri salute immoderatiùs per lætitiam tactus est. & die quodam coram fratribus dixit, quod diabolus cum illis sororibus iocabatur. Vbi verò ad seruos Dei ventum est, ad puerum accedere vlteriùs non præsumpsit. Post hęc verba, horâ eâdem ac momento, coram multis fratribus puer à Dæmone vexari cœpit, statimque vir Dei se in lacrymas dedit, fratribusque, vt orarent, præcepit; protestans, quod nullus ea die

Petrus de Natal. in Catal. lib. 8. c. 45.

panem

panem gustaret, nisi priùs Dominus puerum liberaret, & eo vsque oratum est donec puer à vexatione sanaretur. Ad quem de cætero malignus spiritus áccedere non præsumpsit.

§. 24. *Puerulum ruina parietis contritum, sanat S. Benedictus.*

D. Gregor. l. 2. Dial. c. 11.

DVm fratres parietem, quia res ita exigebat, paulò altiùs erigerent, vir Dei Benedictus in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur, cui antiquus hostis insultans apparuit, & ei quod ad laborantes fratres pergeret, indicauit. quod vir Dei per nuncium celerrimè fratribus indicauit. dicens: Fratres, cautè vos agite, quia ad vos hac horâ malignus spiritus venit. is qui mandatum detulit vix verba compleuerat, & malignus spiritus eundem parietem qui ædificabatur, euertit, atque vnum puerulum monachum, cuiusdam curialis filium, ruinâ contriuit. Contristati omnes, ac vehementer afflicti, non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili Patri Benedicto celeriter cum graui luctu nunciarunt. Tunc idem Pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri iubet, quē portare non nisi sacco potuerunt, quia collapsi saxa parietis, non solùm eius membra, sed etiam ossa contriuerant: præcepitque vir Dei statim eum in cella sua, in psyacio, quo orare consueuerat, proijci, missisque foras fratribus, cellam clausit, qui orationi instantiùs quàm solebat incubuit. Mira res, eâdem hora hunc incolumem atque vt priùs valentem, ad eundem iterum laborem misit, vt ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cuius se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset.

§. 25. *Eutychius puerum aridum sanat, Eucharistia, oleo, & pane benedicto porrecto.*

EST oppidum quoddam nomine Zala, ipsi metropoli Amaseæ propinquum. Quidam inde profecti, quadrimulum puerum ad sanctum virum Eutychium adduxerunt. Hic nihil aliud nisi ex matris vbere nutrimenti paululum capiebat. erat autem propè carnis & corporis expers, neque calorem vllum habebat: sed tanquam spica vento corrupta, quæ nondum creuerit, exilem quandam & inanem granorum & aristarum speciem habet, sic & ille puer videbatur. Potuisses autem omnes illius costas, & neruos, & ossa numerare. Hunc vir Dei magnus cum adspexisset sic exsiccatum & parentes illius dolore tabescentes, Dei, qui ea quæ non sunt, facit vt sint, implorans auxilium, totum pueri corpus inunxit oleo precioso, & sanctam communionem impertiuit; cumque panem communem benedixisset, parentibus dedit, præcepitque vt mero panem illum intingerent, pueroque prçberent. Quod illi cum fecissent, voti compotes facti sunt. *Baron. to. 7. an. 564.*

§. 26. *S. Hugo praacutam lamina ferrea partem, è pueri gutture excutit.*

S. Hugoni Præsuli Diocæsim suam peragranti in vna villarum occurrit mulier mœsta & lacrymosa, infantem vlnis complexum tenens: & procidens ad pedes almi Pontificis: Tu, inquit, ille es, quem meus frater, Domino reuelante in somnis vidit, huc hodie vẽturum, & puerũ hunc meũ ocyus curaturum! Nunc igitur miserere pereũtis paruuli, miserere moriturç matris. Cũq; Episcopus peteret quid mali contigisset infantulo, illa respõdit: Vide Domine mi, quãtùm guttur omne huius intumuit; ante hos paucos dies hic meus infãtulus partem laminæ candẽtis cùm reperisset nesciens *Dorlandus in Chron. Carth. l. 3. c. 9.*

 quid

quid esset, ori immisit, quæ in guttur descendens, nulla poteſt arte extrahi. Miſſus igitur huc à Deo tuo, reſtitue matri filiũ in ſupremo iã funere conſtitutum. Tum ille, vt erat clementiſſimus, manu ſua ſancta guttur leuiter attrectauit, & inſufflans ori eius, benedictionem impreſſit, & ſanum alacremque reſtituit: repētè enim puer ferrum cum sãguine euomuit, & ſumpto cibo refocillatus eſt.

§. 27. S. *Placidus puer fluctibus eripitur.*

Ex S. Greg. l. 2. Dial. c. 7. Surius 5. Octob.

Hauſturus aquam Placidus ceciderat in lacum & iam procul vndis auehebatur, cùm S. Benedictus Deo reuelante admonitus, Curre, ait, citò Frater Maure, nam puer Placidus in lacũ cecidit eũmque longiùs vnda trahit. Ille benedictione accepta dicto audiens (res mira, & poſt Petrum inaudita!) pergit fide plenus, terram vndaſque calcat ſine diſcrimine, & puerum capillis apprehenſum reducit. Tum velut ſomnio diſcuſſo factum obſtupuit totumque in S. Patris benedicti virtutem coniecit, ille in cæcam eius obedientiam.

§. 28. *Puer S. Franciſci inuocatione ſaluus eripitur.*

D. Bonau. in vita S. Franciſci c. 25.

In burgo Celano latebat vetuſtiſſimus puteus vepribus obtectus: in illum puer incautè ludẽs cùm decidiſſet, quamquam aquæ ad cubita octo aſcẽderent, in ſuperficie reſedit incolumis, perinde ac ſolo: ob id quod illabens in caſum dixerat: *Adiuua me S. Franciſce.* ergà quem iam parentum ſtudio probè fuerat pietate imbutus: acceſſit miraculo aliud: nulli fuerat agnitus pueri caſus, & iã alibi à ſuis quærebatur: præterlapſo tandem temporis interuallo, ad maiorem miraculi fidẽ, incidit cuidam in mentem, fortè in puteum puerum decidiſſe: eò itum eſt: inuentus ibi ſedens in aquæ ſuperficie incolumis.

§. 29. *Puer in prærupta valle repertus est incolumis.*

DVm multi ad Marium religiosâ deuotione concurrerent, atque arcta esset semita, quæ in deuexo montis latere ad eius cellulam properantes ducebat, puer paruulus incaute gradiens, ex eodem monte cecidit, & vsque ad vallem corruit, quæ sub monte eodem sita quasi in profundo conspicitur. In loco quippe eodem tanta mons ipse altitudine excreuit, vt arbusta ingentia quę ex eadem valle prodeunt, ex monte aspicientibus quasi fruteta esse videantur. Perturbati itaque sunt cuncti qui veniebant, summaque cura quæsitum est, sicubi corpus elapsi pueri potuisset inueniri: quis enim aliud nisi extinctum crederet? quis vel corpus ad terram integrum peruenisse suspicaretur, dum interpositis vbique scopulis in partes discerpi potuisset? Sed requisitus puer in valle inuentus est non solum viuus; sed etiam incolumis. Tunc cunctis patenter innotuit quod ideo lædi non potuit, quia hunc in casu suo Marij oratio portauit. *D. Gregor. l. 3. Dial. c. 16.*

§. 30. *Sidonius Abbas puerum quem defunctum ignorâbat, data benedictione dimisit à se viuum.*

ABbas Sidonius cum habitaret in monte in quo erat S. Antonius reclusus, quidam sæcularis ad eum cum filio proprio, percipiendæ benedictionis gratiâ, properabat: contigit autem vt infans moreretur in via; quem pater sine vlla perturbatione mentis sublatum, cum fide portauit ad Senem, ingressusque cellulam, tam se quàm infantem proiecit in terram; vt est moris postulantium benedictionem. Oratione autem expleta, exurgens pater, egressus est, filij corpusculo derelicto ante pedes Abbatis: quem cùm adhuc Senex orandi causâ iacere speraret, *Surge*, inquit, *fili*, *&* *Ex vitis PAtrum 2. p. §. 113.*

egredere; defunctum enim esse nesciebat: confestimque puer exurgens egressus est. Cumque vidisset pater eius, obstupuit, regressusque in cellulam, adorato Sene, tam causam filij quàm luctum cum fide narrauit. sed Senex valde mœstus effectus est: non enim à se quicquam tale volebat audiri factum; sed per discipulum suum homini illi, ne cuiquam, vsque ad transitum suum, hæc diceret, imperauit.

§. 31 *Puer dæmoniacus sanatur.*

Beda in vita S. Cuthberti ca. 41.

Contigit puerum quendam in territorio Lindisfarnensium atrocissimo dæmone vexari, ita vt sensu rationis amisso clamaret, eiularet, & vel sua membra, vel quidquid attingere posset, morsib. dilaniare niteretur. Missus est ad energumenum Presbyter de monasterio, qui cùm solitus fuisset per exorcismi gratiam immundos fugare spiritus, huic tamen obsesso nihil prorsus prodesse valebat: vnde dedit consilium Patri illius, vt impositum carro puerum ad monasterium deferret, atque ad reliquias Beatorum Martyrum quæ ibi sunt, Dominum pro illo precaretur, fecit vt monuerat, sed noluere sancti Dei Martyres ei petitam reddere sanitatem, vt quàm celsum inter se locum Cuthbertus haberet, ostenderent. Cùm ergo insanus vlulando, ingemiscendo, & frendendo dentibus nimio cunctorum visus & auditus horrore concuteret, nec esset qui aliquod remedij genus excogitare quiuisset, tum ecce quidam de Presbyteris edoctus in spiritu per opitulationem B. Patris Cuthberti, illum posse sanari, venit clanculum ad locũ, vbi nouerat fusam fuisse aquam, qua corpus eius defunctum fuerat lotum: tollensque modicam humi particulam, immisit in aquam, quam deferens ad patientem, infundit in ore eius. Quo horribiliter hiante, voces

diras ac flebiles emittebat, statim autem vt attigit aquã, continuit clamorẽ, clausit os, clausit & oculos, qui sanguinei & furibundi patebant: caput & corpus totum reclinauit in requiẽ. qui etiam placido sopore noctem transegit, & manè de somno simul & vesania cõsurgens, liberatum se à dæmomonio quo premebatur, B. Cuthberti meritis & intercessione, cognouit.

§. 32. *Puer submersus, ad sepulcrum S. Suiberti, riuixit.*

GOcellinus nobilis Archiepiscopi Coloniensis ex sorore nepos, puerulus adhuc, dum Rhenum traijceret incautiùs, nauigio elapsus, demersus est, nec vlterius visus: ac post decimum quintum diem ex aquis eductus, oblatusque sepulchro S. Suiberti, repertus est viuere.

Lugderus in epist. ad Rixfridum Traiecten. Episc c. 10. Sur. to. 2.

§. 33. *Comitis Addi filiolus morti eripitur.*

VIr sanctus, Ioannes Hagustaldensis Ecclesiæ Præsul vocatus ad dedicandam ecclesiam Comitis vocabulo Addi, cùm postulatũ complesset ministerium, rogatus est ab eodem Comite intrare ad vnum de pueris eius, qui acerrima ægritudine premebatur, ita vt deficiente penitus omnium membrorum officio, iam iamque moriturus esse videretur. Cui etiam loculus iam tunc erat præparatus in quo defunctus condi deberet. Addidit autem vir etiam lacrymas precibus, diligenter obsecrans, vt intraret oraturus pro illo, quia multum necessaria sibi esset vita ipsius. crederet verò quia si ille ei manum imponeret, atque eum benedicere voluisset, statim meliùs haberet: intrauit ergo illò Episcopus, & vidit eum, mœstis omnibus, iam morti proximum, positumque loculum iam iuxta eum in quo sepeliẽdus poni deberet. Dixitque orationem, ac benedixit eum, &

Beda Anglicana historia. l. 5. c. 5.

 egre-

egrediens, dixit solito solantium sermone: *Bene conualescas, & cito.* . Cumque post hæc sederent ad mensam, misit puer ad Dominum suum, rogans sibi poculum vini mittere, quia sitiret. Ganisius ille multùm quod bibere posset, misit ei calicem vini, benedictum ab Episcopo; quem vt bibit surrexit continuò, & veterno infirmitatis discusso, induit se ipse vestimentis suis, & egressus inde, intrauit, & salutauit Episcopum & conuiuas, dicens quod ipse quoque delectaretur manducare & bibere cum eis. Iusserunt eum secum sedere ad epulas, multùm gaudentes de sospitate illius. residebat, vescebatur, bibebat, lætabatur, quasi vnus è conuiuis.

§. 34. *Cheremonem, Cratonis filium, sanat S. Valentinus.*

Surius 14. Febr. Beda, & alij.

ORator vtriusque linguæ Craton filium habuit Cheremonem, quem contigit in grauē incurrere ægritudinem, vt omnes medici qui Romæ erant succurrere se ei posse negarent. Audiēs autem S. Valentinum Episcopum miraculis celebrem, eius opem cœpit implorare. Cui Valentinus dixit: Tu si vis, curabitur; hoc est, si credideris in Deum meum. Tunc Craton vocauit cōiugem suā cū omni familia, & prostratus pedib. eius, promisit, si ille saluus foret, omnes credituros in Christum. Tunc S. Valentinus iussit sibi cubiculum preparari, & vnius diei atque noctis silentium fieri, & clausit ostium super se, & puerum Cheremonem, qui iam triennio, ita toto corpore incuruus, complicatus atque glomeratus iacebat, vt caput inter genua defixum haberet, nec vlla pars corporis sua libertate frueretur, erant enim eius brachia simul & crura contorta, nec vllus medicorū scire potuit quo nomine is morbus appellaretur. Porrò S. Valentinus, vir Dei, fide plenus, clau-

so, vt diximus, ostio stratoque humi cilicio tulit puerum Cheremonem de lecto, & reposuit seminecem in eo cilicio, in quo ipse orare consueuerat, & per totam noctem in Dei laudibus & oratione manenti lumen circa mediam horam noctis tantum apparuit, vt hi qui in spectaculis erant circa cubiculum, putarent intus flammam accendi. Sed spatio horę vnius transacto, surgens sanissimus puer, simul cœpit voce clara in Dei laudibus incolumis concrepare. Audientes autem parentes illum Domino canere, cuius per tres annos solùm gemitum audierãt, mugitumque reddentem, omnes simul gaudentes, fores vt reseraret ęis, S. Valentinum exorant. At ille dixit: Nisi compleuero statutum orationis numerum, & hymnorum, non vobis aperiam. Sed cùm iam aurora finẽ nocti imponeret, S. Valentinus reserat claustra cubiculi, & Cheremonem parentibus, ac si nihil perpessus fuisset ab omni ægritudine liberum assignat. Tunc Craton cum coniuge, & omni domo sua credidit, & baptizatus est, Cheremon vt vestigia S. Valentini relinqueret nulla potuit ratione adduci.

§. 35. *Sanatur puer ob parentum furtum punitus.*

INiusti parentes quidam à cane rabido percussum filium, & pene moriturum obtulerunt viro Dei Ammoni Ægyptio, & euigilantes deprecabantur, vt curaretur. Tum ille ad eos: Non eget, inquit, mea curatione; sed vos, si vultis reddere bouem, quem rapuistis, dominis suis, ęgrotus repentè sanabitur. quod etiam contigit: nam vt restitutus est bos, passio mox recessit à puero. *Hist. trip. l.1. c.11.*

§. 36. *Puer Adam à sanctis visitatus, conualescit.*

ADam monachus de Lucka in quadam conuentuali Ecclesia Saxonię, quę Bucka dicitur *Cæsarius l. 8. c. 74.*

tur,ſcholas frequẽtauit, cũque in cæmiterio multi lateres eſſent repoſiti ad fabricam oratorij, ipſe ſicut puer, vnum ex eis tulit,& in eo ſculpere cœpit; quod cùm magiſter eius vidiſſet,terruit eum, dicens; Depone laterem,quia excõmunicatus es. Ad quod verbum puer territus, mox cœpit infirmari: cumque inualeſcente morbo ad extrema deueniſſet, & iam morituro data candela fuiſſet in manum, duos Pontifices ſcilicet B. Nicolaum & S.Paternianum præfatæ eccleſię patronum corã ſe aſtare vidit & agnouit.Stabant autem in habitu Põtificali, & in claritate magna,dixitque ad S.Paternianum S. Nicolaus. Vis vt tollamus puerum nobiſcum? reſpondit ille: Non, quia in alio ordine morietur. Sicque diſparuerunt:eâdem horâ puer conualeſcens ſurrexit, & magiſtro eius, qui præſens fuerat tunc temporis, miraculum diuulgante, in eccleſia eſt compulſatum, & ad honorem tantorum Pontificum *Te Deum laudamus* decantatum.

§. 37. *S. Huberti patrocinio Lindanus adhuc puer a Cane rabido ſeruatur.*

Vvilielmus Lindanus Epiſc. Ruremundenſis l. 2 c. 2. de fugiẽdis idolis. Arnoldus Hauenſis l. 2. c. 1. comment. rerũ à ſac. Præſulibus in Belgio geſtarum qui etiam duo alia de eo dẽ refert.

VNum illud ingratæ obliuioni tradere mihi foret religio, quod ex religioſa parentũ meorum pietate mihi puero ex ſingulari B. Huberti patrocinio & certo pręſidio accidiſſe, vicini noſtri meminerunt non pauci. Rabidum agitabant canem ciues Dordraceni qui per compita obuios ſuo venenato morſu momorderat. ille perſecutorum plagas, lapides, & clauas fugiens, ædes paternas tranſcurrebat. Quotquot illum accurſitantem, turbamque inſequentem videbant, aufugerunt; ego in plateâ publicâ meis cum æqualibus ludens, periculi ignarus perſtiti, pueriliter admirans tantam hominum turmam accurrere armatam, acclamant, diſcedam de via.

via. Verùm priusquam ego me subtrahere potui, ille ore rabido frendens, capite in terram pendulo, flammantibus, instar lampadum oculis, exertâ linguâ spumans, caput agitans iuxta me innoxius transijt, totâ spectantium coronâ obstupescente, quod me obuium, & tam vicinum, intactum prætercurreret, cum alijs aliquot occurrentibus suum virus venenato morsu infudisset. Domum reuersus audiui parentes immortales Deo gratias agentes, quòd me D. Huberti tutelâ & precibus malo tam præsenti eripuissent: nam ob similia pericula euitanda, quæ tunc temporis non erant infrequentia; curârat pia mater nos, totamque nostram familiam fraternitati B. Huberti inscribendos. Vnde quotannis cum sacræ eius reliquiæ illuc de more adferebantur, solebat oblationem facere, atque imaginem eius depictam, contactu sanctarum reliquiarum sanctificatam, honesto loco per ædes colere, *&c.*

§. 38. *Sanctus Mauritius puerum miraculosè seruat.*

IN eâ vrbe Brasiliæ quæ à S. Spiritu nomen habet, quo die maxima festiuitatis signa publico ritu edebâtur in honorem sancti Mauritij (cuius reliquiæ in templo Societatis IESV asseruantur) puer qui sublimè conscenderat spectandi gratia, repentino casu deuoluitur in subiectam saxorum congeriem: accurrunt non pauci contritum autumantes, sed, mirum dictu? prorsus illęsum reperiunt, adeo ne collideretur, manus suas ruenti supposuerat B. Mauritius, quem in ipso casu puer inuocârat. Cuius quidem beneficij vt aliquod extaret signum, rubicunda quædam linea in summa cute relicta est, quæ corpus perpetuò circumcingeret, ac veluti circinaret.

Petrus de Iarric. in hist. Indiæ orient. to. 2. c. 30. anno 1589.

§. 39. B.

§. 39. *B. P. Xauerius puerum resuscitat.*

Horatius Tursellin. lib. 2. c. 7. vitæ eius.

PVnicale oppidum est in orâ Commorinensi, haud sane ignobile. Hic Christiana mulier B. Franciscum adijt; & flens, & suam orbitatem deplorans, suppliciter obsecrabat, vt ad paruum filiũ suũ nuper in puteo extinctũ accedere ne grauaretur. Tum ille negans puerum esse mortuum, bono esse animo mulierem iubet, eique protinus morẽ gerit. Ad eius tecta vbi ventum est, procumbit in genua, Deum aliquamdiu precatus, exanime pueri corpus signat cruce. Extemplo exilit puer e feretro non viuus modò, sed etiam valens. Enimuero circunstantes Christiani obstupuere, & miraculum clamitare. At Xauerius enixè eos obtestatus vt rem omni ope tacerent, repentè inde se proripuit.

§. 40. *Puer reliquijs B. Aloysij Gonzagæ à morbo incurabili bis curatur.*

Virgilius Ceparius vitæ B. Aloysij lib. 3. c. 3.

IOanni Baptistæ Philippino Romano filius erat admodum puer, cui nomen Ioanni Francisco. is tum febri hecticą, qua annum propè laborârat, miseris modis consumptus, atque afflictus, tum verò altero etiam morbo, elephãtiasi, seu lepræ persimili, qui nocte dieque eum inquietabat, in vltimum discrimen adductus erat. Nullo, præterquam lacte, vtebatur cibo, neque vllum medicamentum ex omnibus, quę medici complura sunt experti, vnquam respondit. Accessit ad hæc diarrhoëa adeo infesta, vt Medicus abiectâ omni spe noxæ quam illa attulisset, resarciendæ, ratus mortem effugere nonposse, ad eum venire desineret. Pueri pater in tanta pręsidiorum naturalium inopia, ad diuina confugit: ergo cum præ manu illi esset dens B. Aloysij, eum puero de collo suspendit: ille eodem die pultem esitare, morbus

bus inclinare, pectus detumescere cœpit, ac denique febri, cæteraque omnia aduersâ valetudine soluta, mirantibus medicis, integritas consecuta est.

Porrò quo hoc esset illustrius, placitũ est Deo, vt eidem puero aliud præterea miraculum contingeret: etenim altero post hæc mense, in malignam febrim relabitur, collum turgescit, exanthematis obseritur, in tibia duo carbunculi enascuntur vsque eò pestilentes, vt eos conspicatus Medicus, confestim puerum pro deposito duxerit, matremque eum quàm longissime ab se habere iusserit. eam enim in ijs contagionis vim esse, vt quamlibet valentem hominem intra quatuor & viginti horarum spatium de vita exturbare præsentes sint. Pueri pater iterum ad eum, quo volenti propitio iam visus erat se recipit, atque voto vnà cum coniuge pro filij salute concepto, reliquias sacras iterum adhibet. Postero die redit medicus, exquirit iámne vixerit: parentes videre, visitat puerum; comperitur febrim omnino discessisse, cæterique morbi sæuitiam discussam esse. Rei nouitate attonitus, cùm in crucis modum se signasset, ita discessit, vt negaret esse quod pręterea curãdi causâ reuerteretur. Pharmacopola item experiens, qui pridie vnà cum Medico ægrum inspexerat, admiratione perculsus, cùm manum ad frontem extulisset, ad terram vsque submisit, nimirum quod aiebat, vt crucis nota, miraculi magnitudini responderet. At postquam de voto facto cognitum est, nemini obscurum fuit quin tantæ rei gloria B. Aloysio tribuenda esset, puer ad eius tumulum deductus, tabella ex voto posita est. Quibus de rebus instrumentum factum, cui suum testimonium duo Medici & Pharmacopola ille adscripserunt.

§.41. *Item*

§. 41. *Item alius à dæmone obsessus.*

Ibidem. BEnedictus Rudolphus Nobilis Florentinus, cùm esset septemdecim mensium, fascinatus (vt verisimile est) à malo genio obsideri cœpit, fuitque in eius potestate ad annum vsque ætatis vndecimum. Itaque cùm antea bellè habitus venustus, nitidus esset, postea corpore pallido, macilento, manco, gibboso, contracto, adhæc morosus, & suprà quàm credibile sit iracundus fuit. Quoties à Patre vapulabat, oculis horribilem in modum ardere, se ipse crebrò cædere, caput muro impingere, in terra volutari: matrem vt se enecaret, orare: in aquam præcipitem se dare, alijsque modis vitam sibi adimere conari: docili quamuis esset ingenio, doctrinæ tamen Christianæ capita ægerrimè discere: prætereunte supplicantium pompâ, in qua Diuorum reliquiæ ferrentur, ad fenestram contineri non posse, vociferari, turbari, & iam grandiusculus se proripere: non rarò supra ætatis captum dicere: nonnunquam etiam à dæmone tantillus puer ad sermonis, gestuumque obscænitatem impelli. Principio, ignotâ adhuc vi mali, Medicis curandus erat traditus, sed nihil profectum est. Comperto dæmonis furijs agitari, sacræ preces ad eum expiandum crebrò adhibitę, & deductus ad ædem D. Virginis Matris, quæ Mõtis humani haud procul à Pistoria, magno energumenorum concursu celebratur: frustra vtrumque fuit. Anno M. DCV. mense Decembri cum ab importuno genio solito grauius vexatus esset, commemorauit matri, manifesto obiectam sibi Christi Crucifixi speciem, duobus Sacerdotibus latera stipantibus, quę bono animo esse iuberet, in breui liberatum iri. Mater duos illos Sacerdotes, Beatos è Societate IESV viros, Ignatium & Xauerium interpretata, eorum reliquias quærit, nec reperit

reperit. Vbi verò didicit Violanti Mediceæ lectissimæ feminę non-nihil esse de reliquijs B. Aloysij, eas impetrat, puerique collo alligat. Vix admotæ erant, cùm ille vehementi motu concuti, ingentique clamore, vti eas auferrent, flagitare, quòd earum contactu vndiq; vri se diceret. at qui aderant, vi retinere adigunt, dum Sacerdos deuouēdi gnarus accerseretur, quē inter execrationes reliquijs item illis vti iusserunt, qua re in libertatem vindicatus est: nam cùm Sacerdos inter expiationis ritus Beati reliquijs alias atque alias pueri corporis partes contigisset, neque vsquam dæmonem comprehenderet, tādem excessisse suspicabatur; ad extremum in sinistro brachio prope manum, latitantem cum ostendisset, superimpositis reliquijs abire compulit, puero semianimi relicto. singularis tamen eius quies, & tranquillitas fuit, cui item postea semper cōstitit, ac dum hęc mandamus litteris, etiamnum constat. Puero mirifica in B. Aloysium pietas hæsit, matremque orauit, vti se studijs tradat atque educet, vt aliquando Societati aggregatus B. Aloysio in loco filij esse possit. Hisce de rebus omnibus, authoritate Archiepiscopi Florentini fide publica litteræ consignatæ sunt.


§. 42. *S. Catharina ope rupta rosarij fidicula puero colligatur.*

Ex litteris Soc. prou. Germ. sup. an. 1596.

INstituta fuerat 40. horarum supplicatio, & magnus populi ad nostrum templum vndique confluentis erat concursus; quo tempore accedit puero Nobili res plena quidem festiuitatis, sed miraculi euidentiā relatu non indigna. is tenera ætate infimæ scholæ discipulus cum æqualibus & maioribus per vicem suam in templo precationi dabat operam. precando iam tertium rosarium percurrerat, cùm ecce tibi, minùs aduertenti rosarij fidiculâ diruptâ, globuli precatorij dissiliunt, dissipan-

dissipantur: omnes tamen in tanta hominum multitudine, præter superius frustulum crucis, colliguntur; conduntur in peram. Non ita multò pòst, puero venit in mentem in honorem sanctæ Catharinæ, Studiosorum patronæ, quartum addere rosarium. sed priore casu tristis alias precationes è libello precatorio recitare constituit, quem cùm detrahit de pera, vnà rosarium cum globulis omnibus ordine insertis extrahit, vt summa tantũ Crucis pars quæ reperta non est, desideraretur. ipsa fidicula quâ parte rupta erat, concinno colligata nodo apparuit. Credibile est gratam fuisse Cælicolis, imprimisque D. Catharinę innocentis pueri pietatem; incitamentum illi ad maiora: & cùm de totius rei veritate dubitarent nonnulli, factâ à multis accuratissimâ disquisitione, nullus est plane suspitioni locus relictus.

Vide huiusmodi alia tria in vita S. Hermanni apud Sur. 7. Apr. in fine. vide etiam aliud p. 3. c. 1. §. 2. & 4. aliud p. 3. c. 2. § 11 Infanti bis à Medicis deposito bis quoque sanitatem confert B. Aloysius Gonzaga vita l. 3. c. 7.



CAPVT VIII.

PVERORVM HONESTA EDVCATIO.

QVANDO de ijs obsequijs egimus quę pueris exhibent Cælites, sequitur vt quid eis ab hominibus quoque accedat auxilij dispiciamus: Imprimis verò est educatio, quam accuratam esse, atque honestam oportet, vt etiam cum lacte nutricis

tricis virtutem suxisse, & probos ab ipsis incunabulis mores per omnem posteà ætatem retinendos, priùs quàm balbutire scirent, didicisse videantur. Rectè diuinus Plato admonet, ne ineptis atque anilibus nutricum fabulis inficiatur puerorum ætas adhuc tenera, & quæ celeriter imbibit cuncta tæstę recentis in morem, retinetque tenaciter. Ideo Iuuenalis ait: **Plato l. 1. de rejub.**

Maxima debetur puero reuerentia: si quid **Iuuen. Sat. 14.**
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos;
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Et Xenocrates aurium munimenta pueris, potiùs quàm Athletis applicari iubebat, quod horum aures verberibus, illorum mores verbis peruerterentur. Nec verò mirum videri debet, si infantulorum animis solicitè prospiciendum sit: nam si corporis mẽbra (vt obseruat Plutarchus) **Plut. l. de Educat.** statim ab ipsis natalibus infantis fingũtur ab obstetricibus vt recta adolescant, nec distorqueantur; an non etiam inde ab initio ipsa indoles informanda diligenter erit? Certè nulla est natio tam remota, nulla gens tam barbara quin tritum illud nouerit, obseruetque. *A teneris assuescere multùm est.* Quod spectasse videtur Psammeticus Rex, quem scribit Athenæus pueros educari curasse **Athenæus l. 8. c. 6.** alios sine potu, qui Libiæ deserta aliquando penetrarent; alios solis piscibus, qui Nili fontes scrutarentur. Hinc est etiam quod Iapones in lucẽ editi, vel hyeme summâ protinus lauãdi ad flumina deferuntur: ab vbere quasi auulsi venatu exercentur, & procul à matre & nutrice locis habentur asperis, ne molli educatione infringantur animi. Malabares quoque Naiares penes quos rei **Maffeius hist. Ind. l. 1.** militaris est cura, vt septimum circiter ętatis annum attigêre, teneri corpusculi neruis diu multumque distentis, laxatisque compagibus, adhibita frequenti vnctione sesamini olei, per aliptas peritissi-

peritiſſimos ad agilitatẽ pene incredibilem perducuntur: itaque velut exoſſes artus omnem in partem arbitratu ſuo extorquere, ſaltus retrorſum æque atque in aduerſum edere longiſſimos, & in lucta varios nexus pariter implicare, atque explicare condiſcunt. Sed exercitationes hi bellicas ſpectant quibus tanto digniores ſunt Lacedæmonij, quanto animi prẹſtant corporibus: apud hos enim quiſquis ex ciuibus liberorum inſtitutionem negligeret, ciuitatis iurium expers erat. apud eoſdem puer caſtigatus, ſi querelam ad patrem detuliſſet, turpe erat patri ſi nõ iterum in filium animaduertiſſet. Indi pueri cibum ſumpturi, adibant Gymnoſophiſtas, & referebant eo die quæ bene feciſſent; qui nihil habebat quod diceret, impranſus ad opus mittebatur. arbitrio tollunt alúntve, ſed eorum quibus ſpectandi infantium habitum cura eſt demandata qui ſi ſegnes. Quid cæteros commemorem? Apud Aquilonares populos in ciuitatibus ac pagis maioribus prẹſertim, in ſacris cœmeterijs legali vſu cautum eſt, atque diligenter obſeruatum, vt quotieſcumque pueri chartis, taxillis, aut aliâ quauis arte pecuniâ depoſitâ ludunt, hos illico miniſtri Præſidis per vim captos & catenatos alligent ſtatuis publicis, ad eorum inſolentiam corrigendam fabricatis. Nequeo tamen hîc prætertire Perſas quorum inſtituta Xenophonte auctore, Zonaras diſertiſſimis verbis ſcribit, ex quibus prẹter cætera colligimus pueros ventitantes ad ſcholas iuſtitiæ diſcendę dare operam apud eos non minùs quàm noſtrates literis capeſſendis ſolent inſudare. An non ergo hæc puerorum cura noſtris Catholicorũ vrbibus meritò ſuſpicienda videatur? qua quidem quid parentibus magis cõueniat, non video, ac patri imprimis, cuius eſt prẹcipuè teneros prolis mores fingere. ita ſentit Ariſto-

Poſſelius in Apophteg.

Alexander Sardus de morib. gẽtium.

Olaus mag. l. 14. c. 26.

Zonaras to. 1 anim.

Aristoteles: *Filium erudire patris est, sicut nutrire, matris.* & rectè quidem; vt enim communis omnium mater, sapphiros gremio suo, amethystos, carbunculos, topazios, smaragdos, sardios, chrysolytos, adamātes producit, sed obscuros ac rudes, quos lōga deinde expolit artificis manus, & ardentes reddit; sic proles rudis adhuc in lucem à matre effusa, nitore virtutum est à patre expolienda, qui quidem nitor non filijs magis, quàm parentibus ipsis afferet ornamētum. Idcirco Cornelia Gracchorum mater, cùm Campana quædam matrona ei ornamenta sua pulcherrima sæculi illius ostenderet, traxit eam sermone, quousque è schola redirent pueri, &, *Hæc*, inquit, *mea sunt ornamenta.* Magno scilicet bene educati liberi sunt parentibus ornamento. Hæc causa fuit cur D. Hieronymus siue vltrò, siue parentum rogatu, de prolis institutione scripserit non rarò lectu dignissima, & imprimis in ea Epistola, quam de educatione Pacatulæ infantis senex scribere non dubitauit. Miraretur virum quasi grauitatis suę oblitum, qui ignoraret non esse contemnenda quasi parua, sine quibus magna consistere non possunt. Lubet eius hic verba, quandoquidem tam apposite ad infantulam sint directa, commemorare; sic enim exorditur:

Arist. Oeconom. l. 1. c. 3.

Val. Max. l. 4. c. 4.

Causa difficilis, paruulæ scribere quæ non intelligit quid loquaris, cuius animum nescias, de cuius voluntate periculosè promittas, vt secundum præclari oratoris exordium spes in ea magis laudanda sit, quàm res. Quid enim horteris ad continentiam, quæ placentas desiderat, quæ in sinu matris garrula voce balbutit, cui dulciora sunt mella quàm verba: audiat profunda Apostoli, quæ anilibus magis fabulis delectatur: Prophetarum ænigmata sentiat, quam tristior gerula vultus exagitat: Euangelij intelligat maiestatem, ad cuius fulgura omnis mortalium sensus hebetatur: vt parenti subijciatur hor-

D. Hieron.

tor, quæ manu tenera ridentem verberat matrem? Itaque l'acacula nostra hoc epistolium post lecturā suscipiat, interim, modo literarum elementa cognoscat, iungat syllabas, discat nomina, verba consociet. Atque vt voce tremula ista meditetur, proponantur ei crustula, mulsa, præmia, & quicquid gustu suaue est, quod vernat in floribus, quod rutilat in gemmis, quod blanditur in puppis, acceptura festinet; interim & tenero tentet pollice fila ducere, rumpat sæpe stamina, vt aliquando non rumpat, post laborem lusibus gestiat, de matris pendeat collo, rapiat oscula propinquarum, psalmos mercede decantet, amet quod cogitur discere, vt non opus sit, sed delectatio, nō necessitas, sed voluntas. Et infrà:

Sexus femineus suo iungatur sexui: nesciat, immo timeat cum pueris ludere. Nullum impudicum verbum nouerit: & si fortè in tumultu familiæ discurrentis aliquid audiat, non intelligat. Matris nutum pro verbis, ac monitis, & prò imperio habeat. Amet vt parentem, subijciatur vt dominæ, timeat vt magistram. Cùm autem virgunculam rudem, & edentulam septimus ætatis annus exceperit, & cœperit erubescere, scire quid taceat, dubitare quid dicat, discat memoriter psalterium, &c.

D. Hieron. Epist. ad Lætam. Ad Lætam verò de institutione Paulæ filiolæ: *Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur: procul sit ætas lasciua puerorum: ipsæ puellæ & pedissequæ à sæcularibus consortijs arceātur, ne quod malè didicerint, peius doceant. Fiant ei literæ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominibus appellentur; ludat in eis, vt & lusus ipse eruditio sit, & non solùm ordinem teneat literarum, vt memoria nominum in canticum transeat, sed & ipse inter se crebrò ordo turbetur, & medijs vltima, primis media misceantur, & eas non sono tantùm, sed & visu nouerit. Cùm verò cœperit trementi manu, stylum in cera ducere, vel alterius superposita*

manu teneri, regantur articuli, vel in tabula sculpantur elementa, vt per eosdem sulcos inclusa marginibus trahãtur vestigia, vt foras non queant euagari. Syllabas iungat ad præmiũ, & quibus illa ætas deliniri potest, munusculis inuitetur: Habeat & in discendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur. Non obiurganda est, si tardior sit: sed laudibus excitandum est ingenium, vt & vicisse gaudeat, & victa doleat, &c. Et infra: *Procliuis est malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imiteris vitia. Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciua, non garrula, habeat modestam gerulam, nutricium grauem. Cùm autem viderit, in pectus eius insiliat, de collo pendeat, nolenti Alleluya decantet: rapiat auia, patrem risibus agnoscat, sit omnibus amabilis, & vniuersa propinquitas rosam ex se natam gaudeat.*

Tandem concludit: *Ipse si Paulam miseris* (scilicet in Bethleem, ad auiam Paulam, & Eustochium amitam) *& magistrum me, & nutricium spondeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi Philosopho, qui non regem Macedonum, Babylonio periturum veneno, sed ancillam & sponsam Christi erudiam, regnis cælestibus inferendam.*

Hactenus Hieronymus: quibus verbis diligentissima prolis educatio imprimis exprimitur, & quanti ea sit à parentibus facienda, tanti viri authoritate facilè comprobatur.

§. 1. *De filijs Israël.*

PRæcepit Dominus per Moysen, vt filij Israël docerent filios suos ea quæ ipsi viderant. *Deuter. 4.*

§. 2. De Samuele.

SAmuel adhuc puer, erat minister in conspectu Domini, vbi erat arca Dei. *Item, proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus.* *1 Reg. 2. & 3.*

§. 3. *De Ioa.*

QVanti referat probo subditum fuisse Pædagogo, Iudaici Princeps populi Ioas apertè indicat, qui filius Ioram Regis Iuda, *Puer septem annorum, cùm regnare cœpisset, fecit quod bonum erat coram Domino cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis.* Verùm mortuo Ioiadâ, morum optimo formatore, tantum à pristina virtute degenerauit, vt post nefandum Idolorum cultum, se etiam Zachariæ sui institutoris filij parricidio inquinauerit.

2. Paralip. c. 24.

§. 4. De Iosia.

4 Reg. cap. 22.

OCto annorum erat Iosias, cùm regnare cœpisset, fecitq́; quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui, non declinauit ad dexteram, siue ad sinistram.

§. 5. De Tobia.

Tobiæ 1.

T*Obias cùm esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nil tamen puerile gessit in opere*; & idem cùm postea filium genuisset, ipsum ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. similiter cùm se sciret breui moriturum, pie & salubriter instruxit eum.

§. 6. *De pueris Hebræis.*

Danielis 1.

SIne Propheta, sine Sacerdote, sine magistro, Daniel, Ananias, Azarias, & Misael legem Dei obseruantes sobriè, & iustè, & piè vixerunt inter pueros Gentiles. haud dubiè, quia à primis annis bene fuissent in timore Dei instituti.

§. 7. *De Susanna.*

Dan. 13.

PArentes Susannæ cùm essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.

§. 8. *De Deipara Virgine.*

Sabell. l. 2. exempl.

SEd quo te ore referam ingens cæli decus, spes labentium, Virgo Deipara? cuius vitam nullus vnquam

vnquam satis laudare poterit. Ferunt, te postea quam ad templum tenerâ adhuc ætate ducta es, à prima luce ad horam tertiam diei precari solitam, inde ad meridiem honestè & ingenuè puellare aliquod opus obire, atque id serium & conducibile; mox reliquum diei diuinarum literarũ lectioni sedulò impẽdisse, ita vt cùm ritesanctéq; cælestia curares, humana nõ omnino despiceres: Marthæ & sororis vtrumque munus complexa.

§. 9. *De S. Basilio.*

SAnctissimo iuxta ac doctissimo Basilio, ad illud tum doctrinæ tum sanctitatis fastigium, non paruum fecit gradum sua nutrix Macrina; quæ Gregorij Neocęsareensis discipula cùm fuisset, eius conciones puero identidem repetebat, pręceptis eum sanis erudiebat, tenerumque eius animũ ad omnes pietatis, morum, ac disciplinarum leges fingebat. Quod quidem ipse Basilius lubens fatetur, cùm se tam sedulæ nutricis suæ haud immemorem esse dicit; cuiq; plurimum per omnem vitam se debere non ignorat. *Basilius in Epistol. ad Neocæsareenses. & in Epi. ad Eustac. Sebastiæ Episc.*

§. 10. *De S. Frederico Episcopo Traiectensi, & Mart.*

HIc in teneris annis Angelicam potiùs, quàm humanam in terris visus est vitam gerere. Libenter enim se adiungebat ad viros Deum timentes, & ludos pueriles prorsus respuebat: ad ecclesiam prompta animi alacritate properabat, & quicquid ibi lectum, aut cantatum fuisset, intentis auribus accipiebat, domumque reuersus matri suę, si quid intellexisset, referebat. Ea res lętitiam matri attulit, adeo vt inuito patre, eum patribus quibusdam commẽdarit literis imbuendũ, quos etiam tum muneribus, tum precibus solicitans obsecrabat, vt eum sanctę religionis semitam, & peccati deuitandi rationem docerent. Interea *Surius 18. Iulij.*

terea nocturnâ quadam,eaque cælesti visione sibi admoneri visa est,vt puerum inde ablatum S.Ricfrido Traiectensis Ecclesię Episcopo cōmendaret, & mox ingenti perfusa gaudio, quòd Deo puerũ curæ esse videret,licet reluctãte patre,eum Traiectum adduxit, & memorato Præsuli commendauit.is verò spiritu prospiciens illum se post decessum suum habiturum in Cathedra successorem, ceu filium & hæredem liberalibus pariter, & ecclesiasticis curauit disciplinis accuratè instituendum, vbi Fridericus semper in virtutum scala ad gradus sublimiores contendebat.

§. 11. *De Arcadio & Honorio, Theodosij Imp. filijs.*

Ex Simeone Metap. P. Ioannes Bonifacius

CHristianæ pietatis mirabilem fautorẽ Theodosium minimè latuit, quantùm ponderis & momenti in educatione situm esset. quocirca duos filios, Arcadium & Honorium Arsenio viro ætatis illius integerrimo, literisque instructissimò erudiendos tradidit: solitumque ferunt bonũ Principem explicationibus interesse nonnunquam, & Arsenium grauiter increpare,si quid ab eo vel mitiùs vel timidiùs cum generosissimis illis suis discipulis ageretur, quos adstare volebat religiosus Imperator, sedere præceptorem. Quæ autem institutionis vires sint,apertè cognosci potest exemplo eiusdem Arsenij.nam cùm is è duobus alterum cecidisset, tantùm illius contra se iram commouit, vt fugâ saluti consulere oportuerit. Mortuo tum Theodosio,qui plagas pertulerat, Arcadius tantum abfuit, vt vindictam moliretur, vt etiam honorificâ ad Arsenium legatione missâ, bono eum animo esse iusserit, præceptorem suum pleno ore nuncuparit, & se cuncta eius consilio esse facturum promiserit.

§. 12. *De Theodosio minore, & Pulcheria, Augustis.*

SAncta Pulcheria Arcadij Augusti filia, Theodosij Maioris neptis, Iunioris soror, Marciani Imperatoris coniux, sed nouo more iurata simul Deo virgo, fratre biennio maior, nouennis erat cùm Arcadius Imperium Theodosio reliquit: qui Theodosius animaduersâ sororis prudentiâ, pietate, castimonia, multò certiùs se res Romanas administraturum putauit, si in partem Imperij & consilium tantam sororis sapientiam adhiberet. Quare Augustam nominauit. Pulcheria vt fratri imperium firmaret, & ipsa à nuptijs abstinuit, & ad idem votum trigeminas sorores induxit, eiusque rei testem aram ex auro gemmisque visendam in æde Constantinopolitana pro se & fratris Imperio posuit. Theodosij pueritiam diuinis planè ad Imperium formauit præceptis, ipsa priùs Latinas, Græcasque literas egregiè docta, fratris nomine & authoritate Imperiū cum Anthemio vrbi Præfecto & Proimperatore sapientissimè tractauit, optimè consulebat, consulta feliciter expediebat. Fratrem simul ad rem equestrem literas sacras ac ciuiles, rerum diuinarum cultum, modestam grauitatem, morumque elegantiam per idoneos magistros erudiri curauit. priuatis verò studijs, & domestica consuetudine, quæ magnum in omnem partem habet momentum, ipsa per se germanum ad singularem innocentiæ clementiæque laudem deducebat; vt preces frequentaret, sacras ædes obiret, donis & votis easdem coleret, benignus esset in miseros, sacros & religiosos viros omni veneratione prosequeretur: opere verò maximo laborabat, vti sincerissimam Catholicæ disciplinæ fidem & doctrinam intimis sensibus imbiberet, eandemque per omnem vitam (si se & Impe-

Niceph. l. 14. ca. 2 ex quo Raderus in Aula S. Theodosii.

Imperium sanum vellet) constantissimè tueretur ac propugnaret. Quibus rebus effecit, vt Romana respubl. neque mitiorem vnquam, neque sanctiorem fere Imperatorem, si vnam alterámve labem scelere nequissimi Chrysaphij contractam excipias, experta sit.

§. 13. *De S. Ludouico IX. Francorum rege tertij ordinis S. Francisci.*

F. Hēricus Sedulius in Seraph. hist. vita eius c. 8. Sap. 8.

PVer sanctæ indolis Ludouicus, & velut alter Salomon *ingeniosus & bonam sortitus animam*, strenuissimo patre orbatus sub tutela matris Blāchæ regis Castellæ filiæ permansit, quæ illum tenerrime diligens, admodum salutaribus instruxit monitis, inter quæ illud imprimis fuit: Mallē, inquit, fili, te mortuum cernere, quàm creatorem tuum mortali crimine offendentem. Quæ verba adeo illius animo inhæsere, vt diuinâ ipsum gratiâ protegente nunquam in se eiusmodi crimen admiserit.

Nunquam peccatum mortale admisit.

§. 14. *De Francisco* Borgia.

Petr. Ribadeneir. vita l. 1. c. 1.

SVmma cura diligentiaq; Frācîscus est ab vtroque parente educatus, vt à prima ętate, ea cum lacte virtutis semina imbiberet, quæ in omnem ætatem adhęrescerent. Orationibus pro captu ætatis Deum frequenter precabatur etiam sua sponte, quod indolis optimæ erat argumentum. D. Iacobum, inter ceteros, à parentibus est edoctus colere, aras domi erigere, imaginibus Sanctorum placari, si vel (vt in tenera ętate) excandesceret, vel lacrymas funderet. Erat & solenne familiæ Borgiæ vetere instituto, vt è diuorum numero aliquem quotannis sorte educeret. Seruabat religiose hūc morem puer etiam tum Franciscus (quem etiam in Societatem induxit, priusquam familiam ducere cœpit) Diui nomen cui obuenisset, is profecto

festo die duos mendicos vicatim collectos alebat; festo verò bini binis mares, feminis feminæ ad mensam ministrabant.

Decimum agebat annum cùm verbi Dei præcones in templis libenter audiret: qui si forte vt diserti homines actione placuissent, eorum venustè gestus exprimebat, sententias memoriter recitabat. Concionari ab auia & amita puer iussus, ea tum de Christi assertoris nostri cruciatibus verba fecit, supra quàm ab ea ætate expectari posset; vt non pueri, sed Spiritus sancti vocem audisse se, qui aderant, affirmarent.

§. 15. *De puerorum Indorum educatione.*

Ex cōmentario de rebus Indicis

ORthodoxam fidem in Indiam prorogaturus Christianissimus Lusitanotum rex Ioannes III. cùm non ignoraret quantum ad eam rem firmandam momentum habeat puerorum institutio, sumptus haud sanè exiguos ad hoc contulit, vt Goę domus erigeretur quę seminarij instar haberet; vnde ibi è diuersis oriundi regionibus pueri amplius sexcenti instituuntur, qui quòd pręclara ferè indole sunt, & eorum contubernio pręsident certi homines è Societate, magna spes est fore, vt in terras quisque suas dimissi, Euangelium longè latèque disseminent. Neque spes Patrum votis non respondent: nam cùm ad ceteras exercitationes, modulandi fidibusque canendi rationem adiunxissent (quòd inculta illa gens, quam ad humanitatem traducere aggrederentur, valde concentibus caperetur) haud difficile fuit etiam ad regiones abditissimas aditum sibi patefacere. Quantum enim putatis valuisse ad eorum feritatem expugnandam, quod pueros nostros per plateas & compita sanctæ legis præcepta, & Christiani nominis regulas nunc blandiente auribus voce recinentes, nunc lyris, vel vicissim, vel simul,

con-

concrepantibus vitandi tædij causâ audirēt? quid quod æstu feruentissimo orationem Dominicam plateatim decantātes oculis in terram flexis cernerent, quibus tota facies sudore manaret? cui mirum videri debet, si tantâ puerorum animaduersâ constantiâ barbari nonnihil de sua feritate remittendum putarent? si euangelicæ doctrinę nouos promulgatores inciperent suspicere, & iam non tantùm admirari? Certè filia Mealis Regis, natione, ac moribus Mauri (qui vt in Idalcanis regnum restitueretur, ex quo fuerat exactus, Goam ad Lusitanos opis implorādę causâ confugerat) pueros decantantes per vrbem Societatis instituto, cùm è fenestra non semel audisset inuitis parentibus, matre præsertim, quæ præ furore bacchata est, Christi se lauacro tingi efflagitauit; triumphalemque illum diem Goa egit ciuitas, quo ad cælestis sponsi thalamum noua nupta ducebatur.

§. 16. *De pueris Germanis.*

Ex litteris Soc. P. Bonifacius.

DIctu profectò est mirabile, quo animo in Germania, quamque medullis totis auitam fidem pusilli tueantur. Certant officijs inter se, cum hominibus deprauatis de religione dimicāt; contingitq; sępe, vt Goliam prodigiosè celsum, & Colossæâ mole metuendum pusillus Dauid & saxo tundat, & gladio trucidet. Quoties ipse pater filij carnifex fuit? quoties filius patrem quasi regenerauit, & ad sanam mentem reduxit? vapulasse se commemorat alius, quòd carnibus tum vetitis vesci nollet: narrat alius imaginem sanctā impiâ flammâ à se ereptā fuisse: est qui dicat precatorios calculos in honorem Sanctissimæ Virginis & Matris Dei cingulo admotos circumferre se quoquo iuerit, idque parentibus inuitis, quorum minas non magnopere pertimescat. Monachij

chij ingens erat adolescentum numerus, qui religiosam scholam frequentabant, quibus ea lex inter cęteras præscripta fuit, vt singulis diebus rei diuinę velut auspicatissimo rerum gerendarum initio interessent: & cùm manè die quodam omnes sacrum audirent, vt eo peracto literarum studijs nauarent operam, vir non infimæ sortis, vt exteriori quidem æstimatione videbatur (re autem vera erat hæreticus) diuino instinctu religiosorum sacellum ingreditur, & puerorum tum concursum, tum maximè pietatem & mentis attentionem, quam ipso vultu testificabantur, admirans, secum tacitus reputare cœpit, quanto in errore versaretur ipse, qui rem despiceret cuius veneratio ne pueros quidem lateret. Pōderat acuto vir ingenio tantam illam mentis attētionem nulla humana vi artéve excitari in pueris potuisse, qui rem nullam seriam diligenter attendere soleant, & fixis oculis intueri. Concludit tandem & raciocinatur, Dei opus esse illud, qui ex ore infantium perfectam sui laudem sępe depromit. Quid multa? Sanctissimam Eucharistiam totis visceribus complectendam esse censet, tremendumque illud Missę sacrificium constantissimo sanissimoque animo colendūm, suspiciendum, venerandum arbitratur. Post quę palinodiam canit in omnibus, quæ à nostra fide dissentiunt, emergensque ex Lutheranis tenebris in matris Ecclesię fulgore versari cœpit.

§. 17. *Indi pueri præceptorem suum lapidibus defendunt.*

CVm F. Vincentius, magnus è Franciscana familia catechista, cum Ioanne Albucquercio Episcopo in Indiam ex Lusitania deuectus operā suam omnē doctrinę Christianæ pueris tradendæ impēderet, res contigit non minus iucūda quàm memo- *Petrus du Iarric. l. 1. hist. Ind. c. 4.*

memoratu digna: nam cùm aliquos fortè minùs attentos siue etiam desides cecîdisset, parentes rei indignitate commoti, summum sibi dedecus illatum, antiquo patriæ more putarunt, adeoque vt acceptis armis furibundi in hominem irruerent iniuriam vindicaturi. At illi ipsi pueri qui pœnas dederant, cùm à parẽtibus suis præceptorem quęri ad necem viderent, indignatione in amorem versa; institutionem naturę anteponũt, pręceptorem suum circumcingunt, laterum suorum opposìtu defendũt, immo arreptis lapidibus parentes suos à nefaria vi deterrent, quo filiorum suorum facto attoniti domum infecta cęde rediere.



CAPVT IX.

LITERARVM STVDIA, ERVDITIO, SPECIMEN *ingenij*.

MIRAMVR Christianæ religionis hodierno die obfuscatum splendorem, frequentes errorum labyrinthos obstupescimus, veritati mendacium, sapientiæ stultitiam, pietati impietatem successisse dolemus: eam miseram rerum catastrophen mecum pariter omnes quorundam hominum amentię tribuent, qui inani quadam inflati existimatione sapientiæ, cùm nihil illis esset insipientius, neglecto virtutis studio sese rerum omnium vanarum scientię tradiderunt. Cuius quidem amentiæ vitio atque scelere magnam fecit Ecclesia Christi iacturam. tantum humanis mentibus exitium adfert destituta virtute scien-

te scientia: quid nî verò ita accidat? quippe cuius esset turbulentos animi motus comprimere, compressos excitet; veritatem propugnare, inexplicabilibus errorum fallacijs oppugnet. Aduerterunt puerorum non pauci hoc virtutis & scientiæ necessarium vinculum, nec minus studiosè vtrumque maritarunt: sic enim à teneris vnguiculis literarum studia sectati sunt, vt virtutis amorem non negligerent; sic virtutibus animum informarunt, vt doctrinâ rerumque omnium cognitione apprime adornarent, hac in re communi parœmiæ refragantes, qui duos sectarentur lepores, & vtrumque assequerentur.

§. 1. Alta pueri IESV sapientia.

POst triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem eos. Stupebãt autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. *Luca 2.*

§. 2. *MARIÆ Virginis exercitationes literariæ.*

QVo tempore inter virgines egit MARIA, literas Hebraicas perdidicit, & tanto studio diuinarum literarum lectioni vacauit, vt totam legem librosque Prophetarum menti omnino insculpserit. *Andreas Cret. de dormition. Mariæ.*

§. 3. *Præmatura in pueris sanctis memoria, & scientia.*

1. STupenda fuit D. Antonini pueri memoria. hic enim cùm annum ageret decimum quintum, vnico anno totum Decretum memoriæ mandauit. *Granat de Symb. fidei l. 1. c. 29.*

2. S. Athanasia septennis puellula, breui tempore totum psalterium edidicit. *Surius 14. August.*

3. S. Beatrix ordinis Cister. Abbatissa, adeo in literis primò ætatis suç exordio profecit, vt quinto ętatis suæ anno, absque vllo errorç totum psalterium *Dassignies to. 1. ann. in eius vita sec. 1.*

terium ordine ex memoria redderet. Verũ quod miramur tam prolixa eam verba memoriæ mandare potuisse, cùm ijs quoque abdita mysteria nõ sine magno magistrorum stupore diuinitus edocta penetrarit?

Ex Metap. Surius 15. Ianuarij. 4. S. Ioannes Calibita adeo felicis erat ingenij, vt ante duodecimùm ætatis annum Rhetoricis Philosophicisque & alijs disciplinis apprimè instructus esset, ad aliorum stuporem.

Surius 28. Ian. 5. Trium erat annorum & semis S. Margareta Hungarica, cùm in monasterium ingressa est: dimidio verò anno pòst memoriter preces horarias B. Virginis perfectè cecinit, quas ab alijs sępe cani audiuerat.

Ribaden. 1. Febr. 6. S. Ephræm Syrus tantâ diuinorum conceptuum vbertate redundauit ab infantia, vt quamuis esset eloquentissimus, eos tamen nũquam posset explicare, non quòd esset impeditioris linguæ, sed propter rerum abundantiam summamque ingenij promptitudinem.

Ex Chron. S. Frãc. to. 4. par. 2. l. 10. c. 17. 7. F. Angelus du Pas, Perpinianus ita à prima ætate literis fuit deditus, itaque profecit, vt anno ætatis 15. non modò in literis humanioribus esset apprimè versatus, sed etiam Philosophicis studijs adeo excultus, vt ab omnibus idoneus qui ea doceret alios, iudicaretur.

Petrus de Natal. l. 2. c. 28 & in vitis Patrũ l. 1. in vita S. Bas. 8. S. Basilius septem tantum erat annorum, cùm studijs literarum à parentibus est traditus, 12. cùm Philosophiæ & Mathematicę studuit apud Athenas cum Gregorio Nazianz. Iuliano & Libanio in doctrinis Græcis, cumque in scripturis illis ad sensum suum creatorem inuenire non posset, eidem nocte oranti quidam splendor illuxit, & induxit eum ad perlustrandam totius religionis scripturam.

§. 4. *Quàm*

§. 4. *Quàm fuerit S. Thomas Aquinas literis à prima ætate affectus, vtque in ijs profecerit.*

SAnct. Thomas quoties infans librum aliquem conspexisset, eum arripiebat auidissimè, & chartas voluendo mirè se oblectabat. hinc lacrymanti si libellum obtulissent, statim fletum omnem comprimebat. Natus verò annos quinque à magistro (cuius disciplinæ traditus erat) importunis precibus extorquere solebat vt diceret, quid sit Deus; audita auidissimè retinebat. Deinde post paucos annos Albertum magnum præceptorem habuit, quem vt attentiùs audiret, ita silentium quasi Pythagoricum sibi indixit, vt condiscipulis eo nomine propemodum in contemptū veniret, qui eum bouem mutum appellabant. Sed cùm Albertus eius in quadam disputatione responsiones admiratus fuisset; Vos, inquit, hunc, bouem mutum vocatis, sed ille certè tales quandoque docendo mugitus dabit, vt totus possit orbis audire. Et hos quidem in literis progressus, siue quos deinde fecit tantos, vt anno 30. sacræ Theologiæ Doctor factus sit, oratione magis quā studio, se fecisse confessus est. *Surius 7. Martij.*

§. 5. *Sanctus Theodorus discendi facilitatem à Deo impetrat.*

THeodorus cùm vellet Dauidem in Canticis imitari, cœpit psalterium ediscere: magno autem cum labore vsque ad 16. psalmum edidicit: sed decimumseptimū nullo modo percipere poterat. Quamobrem cùm in oratorio propinquo S. Christophori meditando commoraretur, & nō posset ediscere, humi prostratus Deum obsecrabat, vt se ad psalmos facilè memoriæ commendandos idoneum redderet. Clemēs autem Deus, qui dixit. *Petite & dabitur vobis*, id illi concessit quod flagitabat: cùm enim surrexisset, & Saluatoris *Surius 22. Apr. Erat tunc annorum 12. inquit Petr. in catal. l. 10. c. 44.* *Matth. 7.*

toris imagini ſupplicaret, dulcedinem melle ſuauiorem ſenſit in ore ſuo, & Dei munus agnoſcẽs; dulcedinemque deguſtans, deinceps facile paucis diebus totum pſalterium memoriæ commendauit.

§. 6. *S. Patroclus relictis ouibus ludum literarium petit.*

Greg. Tur. de vita Patrum c. 19.

PAtroclus decem annos natus paſtor ouium à parente deſtinatur, Antonio fratre ſtudijs literarum applicito. cumque circa meridiẽ aliquãdo domũ paternam rediſſent, hic à ſcholis, ille à pecudibus, dixit Antonius fratri: Diſcede longiùs ruſtice, tuum eſt pecudes paſcere, meum literis humanioribus operam dare. Quod probrum nõ ſine Dei nutu ſibi obiectum ratus, ouibus in medio camporum æquore dimiſſis, ad literarium ludum toto curſu contendit, prima rudis Mineruæ elementa deuorat, & breui tantos progreſſus facit ingenij bonitate, conatu, cęleſtique auxilio, vt fratrem longè poſt ſe relinqueret.

§. 7. *S. VValerici deſiderium diſcendi.*

Surius 7. Aprilis.

VValericus à prima ætate oues patris agebat, cùm audito nobilium pueros ad ſcholas erudiendos duci ſolere, ſibi tabellam efficit, & ludi-magiſtro ſupplicat in ea ſibi alphabetũ pingi, literarumque auditâ expoſitione geſtiens regreſſus eſt ad gregem, quẽ licet aſſidue paſceret, adeo aſſidua meditatione profecit, etiam inuito patre, vt non alphabetum modò, ſed & totum perdiſceret pſalterium.

§. 8. *Sanctus Hermannus fabulas Poëticas deteſtatur.*

Surius 7. Aprilis.

QVoties puerorum more fabulas Poëtarum ediſcere iubebatur Hermannus, vel legeret, non ferebat: immo & ipſos ludi-magiſtros ſuos, à qui-

à quibus ob indolis sãctitatẽ suspiciebatur reprehendebat, Deo contumeliam inferri falsorũ deorum nominibus ex libro recitatis; Iouem omnipotentem nominando, Iunoni nomen diuinitatis attribuendo, per Castorem, vel Herculem iurando: mirari se quî possent religiosi Poëtarum fabulis delectari, cùm tanta sit librorum veritate subnixorum copia, per quos possit ad Dei notitiam deueniri: neminem adeo stultum esse qui lilium inter spinas quærat, si idem per amœna hortorum spatia, sine læsione possit decerpere.

§. 9. *Cauendum ne pueris à præceptore vel leuissimum detur offendiculum.*

Literarum à prima ætate amantissimus fuit S. Malachias, verum ita vt eas pietatis ac virtutũ ornamentis coniungendas arbitraretur. Excitus aliquãdo magnâ cuiusdam magistri doctrinæ existimatione, discẽdi cupiditate adijt. Ingressus verò domum vidit virum subulâ ludentem, crebrisque sulcantem tractibus parietem. qua sola re animaduersâ puer serius, adeo hac leuitate offensus fuit, vt eum frequentandi animum simul cum pede reuocarit. *D. Bernard in eius vita.*

§. 10. *Quàm bene faciant qui filios studijs applicant, docetur exemplo S. Petri Cælestini.*

Restabant Petro ex fratribus duodecim, superstites septem, patre defuncto, ipse matri futurus vnicum prę ceteris solamen; cui illud identidem solebat occinere puer sex annorum: *Mater mea, volo esse bonus seruus Dei.* idq; haud sine diuino auspicio, pueri voce toties iteratum putauit mater. eum igitur studijs literarum tradere decreuit; & quo die tradidit, nocte insequenti pater feminæ cuidã sibi familiari apparuit, & ad eum hæc verba habuit: Constituit vxor mea filiũ nostrũ Petrũ liberalibus tradere studijs, ô quàm bene mihi, sibi- *Surius 19. Maij.*

 que

que & alijs multis? Dic ergo ei, vt si vnquam me verè dilexit, constanter perficiendo quod incœpit, ostendat. Et diuino hoc accidit consilio, vt dæmoni tam prosperis inuidenti principijs occurreretur. tẽtabat ille imprimis puerum, ne studio ętatem consumeret: tentabat etiam de inuidia fratres eius, vt olim fratres Ioseph, improperabantque matri, quod illis laborantibus ipse otio vacaret. tentabat rursus quendam illius regionis diuitem, qui puero blandiẽs aiebat, eum se bonorum suorum hęredem facturum, quo sæcularibus desiderijs animũ ab amore religionis abduceret. tentabat denique animum matris, per diuinum quendam vel veriùs diabolicum virum, qui suadebat ei alium filium studijs applicare, quia hic breui moriturus esset, nec fieret, vt ipsa sperabat, seruus Dei: sed quæ de puero siue ante, siue post eius ortum, diuinitus acceperat, non sinebãt animum ipsius in diuersa mutari.

§. 11. *S. Euergisli diligentia.*

Surius 24. Octob.

EVergislus (postea Coloniensis Episcopus) lectioni & studiorum profectui tanta animi contentione incumbebat, vt prandiolum quanquam non sine aliqua parentum offensione, in horam vespertinam differret.

§. 12. *Qualem Frumentij & Edesij finem habuerit assidua diligentia.*

Ruffinus l. 10. eccles. hist. cap 9. Euseb. 10. 2.

MEropius Philosophus ex Tyro, rerum nouarum cupiditate permotus, cum duobus puerulis, quos sibi propinquos nõ minùs honestis moribus quàm liberalibus disciplinis imbuendos susceperat, in Indiã vsq; penetrauit. Cùm verò eas cęli plagas perlustrasset, vrbesque obiuisset, quarum præcipuè visendarum tenebatur desiderio, & iam domum lętus rediret, nauis qua vehebatur, appulsa est ad littus barbarorum sæuitiã fœcundum.

dum. Vnde ab ipsis facto impetu, & Meropius, & plurimi ex vectoribus alijsque fœdam cladem acceperunt. Pueros sub arboris cuiusdam vmbrâ, velut præscripta à præceptore suo de more recolentes barbari repererunt: sed victi tantâ teneræ ætatis in re tam trepidâ diligentiâ, & insolito lucubrationis affectu, ad mansuetudinem adducti, eos Regi sistunt: Visa indole Princeps mirè captus, Ædesium à poculis; Frumentium à secretis sibi esse voluit. Verùm paulò pòst moriturus filium regni hæredem relinquit, & vtrisque facit potestatem suos reuisendi. Regina cùm exploratam haberet adolescentulorum probitatem; rogat vti velint remanere, & in aliquam administrandi regni partem veniant. Hîc in eorum animis pia quædam erat lucta, cùm hinc gloria Dei maior, illinc amor patriæ, desiderium ad se pelliceret: sed vicit amorem patriæ spes maioris boni. Igitur etsi munere sibi delato modestè vtendũ sint arbitrati, minimè tamen occasionem prætermiserunt plurimos ad Christiana sacra adiungendi. Creuerunt interea regis manus sceptri capaces & Reginæ incassum renitenti, valefacientes; natale solum reuisunt. Repetit Tyrum Ædesius, Alexandriam Frumentius contendit; Athanasio nouo vrbis Episcopo rem ordine, reique felicem successum expositurus: vrget deinde pressiùs de Præsule eò mittendo, qui iactam fidei sementem excolat, antequam lolijs succrescentibus suffocetur. Sed cùm huic muneri aptior non inueniretur, Antistes ab Athanasio creatus Frumentius eodem redire compellitur: quo in munere non sine ingenti Christianæ pietatis incremento, diem clausit extremum. Atque ecce quàm feliciter duorum tantùm puerorum labore ac industria regnum tam inuium, tamque remotum Christi fidem accepit.

§. 13. S. *Idæ diligentia.*

Daffignies to 2.c.18. annalium.

RArum omnino in Ida feptenni virguncula Leewenfi fcientiæ ftudium eluxit : quippe quam nec imbrium importuna vis, nec lutulentæ viæ, nec copiofæ niues vnquam à fcholis adeundis auocarint, adeo vt fubinde fi per cæli inclementiam fola incedere vetaretur, fefe per famulu deferendam curaret : nonnunquam ad ludum literarium tam maturè ventitaret, vt pro fcholæ foribus nondum referatis ingreffum operiri cogeretur. Hæc & alia eiufcemodi cùm in puellula obferuaffet parens, Idam hoc nomine præ ceteris liberis amore quodã fingulari profequebatur, nec fanè immeritò, cùm per omnia amore dignam fefe præberet. elucebat in virgine morum grauitas, vltra fortem pueritiæ omnium, fingularissiam futiles adolefcentulorum lufus, nucibus & crepundijs abiectis deuitare: feftis diebus in fecreta fefe loca recipere, flagris tenellum corpus affligtare, in omnibus deniquè ita fe gerere, vt meritò virtutis exemplar proponeretur, cùm nihil in illa leue aut puerile à quoquam deprehendi poffet.

§. 14. S. *Eduardi Regis eruditio.*

Theatrum vit. humanæ.

EDuardus VI. Angliæ Rex, anno falutis 1553. è vita difceffit, circiter annorum 16. adolefcens, maximo piorum hominum dolore: nam eius interitum eft maxima fecuta rerum Angliæ cõmutatio. Tantæ regem expectationis Europa fæculis nunc aliquot nullum habuit. Inde à teneris annis optimè formatus & inftitutus ad pietatem atque literas, non Latinam modò, fed Græcam & Gallicam quoque linguam nouerat, & Euangelij doctrinam vehementer amabat, & doctis omnibus hofpitium dabat atque patrocinium.

§. 15. S.

§. 15. *S Frederico auxilia perficiendis studijs miraculo panduntur.*

HIc nobilibus natus parentibus, sed tenuibus, à teneris annis pietatem adamauit: puer enim ouibus pascendis destinatus, aut Dominicam orationem ruminabat, aut de argillosa terra basilicas vel altaria construebat: qua indole animaduersâ studijs applicatus fuit. Verùm cùm mater ob inopiam rei familiaris, de sumptibus diffideret, reperit in collo reptilis annulum, quem omnibus sui pagi die Dominico exhibuit, si fortè alicui excidisset. sed cùm à nemine agnosceretur, intellexit plena fide in sumptus filij destinatum esse; à quo tempore nunquam ei necessaria defuerunt, liberalibus, vel diuinis literis incumbenti, in quibus magnos progressus faciebat, cùm pietatem labori coniungeret: colebat enim precipuè ob castimonię puritatem B. MARIAM, Ioan. Euangelistam, & Cęciliam. *Molan. 7. Martij.*

§. 16. *Pracox duorum scientia.*

FVit rara ingenij vis in duobus pueris, quorum alter humaniores literas non didicisse, sed ex materno vtero secum attulisse videbatur. Orationem Latinam eò vsque familiarem sensit, vt in propria vernaculaque lingua velocissimi qui essent, conferri cum illo non deberent. Dicebat ex tempore annos natus 12. tam grauiter & copiosè, vt si longo tempore sermonem meditatus fuisset: hortorum amœnitatem, formosæ virginis ornatum, instructę aciei copias, vrbis celeberrimę plateas, muros, turres, propugnacula, magistratus, officia; vicos, templa, mercatus, opificia, ludos, & alia quę sunt explicatu difficillima, cùm literam scripsisset nullam, ac ne pręuidisset quidem, facundè id ætatis describebat. Alter seuerissima diuinæ Theologiæ studia felicissimè didicit, *Bonifacius de Pueritia l. 2. c. 6.*

cit, quem & acutiſſimè & celerrimè quæſtiones difficillimas explicantem mirabantur omnes. iucundum erat Theologiæ magiſtris cum illo diſceptare, quem ſenibus anteire videbāt. Vir minimè imperitus mihi narrabat in literaria pugna, quæ ipſi cum adoleſcentulo fuerat, viſam ſibi eſſe teſtudinem cum aquila certare: tanta erat hominis etiam acuti tarditas cum pueri velocitate comparata. Erat quod prȩcoci vtriuſque ingenio naturalem quandam in ætate prouectiore vel laſſitudinem vel diminutionem timeremus. ſed in hoc etiam legibus ſoluti ſunt: cum ætate enim incrementa capiebat.

§. 17. *De puero Tragico.*

Ibidem. IN tenerrima ȩtate puer mihi bene cognitus prȩceptorē egit, dicendique artem publicè docuit. Tragœdiā eo tempore compoſuit, quam viri doctiſſimi ſic probarunt, vt dicerent, ad veterum ſcriptorum laudem perueniſſe. Huius ciuis etiam puer concionibus auditores tenere eſt ſolitus, in quo illud eſt præcipuum, viros & graues, & quam plurimos dicente eo, lacrymaſſe.

§. 18. *De alio item puero Carpentano.*

Ibidem. NOuem menſibus, quæ ad latinitatem ſpectāt, Carpentanus quidam puer optimè calluit, & linguæ Romanæ facilem vſum acquiſiuit: varia etiam carminum genera compoſuit.

CAPVT



CAPVT X.

PVERI AD MAGNA EVECTI.

Qvamvis, si dignitatis acquisitio spectetur, ad bona fortuita videatur referri debere honorum consecutio, atque adeo nullos solidæ laudis sibi titulos iure suo vēdicare; tamen quia non rarò diuinâ destinatione fieri videmus, vt admodum pueri ad res valde sublimes deputentur, & exitus quandoque eximios sortiantur, non erit abs re quædam eiusmodi exempla in medium producere.

§. 1. *De Samuele Propheta.*

Samuel puer prophetauit, & Heli filiorum suorum interitum prænunciauit. *1.Reg. 2.*

§. 2. *De Dauide Rege.*

Adhuc erat paruulus Dauid, & inter fratres octo minimus natu, cùm patris grege relicto quem pascebat, assumptus est à Domino, & à Samuele Propheta vnctus in Regem. *1.Reg.cap. 16.*

§. 3. *De Salomone Rege.*

Salomon anno ætatis 12. regni gubernaculis admotus est, inquit S.Ignatius, epist. 6. ad Magnesianos. *S.Ignatius epist. 6 ad Magnesianos.*

§. 4. De Ioa Rege.

Septem annorum erat Ioas cùm regnare cœpisset, & quadraginta annis regnauit in Hierusalē: fecitq́, quod bonū est coram Domino cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis. *2 Paralip. c. 24.*

§. 5. De Iosia Rege.

Octo annorum erat Iosias cùm regnare cœpisset, & triginta vno anno regnauit in Hierusalem: fecitq́, *4. Regum c. 24.*

quod placitum erat coram Domino, & ambulauit per omnes vias David patris sui: non declinauit ad dexteram, siue ad sinistram.

§. 6. *De Hieremia Propheta.*

Hierem. 1. HIeremias in prophetam à Deo priùs electus est quàm natus: sic enim ille: *Factum est verbum Domini ad me dicens: Antequam exires de vulua, sanctificaui te, & in Prophetam in gentibus dedi te, & dixi a a a Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. & dixit Dominus ad me: Noli dicere puer ego sum, quoniam ad omnia quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ecce constitui te super gentes, & super regna.*

Cùm autem munus ei prophetandi à Deo imponeretur, erat annorum 14. aut 15. vt probat Christophorus à Castro, noster scribens in hunc locum.

§. 7. *De Daniele propheta.*

S. Ignatius ad Magnesianos epistol. 6. DAniel spiritu prophetico etiam puer afflatus fuit; nam 12. tantum erat annorum teste S. Ignatio, quando diuinitus edoctus, occultam illam senum inueteratorum calumniam coarguit.

§. 8. *De S. Ioan. Bap. Christi prodromo & Propheta.*

Lucæ 1. IOannes Baptista adhuc vtero materno conclusus Christi prodromus est effectus: de quo pater eius Zacharias vaticinans ait: *Et tu puer propheta altissimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Cuius quidem nondum natus non obscura dedit argumenta: sic ait D. Chrysost. *Nondum paritur, & properat præcurrere; non fert enim præsente Domino contineri, non sustinet natura expectare terminos, sed contendit rumpere carcerem ventris, & studet præsignificare venientem Saluatorem: Accessit, inquit, qui soluit vincula; & quid ego sedeo vinctus, & retineor vt maneam? Venit Verbum vt omnia constituat, & ego adhuc maneo detentus? Exibo, præcurram, & prædicabo*

dicabo omnibus: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

§. 9. *De MARIA Matre Dei.*

MARIA 14. erat annorũ aut eò paulò maior, cùm ad maximam est euecta dignitatem, vt esset *Mater Dei*, ita enim Euodius diuinus ille vir (vt Nicephorus) vel beatissimus (vt Ignatius loquitur) idemque primus Ecclesiæ Antiochenæ, post Apostolum Petrum, Episcopus; epistolam scribens: *MARIA trimula cùm esset, in templo est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos vndecim. Deinde Sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita, apud quem cùm menses exegisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuncium.*

Niceph. l. 2. hist. c. 3. Ignatius in epi. ad Antiochenos.

§. 10. *De Christo IESV.*

CHristus licet in vtero matris conclusus, vel in cunis vagiens, tamen vir perfectus fuit: ita dictum illud Hieremiæ: *femina circundabit virum*, interpretantur Cyprianus, & Hieron. Ideoque nõ verè, sed apparẽter IESVS sapiẽtiâ & gratiâ profecit, qui ob gratiæ plenitudinẽ puer adhuc puero Ioanni, præcursori suo nondum nato, & iterum Simeoni iusto seni dotes mirificas liberaliter cõmunicauit. Hinc vetus illud Ecclesiæ canticum extat: *Senex puerum portabat; puer autem senem regebat.* Ac regebat planè Simeonẽ IESVS paruulus, qui velut optimus præceptor grandæuum illum diuina virtute ac sapientia sic mirabiliter instruebat, vt idem ex ministro legis, Euangelicus Doctor & Christianus Psaltes, eximiusque Propheta in templo subitò euaserit. Infans IESVS quoque Rex fuit (& vt Regi aurum obtulere Reges) de quo Esaias; *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius,*

Hierem. 31 Cyp. serm. de Natiu. Hieron. l. 6. cõment. in Hierem

Esaias c. 9.

Deus,

Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Fuit etiam Doctor anno 12.

§. 11. *De Theodosio Iuniore Imp.*

Raderus in aula Sācta. THeodosius iunior ex Arcadio & Eudoxia natus, mox Imp. renunciatus est, vt recolit Marius Gazensis Diaconus; nam & decreta Imperatoria exorasse ab illo Episcopos testatur, & fusè narrauimus, 1. *parte c.* 12. §. 8.

§. 12. *De Pulcheria Augusta.*

Sozomen. l 9. c. 1. PVlcheria Augusta secundum Sozomenum quatuordecim tantùm erat annorum, cùm habenas capessiuit Imperij, super ætatem sapiētissima, & diuino spiritu afflata. Baronius tamē duobus annis facit eam maiorem. *Baron. to. 5.*

§. 13. *De S. Eduardo Rege.*

Sur. 5. Ian. CVm Rex Ethelredus ex filia Comitis Thoreti filium suscepisset Edmundum, ex Regina verò Emma Alfredum, B. Eduardus tamē intra materna adhuc conclusus viscera, diuinâ prouidentiâ vtriq; præfertur: nam futurorū pręscius Deus, prioris vitam breuissimam, alterius mortem immaturam prospiciens, in puerum necdum natum vniuersorum vota conuertit. Vix natus erat Eduardus, cùm Canuto Danorum Rege irruente, maxima Angliæ pars vastata est, belloque ciuili fœdata, occisis Edmundo & Alfredo. sic regnum venit ad Canutum. Vbi verò se Eduardus Apostolorum limina visitaturum Deo vouisset, ac tandem Canutus cum liberis vniuersis, è viuis exemptus esset, Angli Danico iugo liberati Eduardo debitum faustis acclamationibus sceptrum paternum restituerunt.

§. 14. *De S. Ludouico.*

Sedulius in Serap. hist. S. Ludouicus IX. Rex Francorum liliatum sceptrum anno duodecimo gestare cœpit.

§. 15. *De*

§. 15. *De Rege Anglorum Henrico.*

MOrtuo Ioanne Anglorum Rege, quem Ludouicus Gallorum Regis frater à proceribus euocatus regno priuarat, proceres Angli Gallos ampliùs non ferentes, Henricum Ioannis F. optimæ ſpei puerum nouennem Regem crearunt. *Polyd. l. 16*

§. 16. *De Vladiſlao Rege.*

VLadiſlaus Alberti filius, cùm quatuor menſes vix attigiſſet Rex Hungariæ diademate coronatus eſt. *Sabell. Enead. 10.*

§. 17. *De Stephano Rege.*

QVin & Stephano Ioannis Sepulſij filio adhuc vagienti corona eiuſdem Hungarici regni impoſita eſt; qui viſi ſunt præſignaſſe infirmũ futurum propediem regnum, poſtea enim ablatum Chriſtianis Turcę ſeruiuit. *Iou. hiſtor. l. 38.*

§. 18. *De B. Petro Luxemburgenſi.*

B. Petrus à Luxemburgo ad Epiſcopatum Metenſem, annum agens ſolùm decimum quintum, euectus Diœceſanos ſuos omnibus pietatis & charitatis officijs, mirum in modum ædificauit, ita vt pauperes non eleemoſynis tantùm iuuaret, ſed etiam ægrotos & moribundos præſens inuiſeret. Paulò pòſt Auenione Cardinalis creatus eſt: obijt anno ætatis 23. à partu Virginis 1387. *Ex eius vita quæ Auenione reperitur.*


§. 19. *De Ioanne Cardinale.*

IOannes Ferdinandi Regis Neapolitani F. puer adhuc Tarentinæ Eccleſiæ præfectus à Sixto IIII. eius liberalitate obtinuit, vt etiam ante promulgationem habitu Cardinalitio vteretur, id quod nulli ante vel poſt conceſſum legitur. *Garimbertus l. 4. de vitis Põtificum.*

§. 20. De

§. 20. *De B. Agnete Abbatissa.*

Seraph. Razzius. Porcenenses ciues nouum sacris virginibus cœnobium condiderunt, cui Agnes Montis Politiani annos nata quindecim prefuit Romano Pontifice (Hostiensis Præsulis oratu, cui cognita Agnetis sanctitas erat) annorum paucitatem legibus eximente.



CAPVT XI.

CONVERSIO PVERORVM AD FIDEM, VEL *meliorem frugem*.



MAGNA est, fateor, puerorum ad omnem institutionem facilitas ac propensio, Proteique alicuius instar in varias se formas possunt induere: ideoque cerę molli, ac teneris arbusculis comparantur, quarum illa sigilli fuguras omnes facilis admittit, hæ ad gyrum omnem flexumque lentescunt. Non inest tamen difficultatis parum, vt quod semel materno cum lacte suxerunt, omnino deserant; dediscunt serò quæ didicere diu. Ea est enim vitij ac erroris natura, vt quem semel vel à primo limine salutauit, difficulter destituat, & quo irrepsit missis radicibus, inde non nisi ægrè admodum extirpetur infelix lolium. Horum puerorum altiùs assurrexit animus, quos nec conceptus à teneris vnguiculis vanæ religionis error à vera fide abduxit, nec vitiorum paulatim irrepentium frequens concursus à meliore fruge reuocauit.

§. I. *Cel-*

§. 1. *Celsus puer ad fidem conuertitur.*

CVm S. Iulianus ad contumeliam maiorem ferreis vinculis oneratus, iussus esset circuire ciuitatem, venerunt ad locum vbi Celsus, filius Præsidis vnicus studebat, qui ait ad condiscipulos suos: Rem inauditam video, illum scilicet reum Christianum, quem milites ducunt, & multitudinem albatorum cum illo loquentem, & super caput eius coronam ex gemmis & auro fulgentem, cuius fulgor obcæcat aëris huius lucem; & alios tres viros albescentibus comis aureoque vultu in similitudinem aquilarum, super eum excubias celebrantes; & hoc mihi videtur, quia dignum est tali Deo credere, qui suos sic tuetur & tali circundat decore. Hæc audientes condiscipuli, & magistri eius turbati sunt, & blandè corripientes eum ab intentione conati sunt reuocare. Timebant enim quia vnicus erat patri. Et adiecit puer: Verè magnus est Deus, qui credentes in se non deserit. Quæ est enim gloria huius vitæ? Sicut vter vento distentus, plenus apparet oculis, & intus est vacuus: ita & huius sæculi gloria, in qua nos temporalem habemus lætitiam, & æternam Dei vitam non agnoscimus. hęc est vera gloria & nobilitas generis, pro eo pati, quem cùm torqueor, non amitto, quem cùm cõfiteor, nunquam derelinquo: hæc dicens filius Præsidis Doctorum volumina proiecit, & vestes quibus indutus erat, ab se abiecit, dicens: Polluta vestimenta mea ad Dei hominem properantem necesse est abijcere. Nudum me Pater fudit hoc sæculo, ideoque quod mũdi est, mundo relinquã. Hęc dicens per plateas ciuitatis iter arripuit, donec eò veniens, vbi Christi Sanctus Iulianus torquebatur, cuius pedibus prostratus, ait: Te secundę natiuitatis, quam mihi Christus ostendit, patrem agnosco. Martianum

D. Anton. 1 p. ti. VIII de plurib. Martyr. passis c. 1. de S. Iuliano & Basilissa § 10.

verò genitorem meum, veritatis inimicum abnego, tibique adhærens similia prò Christo pati exopto. Hæc videntes pœnarum ministri, præ stupore tacebant. Doctores verò atque magistri fugam meditabantur, de tota verò ciuitate ad tale spectaculum omnes confluebant, & Præsidis filium sic Martyri adhærentem, & vulnera eius exosculantẽ obstupescebãt. Hæc audiẽtes parẽtes eius tabescebãt, filiumq; suum à Iuliano segregatũ sibi restitui præceperunt. At Dei misericordia Martyris precibus affuit, vt si quis eum vellet ab eius complexu separare, statim manus eorum & brachia contraherentur. Tunc iussit Præses eos simul ad se adduci. Quo facto, ait Præses Iuliano, spei meæ fructum auferre Magicis artibus contẽdis, & tenerũ pectus illicitis carminibus genitorũ affectum negare cõpellis. Hæc eo dicente, aduenit mater cum innumera familia crine soluto, & nudatis vberibus clamans. Quod videns Præses scissis vestibus, & lacerata facie clamabat: Iuliane crudelis, aspice dolorem patris & matris, & plãctum tantæ familiæ, & Magicis artibus innocentem solue, vt ego pro te Imperatoribus suggeram, vt culpâ tuâ neglectâ sanus abscedas. Cui ille respondit: Suffragijs tuis opus non habeo, nec ab Imperatoribus tuis dimitti desidero; sed hoc Dominum meum IESVM Christum rogo, vt cum agno isto de luporum visceribus nato suscipiar in Sanctorum Martyrum numero. Ecce adest qui ex te natus est, modò mecum credendo renatus est, vt tibi, & matri responsum exhibeat suum. Ad hæc puer respondit: Rosæ de spinis nascuntur, neque rosa nata de spinis odorem suauissimum, neque frutex quæ rosam genuit, amittit aculeos spinarum suarum: vt ergo consueuistis pungite; & me odorem suauitatis credentibus propinare permittite. Vobis obediant qui perire parati sunt: me imitentur

tur qui de tenebris ad lucem tranſire contendunt. Ego pro Chriſto IESV Domino meo vos parentes nego, & per temporalem mortem vitam æternam acquiro. Non poſſum in vos pius eſſe, & in me crudelis exiſtere. Quid moraris manibus tuis velut Abraham apprehendere gladium, & victimam filium offerre? vani ſunt luctus veſtri, falſæ lacrymæ. Me verò ab hac confeſſione pietatis nullus valebit disiungere. Diſcedite ergo à me, quia paternum nomen & maternum, Chriſti nomini poſthabeo. Martianus ergo iuſſit eos in carceris ima detrudi, *&c. Martyrium vide 3. p.*

§. 2. *Herluca nimium corporis ornatum cogitur cæcitate percuſſa deſerere.*

S. Herlucam quoque in Boica vel natam, vel educatam, hîc pono: quæ adoleſcentula ſtudoſior erat corporis ornandi, quàm animi virtutibus excolendi. Sed cùm illam ſibi Chriſtus in ſponſam legiſſet, non eſt paſſus eam vlteriùs progredi, ne iacturam faceret innocentię, morbo ergo ſibi, alijſque placere ſtudentem emendauit: quæ tum quidem meliora, vt amat fieri cùm premimur, vota concepit ſi conualeſceret; reualuit; ſed oblita ſui, & Dei, redijt ad ingenium. Redijt & morbus, & refractariam grauiùs afflixit, promittentem vitam ſanctiorem à morbo denuo recreauit, atque promiſſa non exequentem luminibus exuit. Hîc vltimam verita calamitatem, ſeria cœpit conſilia, quę & perſeuerauit. Monita deinde diuinitus vt orbem cereum ad S. Cyriaci M. tumulum pro altero oculorum recuperando votum mitteret; miſit, recepit, & tam acutùm ad vltima vitę tempora vidit, vt aquilas & lynces ſuperaret, nec vlla vi lacrymarum, quas vberrimas frequenter profundebat, corrumperet, neque minutiſſimis telę acu pingendæ ſtudijs hebetaret. Altero ta-

Ex Menæis Raderus 3. p. Viridarij c. 3.

ro ta-

ro tamen caruit semper, vti ne causam vtriusque olim amissi ex animo deleret.

§. 3. Quantâ puer Iosaphat solicitudine educatus est, ne ad Christianam fidem perduceretur.

Petrus de Natal. lib. 10. c. 114. & D. Damascenus in vita Barlaã & Iosaphat.

REgi cuidam apud Indiam natus erat puer pulcherrimus, & Iosaphat appellatus. pro cuius natiuitate Rex cum omni populo dijs immolauit, & 55. Astrologos quid futurum esset de puero interrogauit. Qui omnes magnum ipsum in potentia & diuitijs futurũ prædixerunt, tamen Christianam religionem, quam pater oderat, culturum. Quod Rex plurimum expauescens in ciuitate seorsum palatium speciosissimum construi fecit, & ibi puerum ad habitandum posuit. Ibi secum iuuenes pulcherrimos collocauit, mandans illis vt nec mortem; nec infirmitatem, nec senectutem, nec paupertatem, vel aliquid aliud quod posset afferre tristitiam nominarent ei, sed omnia iucunda illi proponerent, quatenus nihil de futuris cogitare posset: & si quis ex ministris infirmabatur, continuò ipso amoto alius subrogabatur, nec Christus ab aliquo nominari præsumebatur. Cùm autẽ adoleuisset, in omni sapientia edoctus admirans cur pater eũ taliter reclusisset, quendam de conseruis sibi familiariorem de hoc interrogauit, dicens se in multa tristitia positũ, eo quòd sibi foras egredi non liceret. Quod pater audiens & dolens; equos parari fecit, & choros plaudẽtes ante eum mittere, & ne quid ei fœdum occurreret diligenter prohibuit. Ipso ergo aliquando procedente, vnum cæcum & vnum leprosum obuios habuit: quos videns & stupens, quid hoc esset inquisiuit, & à ministris didicit quod passiones sunt quæ hominibus accidunt. Aliò die senem rugosum & incuruatum inuenit; quem didicit ad talem statum eum peruenisse propter

anno-

annorum multitudinem, cuius finis est mors, quã omnes vel in ista ætate, vel in minori experiri oporteret. Quę omnia iuuenis notans, in magna erat tristitia, sed coram patre prętendebat lętitiam, desiderans in via salutis edoceri.

Cùm autem hæc omnia Monachus quidam nomine Barlaam habitans in deserto terræ Sennaar per spiritum agnouisset, admonitione diuina mercatoris habitum assumpsit, & ad ciuitatem illam deuenit, locutusque est Pędagogo Iosaphat, dicens se lapidem preciosum venalem habere, qui sua virtute quascunque infirmitates sanabat. Ille autem cùm sibi primò lapidem ostendi petiuisset, respondit Barlaam, quod lapis ipse talem virtutem haberet, vt si quis qui corpore non esset integer eum aspiceret, continuò lumen oculorum amitteret, & quia filius Regis virgo erat, vt ipse audierat, ideo ipsi soli lapidem ostendere intendebat. Igitur Pædagogus hoc Iosaphat nuncians, ipsum ad eum in conclaue quantocyus perduxit, quem Rex humanissimè excepit. Vnde Barlaam incipiens eum alloqui quibusdam exemplis prædicauit ei de mundi creatione, hominis præuaricatione, ac filij Dei incarnatione, passione & resurrectione; nec non de die iudicij, bonorum & malorum retributione longum sermonem contexuit: seruientesq; idolis plurimum exprobrauit, & de illorum fatuitate exempla proposuit. Cœpit etiam contra vanam & falsam mundi delectationem multa disputare, & finem omnium mortem comprobare, & plura ad hoc in modum fabularum exempla inducere.

Cùm autem Rex interrogasset quot annorum esset, & vbi habitaret, ille respondit sese esse annorum 45. & in deserto Sennaar degere. Iosaphat autem illum plusquam 70. annorum ex apparentia iudicabat. Cui Barlaam ait, quod si à natiuitate

sua omnes eius annos quęrebat, rectè existimabat: si verò a tẽpore, quo relicto sęculo Christo viuere cœperat, non plusquam 45. annos habebat, quos in eremo exegerat. Cùm autem Iosaphat eum ad eremum sequi vellet, noluit Barlaam, eo quòd ex hoc Rex indignatus mortem omnibus Christianis inferret, sed tempore opportuno ad ipsum in posterum veniret. Barlaam igitur filium Regis optimè instructum de fide baptizauit, eumque exosculatus ad locum suum reuersus est.

§. 4. *Qua occasione S. Pontius ad fidem Catholicam fuerit adiunctus.*

Sur. 14. Maij. to. 7. PONtius ex patre Senatore Romano, sed pagano ortus, cùm ludum literarium fortè repeteret, audiuit Christianos, quibus Pontianus Romanus Psal. 113. Pontifex præerat, psallentes, dicentesque: *Deus autem noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Ad quas voces de cælo tactus fleuit suspirans, sublatisque manibus in cęlum: Deus, inquit, cuius laudes isti concelebrant, fac me quæso ad tui notitiam venire: & simul fores pulsat; sanctus verò Pontifex à Spiritu sancto quis esset edoctus; Ite, inquit, & foribus reseratis sinite huc intrare paruulum, *Talium enim est regnum cælorum.* Ingressus est igitur puer cum Valerio condiscipulo suo, posthabitisque magistris suis, sciscitatusque de carmine quod audierat, & quid mysterij contineret edoctus à Pontifice, de fide vterque instruitur. Reuertentem interrogat parens, ecquidnam è suis pręceptoribus didicisset, respondet puer; Nunquam tam bene institutus fui à magistris meis quàm hoc biduo, cumque varia de vero Deo retulisset, eò progressus est, vt parenti suo demonstraret dæmonum idola nihil esse. Introducto deinde ad illum Pontiano Pontifice, ad Christi religionem

gionem eum traduxit, idque adeo vt ipse vnà cum illis confringeret omnia simulacra sua, & cum filio totaque domo baptizaretur.

§. 5. Serapion suffurandi consuetudinem suam patefacit, & simul dæmonem expellit.

CVm adhuc essem puerulus (inquit Serapion Abbas) & cum Abbate Theona cõmanerem, hæc mihi fuerat inimici impugnatione consuetudo feralis ingesta; vt postquam refecissem hora nona cum sene, vnum paxamacium quotidie in sinu meo latenter absconderem, quod serò, illo ignorante, occultè comederem: quod furtum, licet conniuentiâ cogitationis, & inoliti semel desiderij incontinentiâ sine cessatione committerem, expletâ tamen concupiscentiâ fraudulentâ, ad memetipsũ reuertẽs, super admisso furti crimine grauiùs cruciabar, quàm super esu eius fueram iucundatus. Cumque illud molestissimum opus velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi vice laterum singulis diebus explere non sine cordis mei dolore compellerer, nec tamen eruere me possem ab hac eorũ sæuissima tyrannide, & clandestinum furtum Seni manifestare confunderer; contigit Dei nutu, de hoc me captiuitatis iugo volentis eripere, vt quidam fratres cellam Senis obtentu ędificationis expeterent. Cumq; refectione transacta, collatio spiritalis agitari cœpisset, respondensque Senex propositis interrogationibus eorum, de gastrimargiæ vitio, & occultarum cogitationum dominatione dissereret, earumque naturam, & atrocissimam vim, quam haberent, donec celarentur, exponeret: Ego collationis huius virtute compunctus, & conscientia redarguente perterritus, velut qui crederem ob hoc ea fuisse prolata, quòd Seni Dominus secreta mei pectoris reuelasset, in occultos primũ gemitus excitatus,

Cassianus Coll. 2. ca. 11. ex vitis Patrum 5. p. c. 16.

Paxamaciũ panis bis coctus sex vnciarum erat.

Exod. 5.

deinde cordis mei compunctione crescente, in apertos singultus lacrymasque prorūpens, paxamacium quod consuetudine vitiosa subtraxeram clanculum comedendum, de sinu furti mei conscio, & susceptore, produxi, illudque in medium proferens, quemadmodum quotidie latenter ederem, prostratus in terram cum venię postulatione confessus sum; & vbertim profusis lacrymis, vt absolutionem durissimæ captiuitatis à Domino poscerent, imploraui. Tunc Senex: Confide, ait, ô puer, absoluit te ab hac captiuitate, etiam me tacente, confessio tua: victorem namque aduersariū tuum hodie triumphasti, validius eum cōfessione tua prosternens, quàm ipse fueras ab eo tua taciturnitate deiectus, quem vtique nequaquam vel tua vel alterius responsione confutans, in te nunc vsque permiseras dominari. & idcirco iam te post hanc publicationem suā nequissimus spiritus iste nullatenus inquietabit vlteriùs, nec in te latibulū sibi teterrimus serpens vsurpabit deinceps, de tenebris cordis tui, salutari confessione protractus ad lucem. Necdum Senex hæc verba compleuerat, & ecce lampas accensa de meo sinu procedēs, ita cellam repleuit odore sulphureo, vt vehementia fœtoris ipsius vix in ea nos residere permitteret. Resumensque Senex admonitionem: Ecce, inquit, Dominus tibi sermonum meorum veritatem visibiliter approbauit, vt passionis incentorem de corde tuo salubri confessione depulsum oculis peruideres, patefactumque hostem nequaquam locum in te vlterius habiturum apertâ eius expulsione cognosceres. Itaque secundum sententiam Senis, Ita est, inquit, in me confessionis huius virtute dominatio diabolicæ illius tyrannidis extincta atque in perpetuum consopita, vt nūquam mihi ne memoriam quidem cōcupiscentię huius vlteriùs tētauerit inimicus ingerere, nec me post

hęc

hæc aliquando pulsatum furtiui illius desiderij instigatione persenserim.

§. 6. *Puer furti admonetur.*

VIr quidam duos flascones vini per quendam puerum ad B. Benedictum misit, sed ille vnũ in via abscôdit, & alium detulit: vir autem Dei cũ gratiarum actione accepit vnum, & discedentem puerum admonuit, dicens: Fili, vide ne de illo flascone, quem abscondisti, bibas, sed inclina eum cautè, & inuenies quid intus habeat. Qui confusus valde, ab eo exiuit, & reuersus volens adhuc probare quod audierat, cùm flasconem inclinasset, protinus serpens de eo egressus est. *Ex legẽda aurea.*

§. 7. *Quidam prima lectione in scholis audita conuertitur.*

LEgitur in Scala cæli, quod fuit quidam scholaris Parisijs, qui de terra longinqua veniens, ingressus est scholas Theologiæ cuiusdam Magistri, qui legebat Matthęum, cumque prima die qua eius scholas intrauit, legeretur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* ille subitò surrexit, & dum inciperet recedere, cunctis admirãtibus, & interrogaretur à Magistro quid esset sibi dictum vel factum, quare dimitteret scholas suas, ille respondit: Nihil; sed antequam plus audiam, istud volo opere complere. Et egressus religionem intrauit. *Ioãnes Iunior Dominicanus, ex quo Speculum d.9. §. 45.* *Matth. 22*

§. 8. *Simeonem Timotheus Abbas conuertit.*

SImeon cùm factus esset annorum tredecim, pascebat oues patris sui, & videns ecclesiam, relictis pecoribus, ingressus est, audiuitque Apostolum ibi legi, interrogansque vnum seniorem, ait: Domine quid est istud quod legitur? Senex respondit ei pro substantia animę, vt discat homo timere Deum ex toto corde, & ex tota mente sua. Dixit B. Simeon: Quid est timere Deum? Dicit ei, *Ex vitis Patrum in vita S. Simeonis Stylitæ.*

Senior: Quare me flagitas fili? & ille: Quasi Deũ, inquit, interrogo te: ista enim quæ à te audio, discere volo, quia ignarus sum, & stultus. respondet ei Senior: Fili, si quis renunciauerit iugiter, & obseruationes fecerit per momenta, & humiliauerit seipsum omni homini, & non dilexerit aurum, neque parentes, neque vestimenta, neque possessiones, & honorat patrẽ & matrem, & sacerdotes Dei honore prosequitur, hic hęreditabit regnum æternum: & qui è contrario ista non custodit, hic hęreditabit tenebras exteriores, quas parauit Deus diabolo & angelis eius. Ista omnia fili in monasterio exaggerantur. Audiens hęc B. Simeon cecidit ad pedes eius, dicens: Tu es pater meus, & mater mea, & doctor operum bonorum, & dux ad regna cælorum: tu enim acquisiuisti animam meam, quæ iam mergebatur in perditionem. Ego autem iam nunc vadam; sicut docuisti, in monasterium: fiat Dei voluntas in me.

§. 9. *Ex lupo in agnum mutatur Andreas Fesulanus.*

Sur. 6. Ia. CVm esset annorum quatuordecim Andreas (fuit is postea Episcopus Fesulanus, Ordinis Carmelitarum) cœpit canes alere, equos mercari, socios assumere, tractare arma, lites gerere, parentibus reluctari, humana simul & diuina pariter contemnere; eum tamen vt sæpe aliàs ad se acciri iubent parentes, reprehendunt: sed frustra; adeo semper imparatum monitioni pectus gerit, immo contumeliosa verba obijcit peruicax, & ex eorum abit conspectu: hìc mater non ferens: Tu profectò lupus es, quem in somnis visa sum mihi peperisse. Perterritus Andreas refert pedem, rogat quid est hæc sibi velint; edisserat; voti rationem exponit mater: narrat portentum, quod nimium hactenus compertum heu ingemisceret! monet-

monetque, si lupinos mores gesserit, nunc tempus esse agninos induat, parentumque fidem Virgini MARIÆ datam liberet. Qua matris oratione ita permotus est, vt conscientia victus statim D. Virginem rogarit, suorum peccatorum ne meminisset, sed eorũ sibi à filio veniam impetraret: quod quidẽ fecisse haud dubium est: nam postridie velut ex lupo in agnum conuersus, Carmelitarum templum ingressus, diu ante aram D. Matris prostratus cum lacrymis orauit, & cùm ab oratione surgens admitti in religionem instanter petijsset, summâ cum parentum eum D. MARIÆ offerentium lætitiâ, receptus est.

§. 10. *Theodorus, prauus initio puer, postea fugato precibus fratrum Cacodæmone conuersus, Deo meliorem reddit animam.*

THeodoro, inquieto valde puero, graue erat, si quis pro salute sua aliquid loqueretur: bona enim non solùm facere, sed etiam audire non poterat; nunquam se ad sanctæ conuersationis habitum venire, iurando, irascendo, deridendo, testabatur. Pestilentiâ verò tum grassante percussus in inguine, est perductus ad mortem. Cũque extremum spiritum ageret, conuenerunt Fratres, vt egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extrema parte fuerat præmortuum, in solo tantùm pectore vitalis adhuc calor anhelabat: cuncti autem fratres tanto præ eo cœperunt enixiùs orare, quanto eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repente cœpit eisdem Fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: Recedite, recedite; ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiã deuorare me non potest: caput meum iam suo ore absorbuit, date locum vt non me ampliùs cruciet, sed

D. Greg. l. 4. Dialog. c. 37.

faciat quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc Fratres cœperunt ei dicere: Quid est quod loqueris frater? signum tibi sanctæ crucis imprime. respondit ille dicens: Volo me signare, sed non possum, quia squamis huius draconis premor. Cumque hoc fratres audirent, prostrati in terram cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs orare. Et ecce subitò cœpit æger clamare dicens: Gratias Deo, ecce draco qui me deuorandum acceperat, fugit: orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modò intercedite, quia conuerti paratus sum, & secularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut iam dictum est, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reseruatus ad vitam, toto corde ad Deum conuersus est. Et postquam mutatus mente diu est flagellis adstrictus, tunc eius anima carne soluta est.

§. 11. *Sancta Herina de fide ab Angelo instruitur.*

Petrus de Natal. l. 4. c. 122.

S. Herina virgo & martyr, filia fuit Licinij Imperat. qui turrim ei nobilissimam extruxit, & muro circũcinxit, ac viridarium plantauit, ipsumque locum cũctis delicijs repleuit, statuasque nonaginta octo deorum apposuit, vbi filiam suã annorum sex propter eius elegantiam vsq; ad tempus nuptiarum inclusit, datis ei ancillis tredecim ad ministerium, & Apeliano magistro ad literas edocendas. Cùm esset annorum 12. die quadã columba per fenestram turris orientalem super mẽsam paratam detulit oliuam; & per aliam fenestrã occidentalem coruus in eadem mensa deposuit viperam. Quod cùm magistro retulisset, exposuit coruum Regem impiorum; viperam tribulationẽ

sibi

sibi inferendam: columbam Regem cælorum, oliuam verò pacem cælicam sibi dandam. Pater verò eius volens illã nuptui tradere ipsius animum requisiuit: puella dierũ septẽ acceptis inducijs deos patris super hac re cõsuluit. sed ab eis nullo respõso habito, Deum Christianorum, de quo audierat, inuocauit. Cui statim Angelus Domini apparens, eam in fide docuit, mutatoque nomine (nam Penelope antè nuncupabatur) Herinam vocauit. Sequenti verò die Theotimus quidam Presbyter ab Angelo in turrim intromissus eam baptizauit: moxque illa patris idola de turri proiecit. Pater verò post dies 7. reuersus, cùm idola confracta vidisset, ipsamque Christianam didicisset, eam ad ciuitatem duci fecit: quæ iuxta vrbis portam diabolum sibi apparentem, & eidem comminantem signo crucis fugauit. Cùm autem Christum confiteretur, iussu patris vincta vngulis indomitorum equorum terenda subijcitur. sed ipsa Angelo assistente nil læsa, pater morsu vnius ex equis occiditur, quem virgo à mortuis suscitauit, & conuersum vnà cum matre sua in turri reclusit, donec pœnitentiam ageret, *&c.*

§. 12. *Eskillus patrocinio D. Virginis resipiscit.*

VIr magnificus & cum omni reuerentia nominandus Eskillus quondam Dacorum Archiepiscopus, postea verò humilis Cistertiensis ordinis Monachus, cùm adhuc esset annorum 12. transmissus est à parentibus, causa studij, in Saxoniæ nobilissimam ciuitatem Hildensemensem, vbi tandem in grauissimam incidit valetudinem. Cumque diu lecto decumberet, tandem omnium membrorum & sensuum officio destitutus est, ita vt ferè mortuus putaretur. Exemptus ergo carnis sensibus, ductus est in spiritu ad quandam mansionem,

Dassignies in annalib. Cist. c. 40. Spec. d. 3. §. 32.

ſionem, totam interius, quaſi clibanum, ardētem: ad quam cùm propiùs accedens curioſiùs inſpicere vellet, ſubitò erumpens vapor incendij, apprehendit incautum, moxque in illam fornacem flammiuomam traxit inuitum. Qui dum protinus ardere cœpiſſet, iamque nihil niſi mortem & ignem æternum ſibi ſupereſſe cogitaret, ecce miſerante Deo apparuit ei in vno diuerſorij latere meatus quidam quaſi tramitis anguſti, de oſtio ad oſtium ducens, qui etiam flammis vacuus videbatur, quem cernens, & ſpe euadendi animatus, conatu quo potuit reptans ad locum illum refrigerij peruenit, & per illum ad oſtium tendens, celeriter exijt & fugit palpitans & tremens; moxque quoddam regale & amplum reperiens, & illud ingrediens, vidit Reginam cælorum in throno gloriæ reſidentem: ad quam pauidus accedens, flagitabat obnoxè vt ſui miſereretur. Quem protinus illa dedignanter aſpiciens, atque minaciter alloquens, quòd auſus fuiſſet in conſpectu eius apparere, mandat quantocyus egredi, & cruciãdum ad ignem reuerti. Porrò inter alios Matri miſericordię aſſiſtentes, apparebant hi tres viri venerabiles, Sanctus Epiſcopus Hildenſemenſis, Decanus, & alius quidam neſcio quid gerens officij in eadem eccleſia. Hos itaque intuens & recognoſcens, lacrymabiliter deprecabatur, quatenus pijſſimæ Dominę pro ipſo ſupplicare dignarentur. Quod cùm deuotiſſimè facerent, Miſericordiſſima diſſimulatrix reſpondit eis, dicens: Quid eſt quod rogare præſumitis pro illo adoleſcente vaniſſimo? hic enim peruerſus & lubricus nũquam honorauit me, nũquam ſalutationem mihi meam vel vnica vice repræſentauit. Cumque inſtarent vt delicta iuuentutis, & ignorantias eius ſolita pietate dimitteret, & ipſe de cetero emendaturum ſe promitteret, acceſſit iterum tremebundus ado-

leſcens

lescens eam, dicens: Miserere mei, pijssima Domina, quia paratus sum amodo tibi vsque in sempiternũ seruire, & te super omnia post Deum venerari: quod si genitor meus istam calamitatẽ meam agnosceret, maxima auri põdera pro mea liberatione libenter impenderet. Talia cùm lamentabili voce depromeret, Mater misericordiæ serenatâ facie respiciens eum, dixit: Quid igitur? putasne quia valeas teipsum apud me condigno précio redimere? In hoc enim fortasse me placare posses, si congruum mihi precium pro tua redemptione persolueres. Tum ille non modicè exhilaratus in verbo isto, fiducialius accessit, dicens: Etiam atque etiam clemantissima Domina, ego me optimè redimam, & quicquid mihi dignatio tua præceperit, libentissime faciam, tantummodo esto mihi propitia, nec in ignem ampliùs cruciandum remittas. Cui Virgo beata respondit: Volo igitur, vt de quinquę generibus annonæ quinque modios mihi non negligas reddere. Quo ille audito, gratanter accepit, respondensque alacriter dixit: Charum est mihi, ô Domina, quod imponis, & ego mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluẽtem dabo in horreum tuum. quod cũ in fide sua firmiter promisisset, datis fideiussoribus prædictis intercessoribus, dimissus est, atque intercessione B. MARIÆ ab igne est ereptus, & ad pœnitentiam agendam vitę amissæ restitutus. Redditus itaque sibi, confestim aperuit oculos, surrexit, & sedit in lectulo: moxq; in iubilum erũpens, clamauit cum gaudio magno dicens: Benedictus Deus, ego liberatus sum, & ampliùs non ardebo: gratias ago tibi S. MARIA, quia de incendio liberasti me, & amplius non ardebo. Videntes itaque eum, qui aderant, de mortis ianua reuocatum, cum gaudio gestientem, & clamantem, sciscitabantur ab eo tantæ lætitiæ causam,

causam, ipse verò per multum temporis spacium dicere nil valebat nisi tantum; *Deo gratias, amplius non ardebo.* & cùm sæpius illud repetijsset, conuersus tandem ad adstantes, quid vidisset per ordinem indicauit. Porrò in prædicta visione indicatum est ei, quia prædicti tres venerabiles viri quos intercessores habuit, eodem essent anno de corpore migraturi; quod & factum est. Processu verò temporis cùm præfatus adolescens ætate pariter & sapientiâ crescens assumptus est ad regimen Lūdunensis Ecclesiæ, quæ est Metropolis Daciæ, non immemor voti sui, nactus opportunitatem, de remotis Galliarum partibus, vbi fontem regionis esse cognouerat, non solùm quinque, sed etiam plures spiritalis professionis conuentus euocare curauit, & totidem monasteria erigi fecit, dotauitque.

§. 13. *Einolphus propter obolum acceptum in puteo igneo post mortem cruciatur, & iussus redire ad corpus, sanctius viuit, religionem ingreditur.*

Cæsarius l. 12.c.57. CIrca hoc biennium Sacerdos mortuus est in villa Diœcesis Coloniensis de ordine Templariorum, nomine Einolphus, vir satis religiosus: quę de illo ducturus sum, ipse mihi ore suo non semel, sed sæpius recitauit. Cùm adhuc esset puer, in domo materteræ suæ infirmatus, sacram communionem suscepit: & cùm se inungi peteret, quibusdam dissuadentibus, dilatum est, sicque sine eodem sacramento expirauit. Adfuit & Angelus Domini, qui sibi dixit: Malè actum est cum puero isto, eo quòd sine sacrâ vnctione obierit, & inunxit eum, anima tamen iam ęgrediente. Egressam verò diuino vultui præsentauit. quem puer quasi per velamen contemplabatur, eique seuerus valde videbatur. Et ecce mox diabolus adfuit, qui cùm puerum accusare vellet, nec causam

famullam inueniret, ait ad eum: Domine, puer iste obolum germano suo furabatur, nec vnquã inde egit pœnitentiam: iustus es, & iustè iudicare debes. Non dimittes reatum, quia non restituit ablatum. Cui Dominus respondit: Velles vt pro tantillo puerum hunc damnarem? mea iustitia non est absque misericordia. Supplicantibus pro anima viginti quatuor senioribus qui in circuitu sedis erant, culpa remittitur; moxque ad præceptũ Dei deducta, in puteum igneum proiecta est, in quo tantam pœnam pertulit, vt postea verbis explicare nequiret. Post horam ab Angelo, à quo missa fuerat, extracta, iudici præsentata est: cuius faciem tunc amoto velamine perspicuè vidit, tantam familiaritatem, iucunditatem, atque dulcedinem puero exhibẽs, vt eam deosculari potuisset, si voluisset. Et cùm ante culpã humanã formã Christũ vidisset, post purgatorium in diuinitate eũdem meruit contemplari; iuxta quem vidit gloriosam eius Genitricem, in solio splendido residentem, & in circuitu eorum, multitudinem Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, aliorumque iustorum. Diabolus verò timens animam perdere, ait ad eum: Bonum est, vt reducatur ad corpus, vt amplius adhuc tibi seruiat. Cui Dominus respondit: Hoc non dicis propter eius salutem, sed propter tuam nequitiam: speras enim quod per corpus peccando, cedere possit in partem tuam. Datâ tamen sententiâ anima corpori restituĩtur, mirantibus cunctis qui aderant, quia per signa quę in puero viderunt, verbis eius credere cõpulsi sunt. Puer verò tum amore glorię, tum timore pœnæ patriam suam deserens, conuersionis gratia ad quandam domum Ordinis nostri venit. Cuius desiderium cùm Cõuersus, homo nequam ac superbus, qui hospitio præerat, cognouisset, eo audien-

audiente, sic ait: Videte, quando tales garciones monachi fuerint effecti, statim volunt esse domini nostri. In quibus verbis puer adeo est scandalizatus, vt à proposito resiliret, & ad ordinem Templariorum se transferret.

§. 14. *S. Catharina ludos pueriles à dæmone flagellata deserit.*

Surius 22. Martij. S. Catharina virgo & viduæ S. Birgittæ filia cùm septimum ætatis annum ageret, cum coëtaneis cœpit puparum ludo operam dare: sed quia ad maiora à Domino parabatur, illam tantillæ ætatis puerilem vanitatem non passus est abire impunitã. Permisit igitur vt proximâ nocte valde infestos sentiret dæmones: videbat enim in somnis impuros spiritus in puparum specie ad suum venire cubiculum, à quibus extracta est ex lectulo, & atrociter flagellata, vt toto corpore liuida cerneretur. Mox igitur eiusmodi ludis & vanitatibus longùm valere iussis, deinceps se nullis ludentibus prorsus miscuit; immo miram deinceps morum pręse tulit maturitatem.

§. 15. *Aloysius Gonzaga prima sæcularium exercitationum deserit studia.*

Virg. Ceparius l. I. c. I. eius vita DElectabat matrem vehementer Aloysij glíscens in dies in Deum, resque cælestes amor ac studium: at pater vir armis deditus, qui sub rege Catholico multa belli negotia sustinuerat, suis potiùs illũ artibus imbui cupiebat. quocirca quartum necdum annũ egresso, sclopulos, bõbardulas, aliaque minuta arma ad illius ætatis vsum apposita propria comparat. Ad hæc cùm eiusdem Regis auspicijs, tria peditum Italorum millia sub signis ad Iunetium ducturus in agro Cremonensi, apud Casale maius, quod oppidum est ditionis Mediolanensis, delectum haberet, puerum quatuor aut quinque dumtaxat annos natum, è mulierum manibus

nibus & potestate matris ereptū, secum eo perducit: ibi quibus diebus copiæ cēsebantur, leui tectū lorica, ac pusillā hastulam præferentem humeris, militari more anteire ordines iubet, ac recreabatur mirifice cùm hoc exercitij genus puero volenti esse prospiceret. Mēses ibi aliquot moratus, vt est illa ætas omnium quæ geri videt, ęmula, dum ludos sermonesque cum militibus miscet assiduò, sensim militares sumpsit animos, neque leuibus signis ostendere visus est ad eam se gloriam ferri à studio, ad quam patris vocibus exemploque vocaretur. Itaque non semel vsu venit, vt cùm alia tela, tum fistulas ęneas præcipue versās, in magnum veniret discrimen salutis, nisi Deus, qui ad sanctius vitæ genus reseruabat, illud prope supra naturæ modum ab eius capite depulisset. Certè fuit cùm minutiore fistulâ explorandâ vultum sibi totum pulueris ardore fœdaret. Iterum cùm per estatem, secundum meridiem quieti indulgeret Marchio, atque ipse (quod in tantilla ætate obstupescas) nullius ope adiutus, collectum è meridiantium militum thecis puluerem in tormentum curule minus, quod erat pro arcis mœnibus, indidisset, ignemque subiecisset, prope abfuit quin aduersis retrocedentis carri impetu rotis obtereretur. Excitus sono Marchio, veritus ne qua esset inter milites coorta seditio, misit qui exploraret, quæ tandem esset hęc insolentia. re comperta, ad pœnam scilicet filium vocauisset, nisi milites, quibus non mediocrem voluptatem afferebant tam ingentes pueri spiritus, eam essent deprecati.

Porrò vt est plerumq; militum vulgus ad verborum licentiam turpitudinemque proiectū, ipse quoque ex eorum consortio nonnullas eiusmodi voces hauserat, quas (ignarus quęnam esset earū notio) interdum iactare cœpit: id cùm aliquando

Petrus

Petrus Franciscus Turcius audiſſet, qui pueritiæ eius moderator fuit, tanta vi in eum inuectus eſt, vt ipſe mihi moderator confirmarit, nullum vnquam ei deinde niſi honeſtum decenſque verbum effluxiſſe. Inter religioſos etiam cùm ageret, necdum illi penitus exempta erat religio de modico illo puluere militibus ſublecto, niſi quod eam illa cogitatione minuebat, haud grauate daturos fuiſſe, ſi popoſciſſet. Ceterùm in omni ætate nihil peccatum eſſe comperio, in quo plus ſit culpæ quàm in his verbis ab admodum puero, reique ſignificatæ ignaro profuſis: idque ex eò manifeſtum eſt, quod quatuor Sacerdotes, qui diuerſis locis atque temporibus confeſſionum ipſius, etiam earum quæ vniuerſam ætatem complectebantur antè & poſt initam Societatem fuerunt arbitri, atque inter hos Robertus Bellarminus, Cardinalis Illuſtriſtriſſ. qui ſub eius obitum, totum vitæ tempus recenſenti operam dedit; omnes quamuis alter alterius teſtificationis, ignari, vnò conſenſu ſcriptum fecerunt, nunquàm eum vel lethiferam noxam concepiſſe, vel hauſtam in baptiſmo Dei gratiam effudiſſe.

Licet verò ad eum, quem diximus, modum ſe geſſerit à prima ætate, tamen vbi ſeptimum annum attigit, (quam ętatem inter Ariſtotelem, ſanctoſque Doctores, ad ratiocinandum, atque adeo ad virtutem & vitium maturam eſſe conuenit) tanto ſe ardore Deum colendum cónuertit, ſeque ita penitus illi conſecrauit, vt illud poſtea ſuę conuerſionis tempus appellare ſit ſolitus. Suis itaque melioris vitæ parentibus, quibus arcana ſua credebat, inter præcipua Dei in ſe beneficia, hoc ſe ponere narrabat, quod ſeptennis à ſæculi amore ad Deum traductus eſſet.

§. 16. *Michaël puer Sinensis fulgure ictus vocem Dei audit.*

IN Pechinensi sede Ludimagister quidam pueros sibi in disciplinam traditos, non Christiana pietate minus, quàm literis imbuebat: Christi Seruatoris imaginem in ludo propositam omnes venerabantur, ac tametsi non omnes legi nouæ acquiescerent, omnes tamen eius legis capita audiebant. Michaëlem quendam, ita deinde vocatum, rudioris ingenij non permittebat de Christi fide suscipienda tractare, siue vt eius desiderium incenderet, siue quòd arbitraretur, eum ad res diuinas nondum per annos aptum esse. Verùm vespertinis horis domo puer egressus die quadam fulgure ictus aut territus, semianimis in terram lapsus est: eo in lapsu narrat se vidisse Deum spiritibus plurimis cinctum, ex eoque hęc verba audiuisse: *Ego illi vitam nunc quidem condono.* Domum relatus est, & collectis tantisper viribus, Magistrum inclamat. venit ille, ac recitata oratione semel Dominica & Angelica salutatione, Michaël repente conualuit, & hęc quę dixi, Magistro narrauit. qua ex causa mater eum Deo obtulit, & Christo iussit volentem aggregari. ipsa deinde secuta est, hodieque Christianæ pietatis retinet institutum.

Nicolaus Trigautius in Christiana expeditione apud Sinas l. 5. c. 7.

§. 17. *Puer ad fidem conuertitur.*

PVero Symphoniaco Saxonię Ducis in Austriã proficiscenti parens interdixerat, ne Pragã diuerteret, veritus ne à Catholicis cognatis, qui illic essent, ad Romanam & Orthodoxam fidem induceretur. is commodè quatuor millia passuum aberat à Praga cũ in latrones incurrit, à quibus spoliatus pene vestibus omnibus, Pragam se cõferre coactus est, atque ad nostros perductus à suis, tandem cum Ecclesia Catholica reconciliatus est.

Ex lit. Soc. ann. 1581. Coll. Pragẽsis Prou. Austriæ.

§. 18. *Puer conuersus relictis parentibus Patribus societatis adhæret.*

Ex lit. Soc. ann. 1596. prou. Peruuij Missionis Assumptionensis.

FVit in Missione ex vrbe Assumptionis, inter pueros vnus insignis, pupillus ille quidem, sed Caciquio, Præfectoque sui populi fratris filius, aliorumque primariorum, & Caciquiorum propinquus. Hunc P. Marcellus Laurentiana Catechismo instruxerat & baptizârat, eique à S. Ioanne nomen dederat, quem Hispanica flexione Ioannîcum nunc appellant. Hic nostrorum cognito discessu, statuit & ipse illorum iter comitari. apparebat eius propinquos id ægrè laturos: nostri puero blandè satisfacere initio conati sunt; eumque ab ea mente auocare; cùm nihil proficerêt, iusserunt eum quieto animo esse in patria, & ibi studiosè pietatem colere, nunquam omnino se passuros vt secum iret, patruis inuitis; peteret ipse veniam, tunc se illius studio non defuturos. Refragati sũt pueri precibus propinqui, cumque ne ille quidem sic quiesceret, & animum in sententia sua obfirmasset, nostri ne cuiuspiam animum offenderent, Caciquiorum præsertim, adhibito puero, propinquos alloquuntur, statuisse se omnino puerum relinquere, ne quem eorum offenderent, & (quantâ maximâ possunt efficaciâ) puerum iterum monent, in potestate patruorum, aliorumque suam regentium ætatem esse velit: posse ipsum in patria, & in suorum obedientia placere Deo: & quoniam optimè teneret Catechismum; agere magistrum aliorum inter suos.

Puer magno animo Patrẽ intuitus, sensu propè virili: Quos tu mihi patruos, inquit, quos propinquos narras? populares istos nescio. Cumque illi interpellarent; An nos patruos tuos non agnoscis? Nullos ego patruos, respondit, nullos propinquos, nisi hos sacros Patres noui, qui me baptismo

ptiſmo expiarunt, ad Dei cognitionem adduxerunt, & iter mihi aperiunt ad cælum: vos me in terra, & in diaboli ditione vultis retinere. Hæc aliaque in eandem ſententiam tanto ſpiritu tantaque mente proſequutus eſt, vt admirati teneræ ætatis conſtantiam propinqui repentè mutata voluntate perhumaniter & magna cum voluptate illius voluntati acquieuerint. ita cum alijs Caciquiorum filijs noſtros Aſſumptionem vſque ſecutus eſt, & cùm ceteri eius comites, bene myſteria edocti in patriam redierint, ipſe à noſtrorum conſuetudine abire noluit, ideoque ianitoris munus in noſtra domo ei demandarunt.

§. 19. *Patrocinio B. Virginis puer ad mentem redit meliorem.*

Adoleſcentulus quidam contemptis ſæcularibus Magiſtrorum monitis à via virtutis deflexerat, ſed admirabili quadam ratione ad meliorem frugem reuocatus eſt. Incidit in grauem ac periculoſum morbum, & dum in eum Medicorum induſtria conuerſa eſt, ſibi per viſum ſiſti ſe viſus ante tribunal Chriſti iudicis; qui ante-actę vitæ rationem omnem exigeret. Hæret hîc puer, timet, tremit, conſilij expers; obijcitur illi vno aſpectu præteritorum flagitiorum vniuerſa colluuies; cumque ad eos ſacerdotes, qui aures conſitenti benigne antea præbere ſolerent, tanquam ad patronos confugeret, ſcelerum ſuorum teſtes & accuſatores offendebat. Ab his repulſus, ad Cęlites ſe conuertens, Beatorum quemque inuocabat, ac poſcebat in patronum: at diu orans neminem mortalium, neminemque immortalium exorauit. quare ſe miſerrimum omnium hominum exiſtimabat. Ceterum hanc ſuam calamitatem intimis ſenſibus verſanti ac formidāti vehementiùs, terra de repente hiſcere, atque in duas partes

Ex lit. Soc. an. 1598. prou. Mediolan. de Coll. Mediolanenſi.

abire visa est, tum aselli è fouea erumpentis calcibus peti se frequentibus sensit, & magno impetu in apertam illam vastamque voraginem deturbari. Iamque de se actum existimabat, cùm illi affuit clementissima Dei Mater, insperatam misero ferens opem: nam vt corpori reddatur, à Christo filio suo impetrat, vt saluti suæ consulat meliùs, monetque vt matri suæ beneficium hoc referat acceptum, quæ (vt postea puer cognouit) eodem tempore pro filij incolumitate. Vota B. *MARIÆ montis Regalis* nuncupauerat. Eo viso (siue res gesta est, siue adumbrata cogitatione) ita permotus est adolescentis animus, ac mutatus, vt sese ad seuerissimam illam D. Francisci familiam, quę Capucinorum dicitur, spe & cogitatione conuerterit.

§. 20. *Puer ab effrena vitæ libertate reuocatus Sodalitati B. Virginis adscribitur.*

Bencius de hist. Coll. Dolani prouin. Lugdunens. Tympius de præmijs Sodaliũ B. Virginis.

VIro cuidam pio erat filius dissimilis patri; etsi enim ventitaret ad nostras scholas, tamen difficile erat vincere naturam. Cùm humana remedia irrita essent, vt diuinum expireretur, patri sedit. sanctè expiatus, perceptaque Eucharistiâ, rem multis precibus Deo commendat. auditus est: eò ipse die puer Christum Dominum videre visus increpantem, ac nî patri statim pareat mutatâ viuendi ratione, atrocia minitantem. Illico correptus est grauissima febri, quæ annum durauit. eâ vtcumque releuatus, cùm Dolam & literarum studia repetisset, oblitus Dei minarum, nescio quomodo à Congregationis Præfecto oratus est, vt exscriberet Sodalium nomina, nòn sine diuino nutu, cùm ipse è delecto numero non esset. Hoc dum facit attentè (audite mirum, quod nostri audisse se de eodem puero affirmante perscribunt) offert

offert ſe ei ſpectandam Beatiſſima Virgo. Hoc age, inquit, rem mihi gratam facis; nec ego vſquam tibi–abero. Hoc viſo territus lætatuſque auidè adſcribi in Sodalitium petit, nec niſi poſt longam probationem admiſſus. Non vanam fuiſſe obiectam ſpeciem, vocemque rebus oſtendit.

§. 21. *De varijs ad fidem conuerſis.*

ADoleſcentuli aliquot ex ſeminario S. Fidei Goano in puerum inciderunt, qui è proximis terris Goam venerat eleemoſynas quæſitum ad Pagodum cultum: erat hic ethnicis natus parentibus, patre idolorum ſacerdote, qui in execrandis cęrimonijs peritiſſimè adminiſtrabat, eratque in ijs tam exercitatus, vt Goam ſæpe ad eas exequendas tanquam bonus magiſter mitteretur, præſertim in ortu liberorum ethnicorum. Hunc pueri adorti ita ſuæ religionis vanitatem docuerunt, vt è veſtigio, inani abiecta ſuperſtitione, ſe velle fieri Chriſtianum profeſſus, eos ad ſeminarium ſequeretur. vbi dum inſtituitur, tertio quartóve menſe mater eò ſe confert, filij conueniendi cauſa. Puer, cognito eius aduentu, dici non poteſt, quanto ſtudio exarſerit eam ad Chriſtum traducendi, neque ante deſtitit, quàm illi perſuaſit, vt Chriſtiana eſſe vellet; ita & in Catechumenorum numerum relata, ſacro Pentecoſtes die cum filiola baptizata eſt, patre in ſuis tenebris & inani ſacerdotio hærente.

Ex lit. Soc. ann. 1597. prou. India ſemin. S. Fidei.

Alij per vrbem ambulantes in puerum alterũ inciderũt, quem orphanũ eſſe ſuſpicati, rogant an Chriſtianus eſſe velit: ſe orphanum negauit eſſe puer, Chriſtianũ tamẽ eſſe velle affirmauit, eoſq; ad ſeminarium euntes ſequi cœpit. Pater qui non longè aberat rem conſpicatus, confeſtim accurrit fremebũdus, puerisq; increpitis, filium abducere

conatur: tum illi circumfusi, amplexu puerum pertinaciter defendunt, donec Lusitanorum concursu iniuriâ prohibiti, domû saluâ prædâ reuerterunt. Pater filij perspectâ voluntate postero die cum coniuge pueri matre, venere ad Collegium, petitum vt se quoque in Catechumenorum numerum referrent, statáque die vnà cum filio baptizati sunt.


Ethnicus in famulatu erat Regij supremi Auditoris: hic duos paruos natos ex insula in continētē traijcere anxiè contendebat, metu ne ad Christianam religionem adigerētur, cumque ea de re sæpius herum compellasset, iussus est securo esse animo: scire Patres ipsum supremo Auditori famulari nec licere iniuriam facere cuiquā ex eius familia. Quo responso barbarus quieuit: Duo interim ex his pueris, impetratâ veniâ parocho cuidam indicarunt, certa eius parœciæ in domo orphanos duos custodiri: missi ad eos extrahendos pueri, cum apparitore, ab domo aberrarunt, domumque eius qui famulabatur Auditori, intrarunt, petiere orphanos sibi exhiberi: perculsus ille rei subitę nouitate, negauit esse domi suæ orphanos, suspicatus apparitor ipsum eos nolle prodere, perscrutatus est domum, duos eius liberos deprehendit, puerisque ad seminarium deducendos tradit. Ethnici pueri subitò exhilarati, magna animi alacritate se duci passi sunt, professi Christianos esse velle: Pater demum re cognita, suasu præsertim Auditoris, & ipse vnà cum coniuge Christo nomen dedit, vnaque omnes baptizati sunt, & ab ipso Auditore è sacro fonte suscepti.

Vide p. 2 c. 17. §. 13. item de conuersis ad fidem vide aliqua 1. p. c. 9.

CAPVT

CAPVT XII.

AFFECTVS IN RELIGIONEM PRIMIS ANNIS *innatus.*



SICVT inter eos qui diuino cultui consecrantur non pauci, qui ad religiosum statum nati etiam meritò dici possint, quique illud Christo Domino dicant: *De ventre matris meæ tu es susceptor meus:* *Psal. 70.* eo quòd mundum non priùs aspexisse quàm contempsisse, non priùs lac nutricis fastidijsse, quàm lac religionis concupijsse videantur: & quamuis eiusmodi impares iugo Dominico possent à quibusdam existimari: si tamen æqui simus rerum æstimatores, nullos adeo seruituti diuinæ idoneos esse reperiemus, atque eos, qui à puero religionis iugo tenera colla submiserunt. Dum tenera est arbor, quamuis in partem explorantis & fingentis manu ducitur; annosam quercum frangas citiùs quàm inflexeris. Et eius quidẽ quod dixi alia quoque ratio afferri potest, quòd hæc ætas quicquid sese obtulerit, arripiat auidiùs, testæ recentis in modum, & serò dediscat, quæ didicit primùm. Ideo docet Aristoteles omnia prima capere, & *Arist. 7. Polit. vlt.* preoccupare animum: & eam ob causam iubet in bene institutâ republicâ omnia turpia procul à pueris remoueri, vt ne pictum quidem aliquid eiusmodi videant; aut etiam ne Comœdias Tragœdiasve spectent: quę custodia in sæculo nec seruari, nec sperari potest; in regione perpetua, & certa est. Atque illud est quod D. Ambrosium de S. Acholio exclamare coëgit: *Benedictus Dominus, & benedicta adolescẽtia eius, quã exegit in tabernaculis Dei* *D. Ambros. epist. 59.*

Iacob, positus in monasterijs. Et verè benedicta talis adolescentia; qui enim ab ineunte ætate iugo isti assueuerint, mirum, quantum habeant præsidij vt se supra se, ac naturæ pondus attollant, vitamque traducant omnis vafritiei expertem, innocentissimam, qualemque ij degebant, de quibus Pachomius apud Metaph. *Cœnobium*, ait, *habet multos qui recentes aduenerunt, quorum sunt diuersi mores, & nondum sciunt nec ipsum Monachi habitum. inter quos sunt etiam pueri adeo simplices, vt ne suam quidem norint dextram vel sinistrã.* Hæc ille: Ex quibus colligitur quantus candor in ijs etiam diu remaneat, quanta simplicitas, qui à primis annis relicto sęculo à Domino assumpti sunt. Quod cùm animaduertisset D. Anselmus, non dubitauit eos quià pueritia in Monasterijs nutriti sunt, Angelis; qui verò in prouectiori ætate religiosum statum amplexi sunt, hominibus comparare.

D. Anselm. l. de simil.

§. 1. *De S. Maria Oegniacensi.*

Iacobus de Vitriaco Episcop & Cardin. in eius vita. Antoninus 3. p. tit. 19. c. 12.

S. Maria Oegniacensis summâ monasticum ordinem suscipiebat reuerẽtiâ: vt si quando Fratres Cistertiensis ordinis domum paternam præterire contigisset, religiosum habitum suspiciens, clam illos sequeretur, & quando nihil posset aliud, suos pedes in illorum vestigijs prę sequendi desiderio, defigeret, cùm autem parentes more sęculariũ vestibus eam delicatis ornare voluissent, ipsa contristata respuebat.

§. 2. *De S. Euphraxia.*

In vitis Patrũ 1. p de S. Euphr.

VNâ dierum Euphraxiæ infanti Abbatissa (ad quam fortè cum matre conuenerat) dixit tẽtando: Diligis monasterium, Euphraxia, & omnes sorores? illa respondit: Etiam Domina, diligo vos. Dixit Abbatissa ei rursum cum ioco: Si diligis nos, esto nobiscum in nostro schemate. cui infantula dixit: Verè si non contristatur mater mea, vlterius

teriùs non egrediar de loco isto. Cui Abbatissa dixit; Inter nos est sponsus tuus quem plus amas. puella dixit: Neque illum noui, neque ille me; vos autem noui & vos amo. Dicite mihi: Vos quem diligitis, me an illum? Illæ verò dixerunt: Nos te diligimus & Christum nostrum, puella verò respōdet: Ego verò vos diligo & Christum vestrum. Sedebat verò Euphraxia mater eius, & fluminum lacrymarum eius non erat modus: libenter enim audiebat verba puellæ cum Abbatissa, quia cùm esset ætate infantula, talia loquebatur. Nondum enim septem annos impleuerat. Tunc ingemiscēs mater ad filiam suam dixit: Filia mea veni, pergamus domum, quia iam vespera est. cui puella dixit: Ego hic maneo cum Domina Abbatissa. Dixit Abbatissa puellæ: Vade domum tuam, nemo potest manere hîc nisi se deuouerit Christo. Cui puella: Vbi est Christus? Illa gratanter ei Dominicam imaginem demōstrauit. Pergens autem Euphraxia, osculata est Dominicam figuram, & conuersa dixit ei Abbatissa: Filia non habes vbi maneas, & non potes hîc manere. puella dixit: Vbi vos manetis, & ego maneo. Et cùm iam vespera esset, & multum mater eius coëgisset, atq; Abbatissa, vt ambularet, nequaquam potuerunt eam tollere de monasterio. Multùm ergo crebris diebus mater eius atque Abbatissa ei blandiebantur, & persuadere nequierunt vt de monasterio potuissent eam expellere: nouissimè verò dixit Abbatissæ: Verè & ego voueo me Christo meo, & vlteriùs cum Domina mea non vado. Dixit ei Abbatissa: Filia, si vis hîc permanere, literas habes discere & psalterium, & vsque ad vesperam habes ieiunium ducere, sicut vniuersæ sorores. puella dixit ei: Ego ieiunium & omnia disco, solùm me dimitte hîc esse. Dixit ergo Abbatissæ mater eius: Domina mea matrona, dimitte hāc puellam hîc;

video

video enim quia gratia Dei illuxit in ea, & iustitia patris, & honestas tua, & orationes vtrorũque vestrum æternam vitam prouidere ei noscuntur. Surgens igitur Euphraxia, & assumens filiã suã ad Dominicam eam imaginem adduxit, & extendẽs manus ad cælum, cum magno clamore & fletu clamauit dicens: Domine IESV Christe, habe curam huius infantulę, quia te concupiuit, & tibi se commendauit: & conuersa, dixit ad filiam suã: Euphraxia filia mea, Deus qui fundauit immobiles montes, & te quoque in suo timore confirmet. Et hæc cùm dixisset, in manibus eam tradidit Abbatissæ, & deflens pectusque suum tundens ita recessit à monasterio, vt omnis congregatio cum ea ploraret.

§. 3. *De puero Achas.*

Thomas à Cantiprat. Meyerus in annal. Fland. Molanus de Natal Belgij 11. Iunij

CLaruit Thorolti in oppido Flandrię puer Achas annorum quinque, honestis admodum parentibus ortus. Hic visis primùm Fratribus Minoribus, multis lacrymis obtinuit, vt ipsorum habitu vestiretur: sed illi hoc quasi puerile contemnunt, cùm illius rei (quod pueris euenire solet) memoriam putarent obliuione abolendam. Verùm ita cœpit puer ordinis religiosi consuetudines obseruare, nudipes incedere, nodosâ chordâ præcingi, pecuniæ contactum perhorrescere, ita ad reliquas pietatis leges animum adijcere, vt parentes & vicini omnes habitum ab eo non fuisse pueriliter expetitum faterentur: voti ergo compos effectus, mirum quanta morum gestuumque eius fuerit dignitas, quanta oculorum grauitas, quanta incedentis sub attrito cucullo demissio. Et hęc quidem vestis religiosa, quam deinde biennio solùm, quo vixit, gestauit, cùm super morituri lectulum iaceret extenta, eo defuncto, simul ex omnium oculis disparuit, nec vnquam postea est visa.

§. 4. *De*

§. 4. *De S. Catharina Senensi.*

HÆc annorum circiter octo puellula, maximo animarum zelo ardebat, ideo illos peculiariter amabat sanctos, qui animabus lucrandis operam nauassent; & quòd diuinitus intellexisset S. Dominicum zelo fidei & salutis animarum ordinem Prędicatorum instituisse, tanta animi demissione totum ordinem illum reuerebatur, vt si quos eius religiosos vidisset domum suam prętereuntes, illorum obseruaret vestigia, & deinde venerabunda exoscularetur. Porrò creuit in dies ista proximi iuuandi cupiditas, & in ordinem Dominicanum affectus, adeoque vt quod natura negasset, hoc desiderium & industria datura videretur: cogitabat enim sanctam Euphrosynam imitari, & emētito sexu in remota orbis regione Fratribus Dominicanis se adiungere. Sed hoc desiderare permisit Deus, non exequi. *Surius 29. April.*

§. 5. *De S. Bonifacio.*

DE S. Bonifacio sic S. Willibaldus: Qui iam labentia cuncta animo subiecerat, & æterna magis quàm præsentia cogitare disposuerat, cùm esset annorum circiter quatuor seu quinque, Dei se seruitio subiugare studuit: multoque mentis conamine, de monasteriali iugiter vita insudare, & ad ea mentis quotidie nisibus anhelare. Quamuis verò non tunc, sed postea monasterium adierit (vt apparet) vix tamen alios quatuor aut quinque annos sanctus puerulus expectauit. *S. VVillibaldus.*

§. 6. *De S. Clara de Monte-falco.*

S. Clara de Monte-Falco nondum quinquennis erat, cùm sorori suæ (quæ virginum Cœnobium incolebat) ad omnem pietatem fingenda traderetur. Non tulit hoc antiquus serpēs, sed tam lætis inuidens initijs ei non rarò adfuit, sororis *Ex Chron. S. Franc. l. 5. c. 40. & Ribad. 17. Aug.*

eius persona assumpta; & minas graues, immo mortem est interminatus si Religionis iugo libera colla submitteret: sed puellula retectis insidijs, Tuas ego minas, inquit, ne pili facio, nocere mihi non potes, cùm sim vnita sponso meo Christo, cuius amore mundum calcare animo meo certum est. Porrò de profligato hoste triumphanti Claræ se videndum præbuit speciosus forma præ filijs hominum, totiusque vitę eius ambagibus ob oculos subiectis, ad crucem magno animo ferendam animauit. Illa vix sextum annum attigerat, & Monasterium inijt tanta cum animi voluptate, ac si ad Elysios paradisi campos aditum sibi patefactum intellexisset.

§. 7. *Qui modò geniti infantes lac Religionis concupierunt.*

1. TRimula erat MARIA Virgo, quando Deo est à parentibus oblata, vbi vixit inter virgines Deo dicatas (quod fuit velut religionis prototypon) vbi & ipsa omnium prima virginitatis voto sese Deo in perpetuum consecrauit.

2. Triennis erat S. Ioannes Baptista quando antra deserti incolere cœpit, & vitam asperam traducere.

Metaphr. apud Sur. 15. Iunij. 3. S. Febronia duorum dumtaxat annorum erat, cùm monasterium est ingressa.

Sur. 5. Ian. 4. S. Heliodorus puer trium annorum monasterium intrauit, vbi annos 62. vixit adeo rerum omnium expers, vt diceret se nec porcos, nec gallos, nec aliud eiusmodi vidisse vnquam.

Raderus in Viridario. 5. Daniel secundus Stylita quinquennis à parētibus ad asceterium Monachorum deductus, in religiosæ vitę disciplina magnos fecit progressus.

In Breuiario Mogūtino ita legitur. 6. Lullus apud Anglosaxones in Britannia natus à primis annis Christum cum literis imbibit: nam adhuc septennis, cuiusdam monasterij Patribus com-

bus commendatus nihil omisit, quod ad promerendam Dei gratiam pertinere posset.

7. Bela 4. eius nominis Rex Hungariæ Margaretam filiam precibus à Deo impetratam, memor cōcepti voti, tradidit monasterio Vesprimiēsi, cùm esset trium annorum & semis. cùm autem attigisset annum decimum translata est ad monasterium insulę Danubij, ab eius parentibus Christi amore fundatum, quod hodie à S. MARIA nomen retinuit. ipsa anno duodecimo professionem emisit. *Surius 28. Ianuarij.*

8. S. Godefridus Ambianensis Episcopus in monasterium S. Quintini assum ptus est cùm esset quinquennis.

9. S. Editha virgo, Anglorum Regis filia, in monasterio à teneris annis Deo dicata, sæculum hoc ignorauit potiùs quàm reliquit. *Martyrol. Roman. 16 Septemb.*

10. S. Francisca Italiæ Abbatissa ordinem Cistertiensium ingredi se velle parentibus clara voce dixit, cùm necdum septimum ætatis annum attigisset. Placentię ergo etiam tunc admissa est: cumque anno 15. de emittenda professione ageretur, essetque ab Episcopo velanda, visus est Angelus supra verticem illius sacrum velum demittere. *Dassignies in annal. Cistert.*

11. Eustochia Monialis Deo fuit oblata anno ętatis 7. vestita anno decimo, professa 20. mortua 25. qui erat Christi 1469. *Lignū vitæ 13. Feb.*

12. S. Marina admodum etiam parua monasterium virorum est ingressa, de qua hæc leguntur. Fuit frater quidam sæcularis, habens vnicam filiam paruulam: ipse verò conuerti cupiens, commendauit eam cuidam parenti suo, & in monasterium (quod longè erat à ciuitate per milliaria 32.) ingressus, perficiebat opus monasterij, ita vt Abbas eius plus quàm cæteros eum diligeret, eo quòd fidelis esset, & obediēs. Contigit autem post aliquod *In vitis Patrū l. 1.*


aliquod tempus, vt recordaretur charitatis filiæ suæ, & cœpit contristari atque affligi intra se, & cùm per multos dies hoc faceret, vidit eum Abbas eius tribulatum, & dixit ei: Quid habes frater, quòd sic tristis ambulas? Dic mihi; & Deus qui consolatur omnes, dabit tibi auxilium. Tunc ille procidens cum lacrymis ad pedes eius, ait: Habeo vnũ filium in ciuitate; quem reliqui paruulum, & recordatus affligor propter eum. & noluit Abbati indicare quod puella esset. Abbas verò eius hæc ignorans, & nolens eum amittere; quia necessarius erat in monasterio, dixit ei: Si diligis eum, vade; & adduc eum huc, & sit tecum: & abiens adduxit eam, dicebatur autem Marina; & mutauit ei nomen, & vocauit eam Marinum; & dedit eam ad discendas literas intra monasterium, & erat cum ea. Et nullus cognouit de Fratribus quod puella esset, sed vocabant eam omnes Marinum. Et dum esset annorum 14. cœpit eam docere pater suus viam Domini, & dicebat ei: Vide filia vt nullus cognoscat mysterium; vsque in finem tuum, & solicita sis ab insidijs diaboli, & ne seducaris ab eo, & istud sanctum Monasterium per nos solui videatur, & in conspectu Christi, & coram sanctis Angelis eius, cum impijs æternam damnationem accipiamus. Cùm autem facta esset annorum septemdecim defunctus est pater eius.

Lege plura lò. co citato. Quomodo à quadam puella accusata quod eam impragnasset, eiecta sit, & ante fores monasterij filium illum alienum nutriuerit quinque annorum spatio: rursusque in monasterium recepta grauissimã subierit pœnitentiam, tanquam facinoris conscia, donec è viuis excessit. tum primùm patuit sexum fuisse mentitam, monachis longam in tanta calumnia patientiam meritò stupentibus.

§.8. Puer

§. 8. *Puer quidam à D. Virgine correptus pium in religiosos affectum resumit.*

COloniæ scholaris est, pene quatuordecim annorum cuiusdam ciuis filius, & ecclesiæ S. MARIÆ in Capitolio Canonicus, ille miro modo ordinem nostrum (inquit author) diligebat. Hoc anno cùm naues ordinis per Zelandiam timore prædonum transire non auderent, rumor venit Coloniam, quod omnes essent deprædatæ; & dixerunt quidam; Iuste actum est cum eis; Monachi auari sunt, mercatores sunt, Deus illorum auaritiam sustinere non potest. Huiusmodi verbis prædictus puer in tantum iratus est, vt odio aduersus ordinem concepto, religioni detraheret, nec æquo oculo Monachum, siue Conuersum respicere posset. Nocte quadam in somnis ante imaginem Dei Genitricis sibi stare videbatur, quem cùm illa seuerius intueretur, & puer tremeret, faciem ab eo auertit, sic dicens: Malè puer, optimis amicis meis quos habeo in toto mundo, maledicis & detrahis. Quod verbum ille bene intelligens, & ex terrore euigilans, amorem extinctum, gratia B. Virginis in eius corde reaccendit. *Cæsarius l. 7. c. 42.*



CAPVT XIII.

PVERI AD RELIGIONEM VOCATI DIVERSIMODE.

SVAVISSIMVM erat spectaculum, cũ agens inter mortales Christus & ipse tum mortalis, puerorum consortio atque adeo cõplexu tantopere recrearetur, Sinite, inquiens, paruulos venire ad me, & nolite eos *Matth. 19*

lite eos prohibere venire ad me, hos amplexabatur, hos gremio excipiebat, his benedictionem suam humanissimè impertiebatur, hos cælorum hæredes renunciabat. Atque hunc amorem non solùm testatus est, dum hîc in terris ageret, verùm etiam in cælo non modò confirmasse, sed (si ita loqui liceat) magis ac magis auxisse videtur. Quod maius amoris indicium desideramus, quàm sit adeo diuersimoda ad Religiosorum castra vocatio? quibus non vsus est vijs, vel ambagibus, vt quos amoris sui scribio exceperat, in Religionis tutissimo asylo collocaret? Non tanta diligentia videtur auceps ad prædam anhelare, pedicas disponere, circuire, expectare. *Injce*, Adolescēs quisquis es, *pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* *Ecclesiast.* 6

§. 1. S. *Eugendus Abbas.*

Sur. 1. *Ian.* EVgendus sex annorum puer duobus religiosis (quos Romanum & Lupicinum sanctos Abbates fuisse constat) vltra paternę domus vestibulum sisti sibi per somnum visus est: cùm continuò adsunt varij vndique & vndique, vt multitudo circumstantium conflaretur innumera; & ecce apertis cælis delabuntur cælestium spirituum chori, manus terrigenis copulant, præcinunt, choreas ducunt, ac deinde in cælum sese recipiunt: quo viso puer perculsus euigilat, rem patri refert, satis inde colligēti filiolum religioni dicandum. Ergo primis literarum elementis eruditus traditur vix septennis S. Romano, qui eum in spiritu de incolatu terrestri eduxerat. Cumque post annum inter missarum solennia hæc fortè verba legerentur: *Ego sum via, veritas & vita*: illa esse verba fassus est, quę reciproca modulatione Angeli concinebant. *Ioan.* 14.

§. 2. S.

§. 2. S. Hermannus.

Accidit Coloniæ aliquot ædes conflagrare; concurrentibus vndique, vt fit, adiunxit se puer Hermannus(erat tum annorum 12.) & ecce, mirum dictu! basilica quędam stabat flammis cincta, sed illæsa. Cunctis rem mirantibus cùm & ipse miraretur, intuenti vidēdum se præbuit Christus crucifixus supra basilicæ cacumen. Agnouit ergó eam basilicæ partem ob crucifixi præsentiam, intactam. sed permissus est pueriliter dubitare cur in alias templi partes non posset flamma grassari; & cùm omnes templi partes curiosiùs circumiret, quocumque se vertebat eandem Crucifixi effigiem in cunctis partibus contra se stare perspexit, domum suam ab ignibus defensantem. Didicit itaque sapiens puer totum mundum cupiditatum flammis conflagrare, & solos illos ab ignibus perstare immunes, qui sub salutares alas confugerent Crucifixi. Ex quo statuit fugere de medio Babylonis, & religionem ingredi, fecitque. *Surius 7. Aprilis.*

§. 3. S. Antonius.

Antonius Ægyptius nobilibus & Christianis parentibus natus, quibus adolescens orbatus est, cùm ingressus ecclesiam ex euangelio audiuisset; *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; tāquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtēperandum existimauit. Itaq; vendita re familiari pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, cælestis vitæ genus in terris colere instituit. *Ex Brem. Rom. 17. Ianuarij.* *Matt. 19.*

§. 4. S. Hilarius Abbas.

Hilarius Abbas, tempore Theodorici regis Lōgobardorum claruit. Hic de Tuscia oriūdus dum puerulus Epistolas Pauli legeret, diuino spiritu in- *Petrus de Natal. l. 4. c. 163.*

ritu inspiratus, & à seniore de vita solitaria informatus, annorum tredecim relicto sæculo Deum orauit, vt eum ad locum duceret, vbi solitarius Deo seruire posset. Cui Angelus Domini apparuit, ipsumque de vrbe Roma, in qua habitabat, eduxit, & vsque ad montem Emiliæ ei ductor extitit; vbi in sanctitate vitæ Deo soli vacare cœpit.

§. 5. *Niuardus, S. Bernardi frater.*

Surius in vita S. Bernardi.

BErnardus complendi sui desiderij cupidus, cùm domo Guidonis primogeniti egrederetur, videretque Guido Niuardum fratrem suum minimum in platea puerum cum pueris alijs, Eja, inquit, frater Niuarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. Ad quod puer non pueriliter motus; Vobis ergo, inquit, cęlum, & mihi terra? non ex æquo diuisio hæc facta est. Quo dicto, abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remansit, sed modico pòst euoluto tempore, fratres sequutus, nec à patre nec à propinquis potuit detineri.

§. 6. *Franciscus de Gata.*

In Chron. S Fran. l. 9. c. 42.

CVm iret fortè hic, adhuc puer, vt ingruentem ab alto nimbũ effugeret, in caui montis speluncam succesit, vbi latitans vocem audiuit eiusmodi: *Frăcisce, Francisce, speluncã hanc egredere.* Egressus ille vt dispiceret à quonam euocaretur; Quis me? inquit: & dicto citiùs moles terrea fatiscit suo põdere, antrum omne complet. Agnouit ille Deum, quem non videbat, & in genua lapsus, pręsens adorat Numen. Nec diu moratus, periculum in omen conuertens, ruituram huius mundi speluncam sibi deserendam ratus, ad Franciscanam familiam se adiunxit.

§. 7. *Senex quidam Ægyptius.*

Ex vitis Patrum 2.

DIcebat quidam de Thebaidis Senibus, quod ipse esset filius sacerdotis idolorum, & cùm paruulus

paruulus sederet in templo,& vidisset patrem suũ frequenter ingredi, & sacrificia offerre idolo, quod semel occultè post ipsum intrauerit, & viderit sathanam sedentem, & omnem militiam eius adstantem ei. Et ecce vnus de principibus veniens adorauit eum. Cui diabolus ait: Vnde venis tu?& ille respondit: In illa prouincia eram,& suscitaui illic bella, & perturbationes plurimas, effusionem sanguinis faciens, & veni nunciare tibi. & sathanas interrogauit eum: In quanto tempore hoc fecisti? ille respondit: in triginta diebus. & sathanas iussit eum flagellari dicens: Tanto tempore hoc fecisti?& ecce alius veniens adorauit eum, & illi dixit: Vnde venis tu? & respondit dæmon: In mari eram, suscitaui commotiones; demersi naues, multos homines occidens; veni nunciare tibi. & dixit ei sathanas: quanto tempore hoc fecisti? at ille respondit: sunt dies 20.& hunc similiter iussit flagellari, dicens: Quare in tãtis diebus hoc solùm fecisti?& tertius venit & adorauit eum; cui similiter: Tu vnde venis? & respondit: In illa ciuitate fui,& dum ibi fierent nuptiæ, excitaui lites,& multas effusiones sanguinis feci, insuper & ipsum sponsum occidi, & veni nunciare tibi. & dixit: In quantis diebus hoc fecisti? & respondit; decem. iussit autem & hunc flagellari, tanquam qui moras fecerit. Venit autem & quartus dæmon adorare eum, & dixit ei: vnde venis? qui respondit: In eremo eram: ecce quadraginta anni sunt quod impugnaui Monachum quendam, & vix nocte istà præualui, vt facerem eum fornicari. Quod diabolus audiens surrexit,& osculatus est eum,& tollens coronam quam ipse habebat, posuit in capite illius,& fecit eum in vna sede considere secum, dicens: Magnam rem fortiter egisti. Hoc ego, inquit, cùm audissem, & vidissem, dixi intra meipsum: Verè

p.l.de Fornicatione.

 magnus

magnus eſt ordo Monachorum: & egreſſus, factus ſum Monachus.

§. 8. *Simeon Stylites Stylitarum auctor.*

In vitis Patrũ l. 9. c. 26. *Raderus 3. p. Viridarij c. 4.* Sententiâ euangelij audiens conuertitur.

HAc primâ pueritiâ vſque ad tertium decimum annum ouilia ſecutus, patris gregem cuſtodiuit: à tam humili ſtirpe, tam altum molitus eſt ædificium. Quo tempore fortè ad templum delatus audiuit à præcone euangelij, beatos qui in præſens lugerent, eoſdem olim in cælo ſempiterna conſolatione permulcendos, puraſque mentes beato numinis aſpectu perpetuò fruituras. Edoctus poſtea à religioſo viro, quem percunctatus erat, quâ viâ ad ſalutem tenderet, extra ſtrepitus vrbanos & populi turbas ad cœnobia fugiendum; ibi reperturum optimos vitæ cæleſtis doctores & ductores. In hac vitæ mutandæ cogitatione dum verſatur, gratus membra ſopor cubantis occupat, quo preſſus viſus eſt ſibi terram effodere loco fabricæ colendæ, & propter aſſiſtentem audire, qui iuberet altiùs moliri: cumque mandata exhauſiſſet imperantis, rurſum oculos in quietem declinaſſe, ſed identidem vocem exaudiſſe iubẽtis, altiorem foſſam duceret: qua tandem ſatis altâ, tum demum iuſſum fabricam de cetero ſine labore educere, quoad faſtigium imponeret. quaſi tantùm in principijs ſudandum foret, cetera victis naturæ vitijs ſponte conſecutura eſſe, quod & Vatis dictum affirmat, cùm ait: *Dimidium facti qui bene cœpit habet.* Simeon ergo recta properauit ad aſceterium Heliodori viri innocentiſſimi.

Viſio Simeonis.

§. 9. *Puer quidam fratris precibus conuerſus.*

Cæſarius l. 1. c. 20.

IN domo noſtra (inquit Cæſarius) quidam Monachus eſt, qui ad ordinem veniens, germanum ſuum, quem vnicum habuit, adhuc conuerſioni propter ętatem minùs habilem, in ſęculo reliquit:

liquit: timens eum impedimentis sæculi irretiri, eiusque per hoc conuersionem impediri, quotidie Dominum orauit, maximè tamē beatam eius Genitricem, vt illius suis precibus accelerare dignaretur conuersionem, cuius in sæculo periculosam esse considerauit habitationem. Attendens pius Dominus pium Monachi circa germanum studium, cordi Abbatis immisit, vt puerum susciperet, quem infra annos, sine officij sui periculo, suscipere non potuit. Ea nocte qua habitum induit, quidam ex Sacerdotibus eiusmodi visionem de illo vidit, videbatur ei quod matrona pulcherrima ante ostium monasterij staret, & puerum pulchrum in brachijs teneret, à quo interrogata cuius esset puer ille, respondit: Filius illius monachi est, fratrem eius nomine designans, simulque nomen nouitij intrantis exprimens: & sicut ipse intellexit, qui hanc visionem vidit, ipsa matrona pulcherrima, Beata Dei genitrix fuit: secundum Apostolum, Qui alium verbo vel exemplo ad bene viuendum informat, hunc profectò tanquam proprium filium Christo generat. Quod autem eundem nouitium venerabilis virgo MARIA ad ostium monasterij, quasi mater filium, dignata est præsentare, dedit patenter intelligere, eius conuersionem prædictum monachum suis orationibus per eius magna merita obtinuisse. *1.Cor.4 & ad Philem.*

§. 10. *S. Lutgardi.*

LVtgardis ex illa quondam Tungrorum celeberrima ciuitate patre ciue, matre nobili, traxit originem. Pater eam tenerrimè diligens, secundum sæculi fastum cupiēs eam florere & prosperos habere successus, cuidam mercatori, dum adhuc iuuencula esset, viginti marcas argenti dedit, vt ex ijs donec ea adolesceret multiplicatis copijs, lucrisque paratis, dos nupturę filiæ au- *Ex eius vita auctore Thoma Cantipratensi Dominicano apud Surium 16. Iulij.*

 geretur.

geretur. Crescens interim puella, & quid eius causâ fieret animaduertens, quantum illa ætas patiebatur, ad nuptias inhiabat. Sed Deus frustrato patris eius consilio, de Lutgarde sibi potiùs desponsanda aliter disponebat. Ille enim qui Lutgardi destinatam pecuniam augmentandam susceperat, crebrò in Britanniam traijciens, & per multos aduersos casus diffluens, ad vnam marcam redegit viginti, alijs planè dissipatis. Sed neque sic tamen aut patris propositum aut effrõtem filiæ impudentiam ea res retardasset, nisi matris instantia mentem filiæ, modò minis, modò blandimentis emollijsset, ita illi dicentis: Si Christo nubere volueris, monasterium quodcumque volueris honestissimum conciliabo: sin autẽ mortalem sponsum malueris, non nisi bubulcum habebis. cuius verbis, & mariti votum, & filiæ voluntatem ad salubrius propositum inclinauit. Vbi igitur annos 12. excessit, in monasterio S. Catharinę, quod est prope S. Trudonis in Hasbania, diuino seruitio mancipatur. Cumque iuuenis quidam illam egregius prouocaret, animum illius interdũ verbis nonnihil permouere cœpit, obseruansque tempus & locum, clam nocte quadam domum, in qua virgo iacebat, adire tentauit: sed cùm accessisset, repentino terrore correptus aufugit. Institit verò miris modis diabolus, vt ad consensum animum puellæ inclinaret: sed non permittẽte Deo, eius conatus irriti fuere. Sedente autem quandoque simplice puella, & cum iuuene illo colloquente apparuit ei Christus eâ formâ, qua olim inter homines versatus fuerat, pectorique vestem suam detrahens, qua tectus videbatur, vulnus lateris ei ostendit, quasi recens cruentatum, dixitque ei: Blanditias inepti amoris posthac vide ne requiras: hîc iugiter contemplare quid diligas, & quam ob rem diligas. Hîc ego

totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas. hac illa visione & oraculo pauefacta, statim oculis cordis inhæsit illi, quem viderat, & vt eum acciperet, meditabatur vt columba: moxque superno illustrata splēdore, totius vanitatis à se sensit abstersam caliginem. Cumque eam vidisset die quodam matrona nobilis & deuota, spiritu prophetico dixit: Tu, vt video, bona & Agnes, & reuera altera Agnes eris. subitò verò adest iuuenis supradictus, & cœpit suos replicare sermones. Cui illa, vt quondam Agnes beatissima, hianti ore respōdit: Discede à me pabulum mortis, nutrimentum facinoris, quia iam ab alio amatore præuenta sum.

§. II. *Theodorus in medijs epulis conuertitur.*

THeodorus annorum ferme 14. Christianis ortus parentibus, & secundum sæculum valde claris, hoc modo conuersus est. Ad octauum Idus Ianuarij quædā apud Ægyptū ex more celebrabatur festiuitas. Cernēs itaque domum suā nimis amplā & splēdidam, ac bonis omnibus abundantem, per Dei gratiam corde compunctus, alia secum cœpit voluere. Quid tibi proderit infelix Theodore, si totum mundum lucratus fueris, & temporalibus vtens vsquequaque diuitijs, si ab illis æternis bonis, & immortalibus excludaris? nullus enim potest præsentibus bonis perfrui & perēnis gloriæ præmia promereri. Super his ergo fortiter ingemiscens, penetralia suæ domus ingressus est, & procidens in faciem suam cum lacrymis ait: Omnipotens Deus, qui occultorum es cognitor, tu scis quia nihil horum quę sunt in hoc sæculo amori tuo prępono, propter quod obsecro te misericors, vt voluntatem meam dirigas, illuminans animam meam miseram, ne ęterna morte contenebrata peccatis obdormiat, sed redem-

D. Hieron. in vitis Patrum p. 1. de Theodori conuersione.

pta tuo munere per omnia te collaudet atque glorificet. Hæc eo orante, venit mater illius, & inuenit oculos eius plenos lacrymis, & ait: Quis te contristauit, charissime fili, vt sequestreris à nobis? nam soliciti ac dolentes vbique te quærebamus, vt nobiscum pariter epuleris. Qui respondit: Perge quęso mater, & cibum sume, quia ego nunc manducare non possum. Nec acquieuit precibus eius, vt cum ea comederet. Et cùm ad scholam ambularet, & literas disceret, ieiunabat vsque ad vesperam; frequenter autem & biduana ieiunia transigebat, per duos annos omnibus preciosis & delicatioribus cibis abstinens, seque ad perfectã cõtinentiã (quantũ ætas illa patiebatur) extẽdens. Cœpit itaque secũ tractare quatenus monasteriũ expeteret, sanctęque regulę se manciparet, & deserẽs omnia quæ habebat, quosdam religiosos viros reperit optima institutione viuentes, habitauitque cum eis, Domini in timore proficiens.

§. 12. *B. Aloysius Gonzaga.*

Virgil. Cæsarum vita eius l. 1. c. 5

MOntis-ferrati ampliùs dimidiatum annum cùm versaretur Aloysius, modò in Patrum Capucinorum, modò in Barnabitarum cœnobiũ se recipiebat, vt de pietatis institutis cum vtrisque colloqueretur, à quibus cùm miram in ijs sententiarum consensionem animaduerteret, vix auelli posse videbatur. Admirabatur imprimis illam quam in plerisque omnibus cernebat vultus hilaritatem, illum mortalium rerum contemptũ, illa stata precandi, & canendi tempora, illam totis ædibus quietem omni strepitu vacuam, illam animi, siue viuendum, siue moriendum sit, ęquitatem. Hæc reputans, animum ad simile vitæ genus sensim adiungebat. Verùm quòd nondum exacto tertio decimo ętatis anno factis cogitata persequi non liceat, neque vllam familiam designauit,

neque quid haberet in animo exposuit, nisi quod crebris sermonibus, quos cum matre habuit, confidentiùs negauit se satis mirari posse, neque augurari quid causę mortales possint dicere, quin religiosi omnes fiant, siquidem luce meridiana illustriora esse emolumenta, quæ non illi tantùm futuræ, sed huic etiam instanti vitæ mortalium afferat Religio. Non ita diu post etiam, inter marinos illos scopulos lapillum offendit, notis quibusdam distinctum, quæ sacratissimas Christi Saluatoris nostri plagas referrent. Ille verò, cuius tota mens semper erat in pietate, ratus eum sibi diuinitus obiectum esse, quo intelligeret similes sibi, ac Christo pœnas patiendas esse, ad matrem conuersus: Aspice, Domina, inquit, quid mihi Deus obtulit: & tamen pater adhuc me vetabit religiosum fieri? eum deinde lapidem, quippe Christi patientiæ monumentum, diu in honore habuit.

§. 13. *Catharina Illustrissimi Sancij Roderiquez filia.*

ADmiranda fuit Catharinę primogenitæ ad Deum conuersio anno ętatis 14. quo tempore cùm ab humili Christi cultu atque obsequio longissimè abesset, & quicquid illi parentes coniugij nomine referrent, opinione sua minus esse videretur; contigit vt in Christi cruci affixi effigiem incideret, in cubiculo quodam appensam, in quam coniectis oculis, legere cœpit eiusdem crucis titulum, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, cuius singula verba sic eius animum peruaserunt, vt eodem momento, cælestique lumine igneque afflata, in aliam planè mutata sit. Hausit illico incredibilem abiectionis suæ, & humanæ miseriæ cognitionem. Inflammata deinde ardentissimo Dei causâ patiendi desiderio, humilitatis Christianæ

Io. Crŏbecius de studio perfectionis l. 2. c. 10. ex Ribera in vita Matris Teresiæ li. 3. c. 3.

ſtianæ altiſſima fundamenta ponit; feruentiſſimo odij proprij ac pœnitentiæ agendæ ardore ſuccẽſa. His iactis fundamentis, antequam ſe loco moueret, caſtitatis voto obſtrinxit ſeſe, ac paupertatis concepto ſimul inęſtimabili deſiderio, ſubijciendi ſe alterius imperio; intantum vt parata eſſet hanc ob cauſam in Maurorum regionem commigrare. Incredibilia ſunt quæ nobiliſſima hæc virgo à die illo fecerit, quæque illi acciderint; ſanitate ei diuinitus reſtitutâ, viſione item mirabili oſtenſa ei religione quam ingrederetur, reguliſque eiuſdem inſtituti propoſitis, viginti annis antequam monaſterium fundaret cum ſorore ſua MARIA; cui omnia bona ſua contulerunt priuſquam ingrederentur, nulla tamen deſuper ingreſſus ſui facta mentione.

Vide p. 2. c. 11. §. 14. & c. 20. §. 6. de pueris Apamęenſibus. & 2. p. c. 11. §. 8. & p. 2. c. 3. §. 7. de Ephram puero.



CAPVT XIIII.

FLAGRANS RELIGIONIS DESIDERIVM.

NON eſt adeo mirum vehementi religionis amore eos teneri, qui per huius vitę ambages varijs terra marique caſibus iactati ſunt, & tranquillam vitæ religioſæ malaciam intuentur, quique hac loto ſuauiſſima ineſcati ſub religionis vexillo militantes; felicem ſuſceptæ vitæ ſortem experiuntur: omnibus enim ratio ſuggerit; vt

rit; vt quod vtilitatis ac dignitatis comperimus nostræ, auidè expetamus, & vehemẽti amore prosequamur. Hoc admiratione dignius, tanto animi desiderio pueros, quos nulla mundi procella exercuerat, nulla religionis illecebra sanctè pellexerat, eam tamen ita expetijsse, vt solam religionem respirare, moribus & pia vitæ ratione exprimere viderentur; cùm interim in religioso statu nil quod puerorum animos inescare possit inueniatur. apparatus exterioris sunt illi appetentes, hic inter religiosos non inuenitur. crepundijs nugisque puerilibus recreantur, monasterij claustris procul hæc arcentur. libertatis desiderio tenentur, hæc in cœnobijs, claustris repagulisque coërcita est. Quid ergo? fateamur omnino necesse est, quos hîc subijcemus ętate quidem & corporis mole paruulos fuisse, sed plus quàm paruulos sapuisse.

§. 1. *Verè flagrans religionis desiderium in S. Hermanno.*

CVm in monasterio Steinueldẽsi, Coloniensis Diœcesis, ordinis Prẽmonstratensis ageret Hermannus, antequam habitu monastico vestiretur; adest dedicatio S. Michaëlis, cuius sacellum visitur: supra templi testudinem ad occidentem sitam, eiusque occidentalis murus per id tempus instar ostij patefactus erat. Hic igitur adstãs puer, vidit per illud muri ostium ingentem erumpere flammam, tanta vi, vt totum monasterium intrinsecus iam comburi videretur: iamque opem inclamaturus erat, sed puerili pudore præpeditus, vocem continuit, rei exitum præstolãs cum ceteris, quos vel id nõ videre, vel dissimulare demirabatur. Verùm non alius patuit incendij illius effectus, quàm quod ipsemet nouo ad religionis habitum assumendum desiderio incendebatur, eoque *Surius 7. April.*

que

que tam valido, vt præ vi illius flammæ, medullitus conceptæ, vix se contineret. Iam enim & ipse totus in diuinum quẽdam ignem conuersus erat, vt illi in habitu Angelico ministraret, *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem.*

Psal. 103.

§. 2. *Simeonis, ingressum efflagitantis, importunitas obfirmata.*

Marulus l. 5. cap. 3 ex vitis Patrũ in vita S. Simeonis Stylitæ.

SImeonem Susocionis filium tredecim annos natum, adijsse Timothei Abbatis monasteriũ ferunt, & monachum se profiteri velle dixisse: cumque non esset admissus, quòd ea ætas leuitati propior videretur, ante ostium procidisse, & ita dies quinque sine cibo, ac potu perseuerasse, ibi mori paratum, nisi quinta demum die voti sui compos factus fuisset, obstupente Abbate tantam in puero constantiam, quanta vix vnquam in senibus reperiretur. Hoc ille stabilitatis dato initio sic reliquam ætatem exegit, vt in omnibus mirabilis euaderet: & si cuncta vera sunt quæ de illo produntur, nemo vnquam corpus suum acerbiùs afflixit.

§. 3. *Stupenda S. Antonini in discendo diligentia, vt in Dominicanam familiam adscisceretur.*

S. Vicẽtius Mainard. apud Sur. 2. Maij.

AD Ioandominicũ, ordinis S. Dominici virum integerrimum, ad radices Fæsulanæ ciuitatis, quæ iam funditus interijt, cœnobium à fundamentis excitantem profectus est, vt in contubernium fratrum, diuinum quiddam iam spirans, admitteretur. Sed Ioandominicus quanquam adolescentis indolem, acutumque ac viuax ingeniũ perspexisset, teneram tamen ætatulam causatus (annos enim tantum natus erat quindecim) præsertim cùm gracili esset corpusculo, & magis neruis & ossibus quàm carne suffulto, iubet expectare dum adolesceret, & regularibus institutis, quę supra ætatem illam videbãtur esse, sufficere va-

re valeret. Fando autem, vt fit, num literarum studijs operam daret, & quænam illa essent, cùm ex eo quæreret, audiretque Pontificis sanctionibus (quas in volumen digestas, Decretum vocitant) maximè delectari: Heus, inquit, fili, reuertere ad patrios lares, mox inter nostros admittendus, cùm Decretum totum ita excusseris, vt planè videaris imbibisse. Putauit enim se pater pueri petentis vehemētiam tantisper temperasse, quòd non tam propere tot canonum posset immensitatem & volumina deuorare. Sed puerilis ardor, Ioandominici cogitatus si non elusit, superauit. Recessit Antoninus, atque ita se totum ad studia contulit, diurnâ Decretum ac nocturnâ manu versans, vt elapso statim anno propositi sui tenax, Fæsulas reuersus, quacumque voluminis parte quæsitus, promptè ac memoriter ad omnia summâ facilitate responderet. Tum verò iam non exclusus, sed iniecto regulari habitu attonsus, & admissus est.

§. 4. *S. Albertus quantopere religiosum statum expetierit.*

IAm annum attigerat octauum Albertus, & quidam præcipuæ nobilitatis viri eum (per verba de futuro, vt vocant) puellæ cuidam, quæ regio stemmate orta videretur, sponsum poscebant. Pater eius illorum tandem precibus flexus, rem ad vxorem refert, quę voti haud immemor, tacta religione, modestis maritum verbis increpuit, remque disiecit; & Alberto filio in cubiculum accîto, omnia ei per ordinem exposuit, & conceptionis modum, & visionem parentis, & postremò votum, quo Deo obstricti tenebantur. Ille verò cùm verba matris probè cepisset, responsum dedit humilitatis & prudentię plenissimum, dicens; se quidem sui iuris non esse, sed salutari parentum iugo *Surius 7. August.*

subie-

subiectum, ex eorum etiam consilio & auctoritate, vitę cursum moderari debere; neque velle ab eorum præscriptis vel latum vnguem aberrare. Tum mater: Equidem mi fili, inquit, votum quod nuncupauimus, nolim esse irritum: quin potiùs toto pectore oratum velim vt promissa exequamur. Ait illi Albertus puer: Faciam, mea mater, quod hortaris, meque in sacra Religione perpetuum Christo famulum consecrabo. Cumque die quodam pius puer cum parentibus mensæ simul accumberet, ait ad illos: Parentes optimi, equidem neque cibum, neque potum sumam, nisi mihi bene precemini: Tum illi pro animi affectu dixerunt: Benedicat tibi Deus, & dirigat gressus tuos. Eà parentum suorum benedictione percepta abijt ad Monasterium Drepanense fratrum Carmelitici instituti, à Castro mõtis Drepani duobus plus minus distans milliaribus. Quò vt peruenit, templum ingressus, peractâ ibidem oratione, petijt ab ipso Priore eiusdem instituti habitum, ordinemque, vt omne vitæ tempus in diuinis laudibus deinceps cum fratribus transigeret. At Prior, acceptis non sine multa admiratione pueri sermonibus, cùm generis nobilitatem nõ ignoraret, veritus ne ea res parẽtibus offensionem commoueret, postulatum reiecit. Itaque pius puer insigni mœrore tabescens ad parentum se ædes recepit. Interim nocte proxima parẽtibus in quiete apparuit Virgo vultu minimè blando, sed sanè seuero, monens vt promissi memores filium ad perpetuum numinis Diuini cultum tendentem non retinerent. Illi hac Virginis correptione consternati, è strato consurgunt, ac confestim cum filio ad monasterium properant, Priori ac Fratribus visa auditaque exponunt, & filium votiuum vltro illis exhibent, orant, obsecrantque vt habitu eum monastico donent. Nihil à Priore & Fratribus

recu-

recusatum est, sed summâ quadam eximiæ beneuolentię significatione Albertum exceperunt, & in castra spiritalis militiæ receptum, internis, externisque armis & ornamentis decorarunt.

At verò humani generis hostis, visâ pueri ad confligendum alacritate, stimulis inuidię grauiter concitatus, insidias moliri cœpit, sumptaque elegantissimæ mulieris formâ; vultu pietatem mentiens, precibus inhærentem non sine gemitu ita compellat: O decus omnis pulchritudinis, & flos ætatis, quid insano & stulto labore pondus humeris tuis lõgè impar tollere cònaris? Quid asperum hoc & acerbum vitæ genus subire, & in sordibus perpetuò permanere decreuisti, quæ in fine, & insignem ignominiã, & salutis ruinam, dum resilire cogeris, parient? An non satius esse existimas vnà mecum, quæ tui amore tota occupata sum, sacro matrimonij fœdere copulari, & procreandis instituendisque liberis operam dare? Redi igitur ad paternos lares, & bonis mecum summa cum securitate & felicitate perfruere. Has voces fraudis & insidiarum plenas, illico sentiens Christi seruus, signo S. Crucis se communit, & tortuosum serpentem, humanam speciem mentientem, in flammas abire præcepit, atq; ita fugato dæmone, multò se alacrior ad subeundos pœnitentiæ labores accinxit, & euoluto anno se professione obligauit.

§. 5. *Quid Zacharias S. Carionis filiolus egerit, ne à religione dimitteretur.*

CArioni, postea monacho, olim erant gemini liberi, quibus cum vxore relictis, ipse in Scetanam solitudinem secessit. Grassante pòst in Ægypto dira fame, vxor in vltima deprehensa, victus & inopię necessitate, cum liberis ad virum in Scetam profecta est. Erat ex natis alter puer

Ex Menæis Raderus 3. p. Viridarij c. 6.

Zacha-

Zacharias, altera puella: mulier ex certo interuallo à viro propter vliginem residens (palus enim ad Scetam sita est, vbi & ædes sacræ conditæ sunt, & fontium scaturigines prorumpunt) maritum cognôrat. (obtinet enim in Sceta consuetudo, vt si qua femina adueniens fratrem aut propinquum reuisere velit, ex interuallo se alloquantur) coniunx appellato Carione, En, inquit, tu monachus es, fames vrget prouinciam, quis alet tuos hosce liberos? Mitte, inquit pater, illos ad me. & mater: Ite liberi ad parentem vestrum. eunt ambo, sed puella in itu conuersa recurrit ad matrem, puer ad patrem peruenit. Tum Cario, Rectè, inquit, ecce tuam tibi serua filiam, ego filium retinebo. Eduxit ergo infantem in Sceta pater, cunctis filium Carionis agnoscentibus. Sed cùm adoleuisset puer paulatim ceteri obloqui, & egrę ferre, profanum inter religiosos versari. Cario, re notatâ, Zacharia, inquit, discedamus hinc, ne Patribus iam indignantibus molesti simus. Pater, inquit adolescens, hîc nemo ignorat me ex te natum, si aliò nos conferemus, negabũt me tuum esse filium. Recedamus, inquit pater. Profecti in Thebaidem, cùm paucis ibi diebus in cellis consedissent, cœpere & illic obmurmurare propter puerum. Pater ergo, Reuertamur, inquit, Zacharia in Scetam. Sed necdum communitate fratrum mussitandi finem faciente, adolescentulus abijt, exutusque descendit in nitrosum lacum, corpusque narium tenus mersit, tinxitque ad integram pene horam, quoad omnem corporis florentis elegantiam corrumperet, formamque penitus deleret, atque in senilem speciem degeneraret. Regressus inde ad patrem nudus, veste præ se latâ ægrè agnitus est à Carione. Pro consuetudine verò ad sacram synaxin accedente, diuinitus significatum est S.

De nitrosa aqua vi & acrimonia vide Plin. l. 31. c. 10.

est S.Isidoro, Scetani conuentus Presbytero, quid Zacharias fecisset. Intuitus ergo illum Isidorus, & admirabundus, Pręteritâ, inquit, Dominicâ Zacharias venit, & nobiscum vt homo communicauit, nunc autem in Angelum versus est. Ita fit nonnunquam, vt qui alio fine cœnobia ingrediuntur, tandem religiosam vitam studiosissimè complectantur; vti sementis non consilio sparsa, sed casu in terram decidens sæpe vberem affert fructum.

§. 6. *S. Ioannes Calybita monasterium magno animi desiderio ingreditur.*

Contigit aliquando Abbatem ex venerabili eorum monasterio, quos Acæmetos vocant (eò quod nunquam cubare soleant) ad eam domum, in qua Ioannes docebatur literas, diuertere. A quo ille, mox vt monasticæ huius vitæ rationem perspexit, in eandem societatem ardentibus votis admitti flagitauit. Audi, inquit, mi pater, & rebus meis commiserans consule: Parētes enim me sibi multo charissimum & literis bene imbutum magno dignitatis fastigio destinant, tandemque coniugio sociabunt. Ast ego sacris exhortationibus ac literis, propriaque consideratione de omnium rerum vanitate edoctus, hūc solum qui huius vitę rebus abdicatis constanter in habitu vestro Deo deseruit, saluum duco. quare abs te supplex oro domine, vt me illuc deductum tam sanctę congregationi accensere non graueris. Adstipulatur itaque puerilibus votis Monachus, seq; rogata, postquā peregrinationem susceptam absoluisset, facturum spopondit. Interea Ioannes librum Euangeliorū, ex quo Christi doctrinam, vitęque ad pietatem formandę methodum hauriat, à parentibus impetrare contendit. Qui tantam filij alacritatem fouere cupientes, librum illi

Ex Metaphr. Sur. 15. Ian.

longè pulcherrimum, cuius inuolucrum auro & gemmis radiabat, propediem tradunt. Ergo pijssimus puer acceptum volumen cupidiùs lectitans, Monachi reditum ex profectione Hierosolymitana præstolabatur.


Reuertentem verò haud multo post, magna animi voluptate excepit, eumque his verbis est affatus: Noui, inquit, nimium vtriusque parentis erga me amorem, quare ne maternis lacrymis à propositi mei cursu præpediar, tacitè hinc discedendum autumo. Tum Abbas; Faciamus, ait, fili quod vis, te enim voti tui compotem faciet Deus. Acceptis igitur Ioannes centum nummis, quos à matre pro conuiuio suis condiscipulis, à quibus frequenter inuitatus fuerat, exhibendo, impetrârat, nauem conducit, itaque ad monasterium Acœmetorum clam proficiscitur. Cumque Abbas insignem pueri fidem, & totius rei seriem narrasset, Archimandrita puerum contuens, Nimium, inquit, adolescens es ô fili: enimuero mos nobis est, vt qui monasticam vitam apud nos cogitat profiteri, quadraginta diebus hîc demoretur, & considerata nostræ exercitationis regula, tandem tondeatur. Ad hæc Ioannes: Obtestor te, ait, per sanctissimam Trinitatem, vt me hodie tondeas, isto enim Angelico habitu indui nimium quantũ desidero. Tunc Archimandrita puerũ benedictione impertiens totondit, & veste religiosa donauit.

§. 7. *Daniel Stylita duodennis auidè init Religionem.*

Ex Metaphr. Sur. to. 6.

S. Daniel, matre infœcunda genitus, Deoque ex voto promissus, cùm à primis annis pietate & innocentia vitæ præclarum specimen virtutis edidisset, anno statim ætatis duodecimo tactus Monasticæ vitæ desiderio, relictis parẽtibus, spretisq; delicatioris vitæ blandimentis, clàm ad asylũ religionis

religionis confugit. Veniens enim ad cœnobium quoddam, duodecim à patrio vico dissitū stadijs, atque ad pedes Præfecti sacri gregis procidens, eius se consortio sociari, & monastico amictu vestiri optabat. Cùm autem ille & corporis imbecillitatem, & teneram ætatem obijciens, negasset eū monasticis laboribus sufficere, qui ipsis adeo viris perdifficiles sint, suaderetq́; vt aliquanto adhuc tempore apud parentes moraretur: ille vehementiùs exorare: Ego, inquiens, ea huc mente accessi, vt sic quidem Christo viuam, moriar autem carni. Quod si inter hosce pulchros labores morte consumar, optatius esse duco sic emori, quàm abire vacuum, & missa iam ad aratrum manu retrorsum conuerti. Multis verò habitis vtrimque sermonibus, cùm Præfectus sacræ mandræ puerilis desiderij impetum sustinere non posset, fratres adhibet in consilium, num puerum suscipere expediat. Illis verò pueri ingentem mirantibus constantiam, totumq́ue Dei nutu geri existimantibus, communi consensu receptus est.



CAPVT XV.

PVERORVM CVM PARENTIBVS, ANTE RELIGIONIS *ingressum, certamen.*

BENE habet, pueri, viros vos prestitistis, cùm parentibus non iam parentibus, sed hostibus viriliter restitistis. Et verò quid est quòd parentibus tantopere adhæreicamus, si præsertim Deus aliò vocet? Sic

 enim

enim animo quisque suo repræsentare debet, quasi duo sint, qui nos vtrimque ad se vocent, hinc Christus, hinc pater; vterque amorem suum, vterque sua merita commemorat: sed longè dispari causa: pater corpus hoc miserum suppeditauit; at veriùs hoc ipsum Deus, insuper & animam ceteraque omnia: promittit pater bona terrena; Deus æterna: breuiter tam sunt exigua quæ accepimus à parentibus, tamque eximia quæ à Deo, vt horum respectu, illa propemodum dici possint nihil. Ideo non solùm licebit, sed & decebit vnumquemque religiosum ea dicere, quæ Helias ille apud Bernardum ad parentes suos sibi infestos dicit: *Quid à vobis habeo nisi peccatũ, & miseriam? hoc solum corruptibile corpus de vestro me habere fateor, & agnosco: nõ sufficit vobis quod me in hanc sæculi miseriã miseri miserũ induxistis; quod in peccato & peccatorem peccatores genuistis; quod in peccato natũ de peccato nutristis, nisi etiam inuidendo mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehẽnæ faciatis?* Quare caue quisquis es, ne teneriori in parentes affectu te vinci patiaris: quem quidem affectum Hieronymus arietem pietatis appellat, quia duobus quasi cornibus ad hanc salutis munitionem quatiendam instructus est: alterũ enim est amor ille naturalis, qui iure parentibus deberi existimatur, alterum omnia complectitur, quæ à propinquis ad hanc voluntatem labefactãdam adhiberi solent, preces, lacrymæ, argumenta etiam ex domesticis rationibus deprompta, & reliqua id genus. Quæ omnia vt contemnas, Hieronymum ita exhortantem audi: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat mater, ostendat, licet in limine pater iaceat; per calcatum perge patrem siccis oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.*

Epist. 111. — *Hieronym. epistola 11.* — *Epist. 1. ad Heliod.*

§. 1. S.

§. 1. *S. VValerici Abbatis cum parentibus alijsque certamen.*

AGebat à prima ætate Walericus oues paternas, cùm audito degere auunculum suum in monasterio vicino, eò se, vt eius insisteret vestigijs, contulit. quod vt resciuit parẽs, eum reuocat, sed respõdet sanctus puer, se deinceps ad paternas ędes nunquam rediturũ. Stupore iuxta ac mœrore plenus, omnia molitur pater, adhibitis etiam Abbatis ac fratrũ consilijs, vt eum è monasterio educerent. Et fratres quidem eum hortari cœperunt, patris desiderio satisfaceret, ac cœnobium deinde rediturum: addebant blanditijs minas, & aliquot dierum ieiunia, sed perstitit infractus, nec à sententia potuit dimoueri, donec Abbas cedens pietati, ait fratribus: Non abijciamus quod nobis à Deo donatum videmus. *Surius 1. April.*

§. 2. *S. Thomæ Aquinatis.*

COntigit F. Ioannem de S. Iuliano (cuius erat admodum celebris opinio) in colloquium S. Thomæ tunc fortassis incidere, Dei vtique spiritu id agente. Is eum hortari cœpit, vt contemptâ mũdi vanitate ad Dominicani instituti, cuius ipse quoque ex professo erat monachus, complexum se conferret. Erat hoc nihil aliud nisi currenti calcar addere. Iam enim ille venerabilis puer secum statuerat ad illud se vitæ genus trãsferre. Itaque quod mente deliberauerat, confert in opus, & annos natus tredecim contemptâ tam illustri generis dignitate, posthabitis amplissimis opibus, omniq́ue fastu & pompâ mundi huius proculcatâ induit habitum S. Dominici, magis eligens abiectus videri in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, & omnibus mundi huius falsis & commentitijs bonis circumfluere. Eius verò sacri ordinis habitum ei contulit vir eximius & *Surius 7. Martij.* *S. Thom. 13. erat annorum.*

nius & Deo deuotus F. Thomas Agni de Lentino, tunc quidem Prior Neapolitanus, sed postea ex Messanensi Episcopo Hierosolymitanus Patriarcha. Permouit autem animos omnium, quod nobilissimus puer rem tantam esset aggressus, & ex opulento sponte elegisset fieri inops & pauper, nihilq́ue huius mundi possidere. Solent enim in hominibus pijs & Deo deuotis id summopere admirari, nonnunquam etiam irridere & cótemnere illi qui magnam felicitatem ponunt in honoribus & diuitijs, atque alijs id genus vitæ huius
2. Cor. 8. vanitatibus, & tamẽ de ipso filio Dei dicit Apostolus: *Qui cùm esset diues, propter vos egenus factus est*: im-
Matth. 8. mo verò ipse dicit de seipso: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*. Exemplum igitur dedit nobis, vt si velimus ad perfectionem adspirare, rebus omnibus nuncium remittamus. Fecerunt hoc vtriusque sexus sanctissimi homines, atque in ijs etiam Imperatores, Reges & Principes: fecit etiam S. Thomas; sed mater eius (vt est matronarum in filios vehemens affectus) valde id acerbè tulit, nolens priuari filio suo. Itaque multis stipata matronis venit Neapolim, & in hac quidem re commemoranda, nõnihil variant scriptores. Alij enim dicunt gauisam fuisse matrem, cùm recordata esset olim id prædictum fuisse, fore vt Thomas se conferret ad monasticum vitæ genus: atque ea causa misse Neapolim, vt filium in eo proposito confirmaret; ac tandem tamen animo fuisse commotam, cùm non daretur ei facultas filium alloquẽdi. Verebantur enim Patres Dominicani, ne mater filium suis blandis colloquijs ab instituto reuocaret, dederuntq́ue operam, vt primùm Romam, inde in Tusciam, mox Parisios Thomas perduceretur. Nec cessabat mater abeuntem, Romam vsque insequi; sed ibi cum non inueniens, pertur-

perturbari cœpit, maximè quòd non crederetur ipsi, affirmāti se non nisi confirmandi filij causâ eius colloquium expetere. Eo tempore fratres S. Thomæ Landulphus & Arnoldus, viri strenui & prudentes, in castris Frederici II. Imp. militabant, ad illos scribit mater, dent operam, ne Thomas possit ex Italia transire in Gallias. Illi, lectis literis, non mediocriter commoti, assentiente Imperatore, locis oportunis fortissimos collocant viros, qui eum intercipiant. Nec defuit illorum conatibus prosper successus: cùm enim Thomas sanctus puer cum quatuor socijs eiusdem professionis iter capesseret, & labore fessus ad puteum sederet, à militibus comprehensus est: qui eum habitu monastico vi spoliare volentes, cùm eum cernerent modis omnibus obniti, ne quid incommodi accideret, eum ad fratres illius adduxerunt. Illi porrò ad matrem eum ducendum curarunt. Dolebant interea fratres Dominicani, quòd ea vi conspicerent abduci tantæ spei puerum. Porrò mater viso Thoma, ingenti gaudio affecta est, sed vincente muliebri affectu, persuadere ei conatur vt habitum religionis deponat: sed *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*; erat eius optimi pueri mens longè firmior & robustior in Christo, quàm quæ maternis posset blandimentis auerti. Cumque nihil proficeret, tradidit militibus custodiendum in castro quodam, donec eius propinqui & cognati aduentarent. Nec sibi tamen ferendam putabant Fratres Dominicani illam vim allatam suæ professionis Fratri, querelasque deferebant ad Innocentium IIII. Romanę sedis Pontificem. Pontifex non immeritò rei indignitate cōmotus, ad Fredericum Imp. nuncios cum literis misit, adhortans eos vt eius iniuriæ administros inquiri iuberet. Fredericus Imp. non id negligendum ratus, quod Pontifex admonuisset, milites

Fratres S. Thomæ.

Prou. 1.

comprehendi iussit,& duci in custodiam, nec diu post Fratres Dominicanos hortatus est, vt suas preces ei offerrent. Illi verò cùm in spem bonam venissent recuperandi Thomæ, per vim & iniuriam ablati, nolebant querelas apud Imp. deponere, ne si quid grauius in milites statuisset, scandalum inde nasceretur,& scrupulus quidam conscientijs inijceretur.

Iam fratres S.Thomę Landulphus & Arnoldus ad matrem proficiscebãtur: sed omittendum hoc loco non est, quod cùm illi ad Thomam venissent, eiusque insuperabilem constantiam cognouissent, sorores suas hortati sunt,vt ad eum se conferrent,eumque à sententia deducerent. Non recusarunt illę quod iussę erant:sed vbi in eius congressum colloquiumque venerunt,ita ab illo iam diuinitus valde illustrato puero institutæ sunt,vt altera earum, posthabitis mundi pompis, sacris virginibus in monasterio se coniunxerit, ac demum ijs præfecta in sancta professione sanctè obierit. Ea res etiam magis fratrum iracundiam concitauit, ita vt ad carcerem, quo Thomas continebatur, accederent, & iniurijs atque conuitijs eum exagitarent, denique habitum monasticum discerperent, vt ille pudore affectus ipsis assentiret. Sed S. puer cedens furori, & fragmenta vestium colligens, ijs se,vt potuit, rursus induit; ex iniurijs, conuitijs, & contumelijs, pulchras sibi contexens patientiæ coronas. Non potuit autem irritatus furor quiescere:ad atrociora se eius fratres arma conuertunt:reuera *inimici hominis domestici eius*. Erat mulier venusta specie,quę nõ ita pridẽ nupta,corpus suum omnibus prostituebat; hãc inuitant,vt quibus possit blanditijs & lenocinijs, pudicissimum adolescentem ad turpitudinẽ impellat. Ingreditur illa cultu & animo meretricio ad S.Thomam in carcerem, verbisque lasciuis &

Matth 10.

tactibus

tactibus cœpit eius animum solicitare de re nefaria. Vt autem sensit castissimus adolescens se illius impuris illecebris,& pestiferis suggestionibus nonnihil moueri: Ne quæso sinas, inquit, Domine IESV, & tu sanctissima Christi Mater & Virgo MARIA, vt tam immani me scelere obstringam: moxque à foco arrepto titione illam procacem & impudentem feminam procul à se abegit. deinde clauso ostio, in quodam custodiæ angulo, crucis figurã illo titione pinxit in pariete, seque prosternens in orationem, cum lacrymis Deum rogauit, vt ipsi largiretur perpetuæ cõtinentiæ & integritatis donum. Inter orandum autem cùm esset somno correptus, duo ei dormienti apparuere Angeli, qui ei dixerunt, preces ipsius à Domino exauditas, simulque cingulo eius strinxerunt renes, ita dicentes: Nos à Domino iussi, Zonâ castitatis te cingimus, nullâ posthac ratione dissoluendâ. Interim verò ille ex ea constrictione dolorem sentiens, exclamauit: accurrebant autem custodes, volentes scire qua ex causa eos clamores edidisset. At ille prorsus indicare noluit, quoad superuixit; vbi autem se sensit moriturum, indicauit Fratri Reginaldo socio suo, quẽ etiam aliorum secretorum suorum conscium esse voluit. Fertur vir S. ab eo tẽpore, quo hęc illi accidit tentatio, vsq; adeo vitasse feminarũ colloquia, præterquã vbi vel vtilitas, vel necessitas aliud postularet, vt solent homines sibi à serpentibus & scorpionibus cauere. Tandem verò mater eius cùm iam biẽnio ferè in custodia eum detinuisset, verita ne Dei in se iram concitaret, Fratribus Dominicanis copiam fecit eum ad se reuocandi. Eo autem tempore quo sic asseruabatur velut in carcere quodam, crebrò illum visebat F. Ioannes de S. Iuliano, cuius supra meminimus, quippe qui eum non mediocriter in Domino amaret, afferebatque

Apparent ei Angeli.

batque illi vestes necessarias, idque tam occultè, vt ijs sese quidem indueret, sed rursus apud eum exuens, illi eas relinqueret. Et multâ sanè admiratione dignum est quod quidam annotarunt, S. Thomam in eo carcere multa in literis tam egregiè calluisse, ac si ea ab eximijs præceptoribus didicisset. Porrò autem matre conniuente, subtractisque custodibus, per fenestram Thomas è castro deponitur, & à Fratribus Dominicanis, qui iam eò aduenerant, excipitur, & cum multo gaudio Neapolim reducitur, indeque Romam missus est.

§. 3. *S. Aichardi Abbatis Gemmeticensis, prope Vallenecnas.*

Surius 17. Sept.

AIchardum pater rei militaris laude celeberrimus cùm militiæ studijs adhuc puerũ fortè nouem annorum applicare cogitaret, cœpit reluctari mater, afferens illum in magno partus discrimine diuino cultui per votum à se destinatum: ille verò pertinaci contentione votum improbare, velle se filium per amplissimos honorum gradus deducere; cùm ecce medius interuenit Aichardus ad litem dirimendam, & patri, Ego, inquit, mi pater, Christi miles esse decreui, à Christi militia me nihil, nisi mors, separabit. Euicto igitur parentis animo, religionem ingressus est duodennis.

§. 4. *Pueri cuiusdam Anachoretæ.*

Chrysost. l. 3. aduersus vituperatores vitæ Monasticæ

FVit puer summæ expectationis, quem pater bellicæ virtutis & rerum gestarum gloria maximè insignis, militię potiùs destinare volebat; mater verò pietati dedita, & ab omni fastu abhorrens, cùm filium vellet religioni addicere, artem excogitauit maximè idoneam, qua & filio prodesset, & moroso difficiliq; viro nihil insuaue molestumque facere videretur. Re igitur diu multumque

tumque deliberatâ, eruditum quendam Anachoretam domum accersit à solitudine, quem mirificè hortatur ad suscipiendam pueri custodiam, propositis identidem certissimis emolumentis, quæ ex sancta illa in virtute & literis institutione sequutura esse videbantur; cùm præsertim austerus pater facilè pateretur scientiarum studio filium erudiri: sapientia enim ad omnia se extendit, nec bellicam ętatis degendę rationem patitur esse expertem sui. feminæ pietas doctum illum Eremitam vincit, fitque pueri institutor. Veruntamen adolescens literarum occasione, quas pater in puero desiderabat, veram etiam docetur philosophiam, quæ docet humana contĕnere, deque diuinis seriò cogitare. Præceptoris matrisque desiderio puer satisfacit, pietatem & literas feliciter addiscendo, solitariamque vitam amando; quam quidem voluntatem temperabat institutor, quousque matura satis ad constantiam, firmaque ad patris iracundiam & minas perferendas redderetur. Fit interim ex magna illa domo cœnobiũ, ex aula gymnasium, quod & plurimi adolescentes ex coëuis frequentabant; qui non multò pòst similem vitæ rationem sequi voluerunt. ergo domi ita vixit adolescens, quamdiu mutare habitum non licuit, vt religionis claustra minimè desiderari possent, & qui facie amictuque communem vitam sequi videbatur, moribus, & vitæ asperitate, vel ipsos solitudinis incolas superabat. multos enim dies sine cibo perdurare solitus fuit, inter diuinarum lectionum pernoctabat libros, sub veste non vili, qualem esse decebat qui patrem habebat prædiuitem, scabrum cilicium carni applicitum occultabat; sed cùm pater adolescentem militiæ vellet adscribere, tam constantem illum in monasticæ vitę proposito reperit, vt nec minis, nec promissis, nec supplicijs illum à sententia depulerit:

pulerit: altas enim cùm egisset planta radices, ventorum impetu conuelli qui poterat: tandem iuuenis in solitudinem secedit, & Christi militiã sequitur, in ducísque sacramento persistens, gloriosam palmam post mortem fuit assecutus.

§. 5. *Catharina septennis puella.*

Ex Apiario P. Bonifacius in historia Virginali. Fuit hæc monialis in Parco iuxta Louaniũ, & ante baptismum Rachel dicebatur.

POst elusos arte diuina parentes, Catharina monasterium ingressa, non diu hac eam voluptate perfrui patris ac matris sinit inuidia, qui quòd gratiosi pecuniosíque essent, contra magistrum Reinerum, & discipulam Catharinam muneribus & largitate pugnabant. cumque viri primarij intercurrissent; quorum & fidem & potentiam puellæ pater appellârat, & à Brabantię regulo, & ab Episcopo Leodiensi, vt ad annum ætatis duodecimum filia libera relinqueretur, obtinuit; quæ ætas ad deligendum vitæ genus & legitima est, & tempestiua. quid quod ab Honorio summo Pontifice datæ ad Episcopum literę sunt (adeo rem vrgebat turbulentus ille Iudæus) ne qua vis parentibus fieret, Christianis moribus, & Pontificũ aduersa decretis; redderetur proinde parentibus filia, factum se probaturos affirmantibus, si modò ad annum ætatis 12. in proposito permaneret: quæ quidem callidè, & astutè à perfidis excogitata esse Iudæis, haud serus mõstrauit euentus: quin & puella paternorum promissorum commenta pręuidit, quibus id erat propositi, vt medio illo tẽporis spatio puellare pectus emollirent.

Ergo Catharina de iudicio conqueritur, magistrum alloquitur, parentum quò spectant consilia, demonstrat, artes artibus eludi oportere, & iudicium iudicio corrigere: causam de integro se velle cogitare, ac iudicum subire conspectum, Deiparam fore aduocatam: cuius auspicijs ex Iudaicæ superstitionis tenebris & vmbris emersisset, pe-

ſet, pedemque ex laqueis explicaſſet, parentum machinationes nihil contra veritatem valituras. Quare cum ſuo pædagogo Reinero progreſſa Leodium, ſtat ante tribunal Antiſtitis, adſunt viri ex vtroque foro facile principes; ſuam ipſa cauſam agit puella ſeptennis, reuocari priorem ſententiam, reſcindique acta illa debere demonſtrat. eſſe periniquum vt tenerrima puella patri reddatur infideli, moroſo, aſtuto, cui vel Chriſtiani gratificari ſtudeant propter hominis opes atque fortunas, nummorumque reſpectum, quos Iudæi nullo diuinę vltionis metu fœnerari conſueſſent, præſtare in cœnobio liberam relinqui, dum annus duodecimus quaſi criticus impleatur. Equidem ſi de prudentia illa certamen eſt, quæ verum à falſo, & honeſtum ſecernit à turpi, rationis iam ipſa ſum compos, & ante annos iudicium ſenſuſque maturuit; ſed ſi firmitatis ergo annorum ille expectandus eſt numerus, non patitur æquitas, vt ante litis finem, cauſam litigator pater obtineat. Quid enim non poſſit in filia, qui alienos, qui potentes, qui diuerſæ legis ac ſectæ viros ad ſuam traxit voluntatem? duplices mihi tenduntur inſidiæ, nuptiarum, & ſectæ paternę. vtraque res contagionis eſt plena. mea ætas flexibilis, cognationis magna vis eſt; hinc patris minas, hinc matris blandimenta reformido: quamdiu in dubio res eſt, vtrique ligatori ius eſſe oportet. Pater ſi me iam habet, non expectare iubetur, ſed optato potiri. Quærendum eſt tertium; mihi ſi creditur, monaſterij fidelis eſt, & tuta cuſtodia, depoſitum tecta illa ſeruabunt, & Chriſto, cuius agitur cauſa, reſtituēt: illic ſancte Pontifex tuo permiſſu de re tanta deliberabo ſecuriùs, ſi fortè ea ſum quę inter ſiniſtram & dextram nondum per ætatem diiudicare queam.

Peroranti applauſum eſt ab vniuerſo conſeſſu,

& in

& in cœnobium vnde exierat, retrudi iubetur ad annos pubertatis; quibus expletis, cùm de religionis religiosæque vitæ in Cistertiensi familia à sentētia dimoueri non posset, parentes desperatâ victoria, tandem nouas artes adhuc machinātur. Iudæus adolescens pulcher & diues ad virginum cœnobium vadit, petitque baptismum, idque eo animo vt Antistita Neophytum cum Catharina loqui sinat, admissusque deceptam restituat parentibus, quorum agebat instinctu. Hoc vsus commento baptizari se sinit, seque puellæ consanguineum mentitus conueniendę Catharinę veniam sibi dari poscebat. Sed virgo doli præsaga, fictum illum Christianum vt alloquatur adduci non potest. Ille repulsus fidem abiurat, laruaque positâ se retulit ad Iudæos, quos nunquam ex mente posuisset: Egomet eam vidit (inquit Historicus homo vt apparet minimè leuis) & sępe cū hac Catharina sum locutus, nihilque ea admirabilius me nouisse cōmemini. Magna erat vitæ integritas, & sincera religio: quo tempore ceteræ virgines ab opere respirabant, vel cum propinquis familiares sermones in locutionis podio conferebant, nostra hæc nouitia ad Deiparę itabat imaginem, & cum illa, tanquam si viua esset, loquebatur. non quòd viuam putaret, sed quòd in huius pectore Virginis sanctæ Matris memoria viueret: quam aspectus imaginis maximè renouabat, atque illa suauiter: Diuina parens, sorores suorum colloquijs recreantur, ego ad te venio curas releuatura: tu mihi instar es omnium, tu meum solatium & dulcedo, in te vna conquiesco.

§. 6. *Alberti Comitis.*

Thomas à Cantiprato l. 2. c. 28

IN Teutonię pártibus puer fuit nobilissimus annorum 13. hic filius Comitis de Flankemberch à matre missus est ad regem Francię cognatum suum,

suum,cum eius filijs educandus. At quoniam mos est in alienis maximè partibus, compatriotas sibi inuicem congaudere, accidit vt dictus puer, Albertus nomine,beatissimæ memoriæ fratrem Iordanum, magistrum ordinis Prædicatorum natione Teutonicum eo tempore Parisijs commorantem, & alios fratres Teutonicos visitaret. Cumque id sępius & diutius faceret, ex alloquutione sancti viri, puero cœperunt terrena vilescere, & placere cęlestia,concepitque intrare ordinem, & apud magistrum Iordanum occultè pro ordine petere. Erat autem puer parumper imbutus literis, sed magister inconstantem ducens affectum pueri, eum ad regimen Comitatûs sui, cuius solus puer legitimus hęres erat, vt mansuetudine subditos gubernaret potiùs hortabatur. factus ergo puer annorum sexdecim, per solennes nuncios à matre mandatus est, quasi ducturus vxorem nobilissimam, & Comitatûs gubernacula suscepturus: pater enim eius iam longa ætate senuerat: Dicit ergo puer militibus & seruis suis; Eamus videre compatriotas nostros fratres ordinis Prædicatorum, Parisijs antequam recedamus. Veniens ergo cum suis omnibus ad domum fratrũ; in conclaui seorsum magistrum vocauit, & fratres,quorum pedibus prouolutus,dixit:Contestor Deum coram vobis,quod hodie paratus sum mũdum deserere,& vobiscum in ordine ChristoDomino deseruire; quod si volentem respuitis, videat & iudicet ipse Deus;& non inultum ire à vobis meum sanguinem patiatur. Hęc vt dixit puer, magister fleuit,&Fratres,& attoniti in verbis eius arctati sunt spiritu,&soli Domino negotiũ cõmiserunt:Conuocato itaque conuentu,& causam & verba pueri diligenter exposuerunt, & receptum statim habitu ordinis induerunt. quod vbi suis innotuit, planxerunt valde,& reuersi ad patriam

rumores

rumores triſtiſſimos parentibus detulerunt. Cuius pater ſenex aſſumptâ copioſâ familiâ, Pariſios venit, & cùm filium violenter extrahere conaretur, à nouitijs fratribus membratim fere laceratus, ad patriam infecto negotio eſt reuerſus.

Erat autem ea tempeſtate Pariſijs Archidiaconus quidam Teutoniç, ſpecioſus formâ præ omnibus Clericis ciuitatis Theodoricus nomine; nec abs re Pulcher Teutonicus cognomento. hic quidem ex matre dicti adoleſcentis Auunculus erat, & turbatus grauiter conſobrino, illum diu videre diſtulit. tandem autem cùm repatriare deberet, mandauit ei per clericum ſuum, quod ad videndum eum ſequenti die veniret. quod vt audiuit puer Frater Albertus, cucurrit ad magiſtrum, cucurrit etiam ad fratres magis ſpiritales, ſupplicat omnibus, vt pro Auunculi ſalute, quem ſinceriùs diligebat, Dominum exorarent. quo facto venit Archidiaconus Auunculus eius, & in capella ad colloquium conſederunt, & mox obortis lacrymis dixit puero; Quomodo hoc, chariſſime, facere potuiſti, vt matrem tuam ſororem meam, quæ te ſolum in filijs ſuperſtitem habuit, & me auunculum tuum, qui te præ omnibus diligo deſereres? & nunc, vt audio, mater tua præ triſtitia moritur. Sed & ego poſt ingreſſum tuum fere moriturus elãgui, nec vnquam vllo releuabor ſolatio, niſi te videam infra annum probationis, licitè ad ſæculum redeuntem. cui puer cum mira oris gratia reſpondens, quærit: Ecce trium imaginum figuræ pictæ in feneſtra vitrea coram nobis, quinam ſunt illi, Chariſſime, quorum memoriam repræſentant? nonne Chriſti & matris ſuæ: & Ioannis eius conſobrini inter ceteros prædilecti? Ex his verè conijcias, quod etſi Chriſtus matrem multùm dilexerat, & in tantum ex paſſione ſua

cerneret

cerneret cruciari, vt animam eius doloris gladius pertransiret: consobrinum verò dilectum Euangelistā Ioannem grauatum, vltra quàm credi potest, doloris anxietate, videret; tamen cùm potens esset de cruce descendere, noluit, propter illos; sed in cruce perstitit moriturus. A simili me scias, charissime, Religionis huius sanctæ crucem cum Christo, & pro ipso Christo Domino conscendisse, & licet matrem mori videam pre dolore, & te charissime periclitari: in cruce tamen vsque ad mortem immobilis permanebo. & hanc quidem, si credis mihi, ascendes & tu: ne te mundi huius, vt cœpit, damnabilis labyrinthus inuoluat. Quid plura? resolutus Archidiaconus in maximas lacrymas, corde compungitur, conscientiæ stimulis agitatur, & non valebat resistere spiritui, qui in puero loquebatur. Super hoc igitur institit orationibus iuuenis, & tandem in paucis diebus Archidiaconum flexit ad ordinem, mirante Clero & populo ciuitatis, quòd tam subitò leoninum animum ad tantam humilitatem verba pueri domuissent.

§. 7. *S. Illephonsi.*

CVm summa omnia polliceretur Illephonsus, spretis honoribus, ad quos generis nobilitas & vitæ merita vocabant, vitam principalem cum priuata, atque adeo monastica mutare certus, in Agaliensi monasterio cucullum induit, multùm quamuis reluctante patre, vsque eo dum omnes monasterij latebras filij vestigijs insistens perscrutaretur: cuius ille diligentiam eluserat, è via declinans, & tantisper retro vicinam sepem se continens, dum pater rediret vano conatu. Cùm ergo videret puerum ab ea mente non posse deduci, consensit tandem, licet ægrè, vxoris potissimùm hortatu; post longam

Ioan. Mariana li. 6. hist. Hisp. c. 10.

 steri-

sterilitatem affirmantis precibus à diuino numine impetratum; Virginis Matris obſequio deberi, quâ ſe religione implicaſſet, ſi voti compos eſſet facta, datam Superis fidem haud quaquam impunè violari, reddenda Deo beneficia, præſtare filio ad tempus carere, quàm perpetuis conſcientiæ cruciatibus viuos mortuoſque macerari, filio retrorſum reuocato.

§. 8. *S. Cæſarij Arelatenſis Episc.*

Cyprianus quidā eius diſcipulus apud ſuriū 27. Aug.

CÆſarius cùm octo vel nouem annorum eſſet, ignorāte familia & parentibus, ſe illius temporis Pontificis S. Syluestri veſtigijs, præmiſsâ ſupplicatione proſtrauit, petens vt ablatis ſibi capillis, mutatoq; habitu, diuino ipſum antiſtes ſeruitio manciparet. Agente ergo Pontifice gratias Chriſto, nulla iniecta eſt votis optimis mora, cumque ibi biennio, aut eo ampliùs ſub hac inchoatione ſeruiſſet, diuinæ gratiæ inſtinctu permotus, deliberat ſeſe arctiùs diuino tradere cultui, & regni cæleſtis amore, non ſolùm parentibus, ſed etiam patriæ ſe extraneum exhibere. Arreptâ itaq; ſalubriter fugiendi de ſæculi compedibus libertate, Lyrinenſe monaſterium tyro ſanctus expetijt: cumque iter cum vno tantum famulo ſocio ageret, & corā inquiſitoribus, ab eius matre miſſis, flumen tranſiret, viſus ab eis non eſt. Diabolus verò in quendam miſerum ingreſſus, & eius iter inſequens ſine ceſſatione à tergo illius clamabat, Cæſari non vadas. Quem ille porrecto ei bibenti poculo benedicto, ſtatim curauit.

§. 9. *Adoleſcentuli cuiuſdam.*

Ex lit Soc. an 1593. prou. Mediol.


ADoleſcentulus erat, immo puer, nobili loco natus, qui relicto patre, cuius vnicus filius erat, ad nos ſe contulit, ſed ita vt priùs de tota re parentem faceret certiorem. nec tamen reſponſum expectarat, vt ſi qua pugna inſtaret, pugnaret ex tuto.

ex tuto. Nec sua illum fefellit opinio. Confestim parens Aronam aduolat, cumque impetrasset vt cum solo ageret, multis ei rationibus persuadere conatur, vt domum tantisper redeat dum ægram tam tristi nuncio parentem consoletur; & satis appareat hanc illi mentem diuinitus iniectam. Cùm nihil verbis proficeret, paternam authoritatem interponit. Hærebat puer, neque quomodo paternum imperium eluderet, videbat. Denique diuina lux oborta, quæ & ipsum molestiâ; & parentem maiore pœnâ liberauit. Quo tandem, inquit, vestitu domum redeam? vtrum hoc quem modò indui, an illo quem exui? hunc vt exuam, neque mea voluntas fert, nec nostræ dignitatis ratio patitur. hoc verò indutus quî possum inter domesticos & notos honeste versari, qui nondum quemadmodum hisce vestibus vtar, didicerim? Ne multa, senem puer hac ratione conuictum eò deduxit, vt se ipse aliquando respiceret, salutaribusque monitis ita instituit ad studium pietatis, æternæque beatitudinis, vt eum ad opes, quas vnico filio parauerat, in pauperes erogandas incensum dimitteret.

§. 10. *Item alterius.*

PVer quidam Taurinensis cùm sibi aditum in Societatem vndique clausum videret. quòd & vnicus esset, & patris confectâ iam ætate filius, facinus edidit memorabile. Religiosissima oppidi Taurini templa adire, Deum, Deique parentem, diuosque omnes enixè orare instituit, vt alterum parentibus suis filium darent, quò sibi liber & expeditus in Societatem pateret ingressus. Nec sua illum pietas ac spes fefellit. Haud ita multò pòst, pater sexagenarius ex cōiuge filium genuit. vbi puer se voti compotem factum comperit, mirè lætus instare parentibus, vt quando eis Deus *Ibidem.*

nouum hæredem dedisset, priorem filium Deo consecrarent. At illi nihilominus pro filij consilio obstabant,& aliàs Mediolanum, aliàs Papiam per studiorum causam ablegabant, vt ibi per certos homines ille à mente deduceretur. Sed tandē omnes parentum conatus ad nihilum reciderũt. Puer vbicũq; esset, per literas summopere nostros vrgebat, vt quemadmodum à Deo impetrasset, vt vnicus non esset, impetraret ab eis, vt impedimẽto quod vnum erat sublato, in Societatem adscriberetur, & per idem tempus pater est mortuus. Itaque puer matrem omni artificio aggreditur, vt se Christi vocantis signa sequi patiatur. Contrà illa lacrymis maternisque blanditijs filij animum attentare, nuptijs pellicere, honorum illecebris irretire, idemque vt facerent cognatos & propinquos magnopere rogare institit. Puer omnium certaminum victor, ad extremùm cùm satis pietati fecisse videretur, ad salutis perfugium relictâ matre profugit.



CAPVT XVI.

DIVINA IN REVOCANTES A RELIGIONE animaduersio.

ÆGyptij olim quoniam crocodilum pro Deo venerabantur, si ita contigisset, vt liberorũ quispiam à crocodilo deuoraretur, nefas esse putabant lacrymam mittere, quin etiam magno gaudio efferri consueuerãt, eumque diem festum agere, tanquam in eo magnum beneficium accepissent.

pissent. Quàm potiori iure Christiani non modò non lugeant, sed etiam summa lætitia afficiantur, eumque diem albo signent lapillo, quo die filiorum suorum aliquem ad Dei obsequium adsciscì, immo ab ipso Deo vero assumi contigerit? præsertim cùm non ad mortem, & mortem adeo miseram, sed ad vitam, & iucundiorem vitam euocetur? Et tamen reperias nonnullos (ô cæcitatem maximam!) tanto non dicam amore, sed odio (ita enim præposteram illam charitatem appello) filios prosequentes, vt eos religiosum statum amplecti ægerrimè ferant, nec ferant omnino, sed quantum possunt impediant, ne vocantis se Dei vocem sequantur; & dũ maximè se eis hac ratione consulere arbitrantur, non vident ita se eis nocere, vt etiam parricidium committant tanto grauius ac sceleratius, quanto melior est animi vita, quàm vita corporis. Et si hoc ad eos ab hac re deterrendos non sufficiat, quid afferri posset maius quàm quod eiusmodi diuinum consilium impugnẽt, idq; destruant quod Deus ędificârit, spargãt quod ille cõgregârit? milites quos ad suũ Deus vexillum vocârat, dum dissipãt, quid aliud quàm cũ dæmone conspirant, & contra Deum bellum suscipiunt, bellum impium, bellum ijs ipsis funestissimum? Quare meritò exclamat Bernard. *O durum parentem, ô sæuam matrem, ô parentes crudeles & impios, immo non parentes, sed peremptores, quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filij est; qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis! Mira abusio: domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, euadenti suadetur regredi. & hac ab ijs, qui in incendio positi sunt, & obstinatissima dementia, & dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh furor! si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam?* Si, *inquam, negligitis salutem vestram, quid iuuat etiam prosequi meam? Quare* *Bern. epist. 111.*

vos non potiùs sequimini me fugientem, vt non ardeatis? An hoc est vestri cruciatus leuamen, si me etiam perimatis, & hoc solùm timetis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium præstare poterit? Quæ, inquam, consolatio damnatis, socios habere suæ damnationis? quódve remedium morientibus alios videre morientes?

§. 1. *Genouefæ mater oculis orbatur.*

Surius 3. Ian.

SAnctissimæ puellæ Genouefæ virtutem Deo reuelante præsentiens S. Germanus, eam blandis verbis ad complectendum vitæ religiosæ propositum adhortabatur. Cui illa id vnum in votis se habere non iam infantili sensu respondit. admiratur Dei donum in tantilla ætate Episcopus, & dum hæret defixo in terram obtutu, videt nummum æreum cruce signatum humi fortè iacentem, sublatumque virgunculæ velut pignus religiosi muneris donat, monetque vti perforatum ex collo gestet, nec alijs deinceps monilibus ornari se patiatur, quo cælestis gratiæ margaritis possit decorari. Porrò diebus aliquot interiectis, cùm mater eius die festo templum aditura, filiolam domi manere, & somno vacare iuberet, nec acquiesceret, identidem repetens se professionis suæ memorem, templum orationis studio adire velle, alapam ab irata matre accepit; sed non impunè tulit mater: nam repentè oculorum priuata lumine, biennio fere cœca permansit; sed Deo inspirante reminiscens eorum quæ prædixisset Germanus, ad se vocatam, iubet aquam cæcæ matri afferre: paret illa dicto citiùs, & afferenti imperat plena fide mater, vt signum crucis super eam exprimat, eaque deinde oculos abluens visum sentit restitui; iterum ergo ac tertiò idem cùm fecisset, pristinam oculorum aciem est ope filiæ consecuta.

§. 2. S.

§. 2. S. VVinvvaloci pater tonitruis territus cogitur filio libertatem permittere.

VVinwalocus in ipsis primæ ætatis initijs, desiderio rerũ cęlestium cœpit ardere. orabat itaque importunè opportunè parentes, vt literarum studijs imbuendus cuidam viro Dei traderetur. pater id renuebat, cupiens eum ad ea quæ mundi sunt, promouere. At pius puer dolens se suo frustrari voto, ad Deum se conuertit, eiusque opem precibus ardentissimis implorat. Nec defuit eius religiosis desiderijs Deus. Cùm enim die quodam pater eius proficisceretur ad greges suos visẽdos, subitò extitere super eum horrenda cęli tonitrua, & sic eum ruẽtia cœlitus fulgura complexa sunt, vt nimio horrore prostratus pene exanimis in terram decideret. In has igitur de improuiso redactus angustias, animaduertit diuinitus id fieri, Deumque ab ipso reposcere filium, quem ille mundi nexibus vellet implicari. Itaque mox in has prorupit voces; Domine Deus, cuius sanctissimæ voluntati par est neminem obluctari, scio quod causa filij mei, quem tibi deuotum, ego ijs quæ mundi sunt, volui applicare, isthæc patior. Sed ecce eum tibi deuoueo, tuum ego tibi restituo, quin & ambos eius germanos natu maiores tuæ militiæ lubens transcribo. Igitur post septem dies cum Winwaloco ad quendam virum Dei, qui tum Ecclesiæ columna videbatur, profectus est: in ipso autem itinere ingens orta tempestas diem serenum in obscuram noctem repentè mutare visa est: pauebat pater, sed religiosus puer, Noli, inquit, timere pater: num censes difficile ei qui ex nihilo creauit omnia, hanc tempestatem in placidissimam tranquillitatem conuertere? cùm sint verò omnia possibilia credenti, fideles ei preces offeramus. Vix ab oratione surgunt, cùm horrida illa nox adeo depulsa est, vt ne tenuis

Surius 3. Martij.

quidem nubecula relinqueretur. Sereno igitur cælo peragunt iter, & tandem ad virum sanctum deueniunt, quem vt primùm conspexit Winwalocus, totum se humi prosternit, & Deum in sancti viri pectore habitantem adorat. At ille gratiam Dei in puero contemplans, patri dixit: Hic filius tuus ætatem moribus transcendens permultis erit causa salutis ęternæ; & tu quidem eum ętate puerum conspicis, ego verò animo eum iam cerno virum perfectum. Pater acceptâ à viro sancto benedictione, filium sub suaui Christi iugo reliquit.

§. 3. *Petrus Trauandanus oculorum acie priuatur.*

Ex Chron. S. Francisc. to. 3. l. 7. c. 18.


B. Petrus S. Francisci habitum induit octennis; quod cùm pater ægerrimè ferret, immo nec omnino ferret, inde abductus domum puer statim oculorum visum omnem amisit, nec eum priùs recepit, quàm voto à parente nuncupato, eidem monasterio est restitutus.

§. 4. *S. Bonifacij pater morbo corripitur.*

Ex V. Beda B. Nicolaus Serarius de reb. Moguntiacis l. 3. c. 3.

AVdiens filij voluntatem pater, nunc minis, nunc blandimentis ad sæcularis vitæ curam impellere studuit: & vt tenerum eius animum à concepti perfectione propositi faciliùs declinaret, promisit se post vitæ suæ tempora, eum & prędiorum, & omnium rerum suarum hæredem facturum: prætcrea protestatus est lubricæ ætati humanęque fragilitati tolerabiliorem esse vitam actiuam quàm contemplatiuam, meliusque esse inter mediocres, vel extremos regni cælestis ciues quemlibet studijs facilioribus contubernium quærere, quàm per maxima & pene impossibilia perfectionis certamina incipere, deinde verò dum ea nequit percurrere, in via deficere. Sed puer sanctus virtute diuina iam plenus, quanto magis

magis eum pater reuocare ad sæcularia studebat, tanto constantiùs in inceptis perdurare, & ad sacrarum literarum notitiam pertingere anhelabat. Vnde miro dispensationis diuinæ iudicio factum est, vt pater, qui solus erat impedimento, repentina infirmitate correptus pristinam mentis pertinaciam deponeret, puerumque per legatos idoneos ad monasterium dirigeret.



CAPVT XVII.

CVLTVS B. MARIÆ VIRGINIS.



MVltis sanè nominibus ad B. V. MARIAM summo honore cultuque prosequendam nos obstringi fatendum est: si enim dignitatem eius attendamus, quid dignius MATRE DEI vel esse vel concipi potest? & matre prolis de toto orbe adeo bene meritæ? præter quod ipsa res omnes creatas gratiâ, virtutibus, donisque supernaturalibus, quin & naturalibus præcellit, & quod tantis ornamentis pro coronide est, quò altiùs potuit caput exeruisse, eò depressiùs oculos abiecit suos; adeo vt cùm ab Angelo MATER DEI salutaretur, ipsa se Dei ancillam nominaret. qua quidem animi demissione merita est (etsi nulla alia adesset causa) ab omnibus coli, exaltarique: sed non desunt aliæ insuper causæ; quarum vna est, quod omnis gratiâ cœlestis ad nos per ipsam deriuatur: ita asserit D. Hieronymus: *Serm. de Assumpt.* *Omnis gratia*, inquit, *quæ est in Christo, est in* MARIA; *in Chri-*

in Christo tanquam in capite influente, in MARIA tanquam in canali, & bene collum dicitur in Canticis, ipsa enim Christum (qui caput est) Ecclesiæ coniunxit: & sicuti omnis influxus capitis in corpus per collum deriuatur, sic omnis influxus Christi in Ecclesiam per MARIAM. *Decreuit*, inquit D. Bernard. *nihil dare, nisi per MARIAM*: idque ita videtur eius dignitati congruere: si enim cęlum, quod est peculiaris Dei sedes, hanc habet in corporalibus eminentiam, vt omnis generatio & motus inferiorum ab eo pendeat; an non meritò Deus omnia spiritualia dona hominibus per MARIAM, quæ aureus Dei thronus est, largiatur? Alia cultus exhibendi causa est, obfirmata illa matris cum filio patiente perseuerandi constantia: quo enim tempore reliqui omnes magistro suo amantissimo relicto diffugerant, stabat illa & perstabat dolorum socia, vt quicquid Christus in corpore, hoc totum in corde MARIA cumulatissimè persentisceret. Est ergo cur tanti doloris perpessi memores ipsam pręcipua quadam veneratione colamus; & verò quid ni faciamus, cùm eius curæ simus tam singulari ratione à filio è vita discedente concrediti, vt ei dictum sit de D. Ioanne, atque adeo de singulis nostrûm: *Ecce filius tuus*. Igitur ô MARIA mater mea, mater & Dei, memento mei: Soror etiam nostra es: ergo dum cælestis throno Patris assides, *Dic, obsecro te, quod soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.*

Cant. 4.

Bern. ser. in Natiuit. B. Mariæ de aqua ducta.

Genes. 12.

Illud ad extremum non parum B. Virginis amorem in nobis excitare debet, quod eius singularem affectum in animo suo sentire signum sit maximum ęternę prædestinationis, quo si cares, time quisquis es, & eum suscita in te ocyus. Audi quid dicat in hanc sententiam ipse Ecclesiæ perduellis Oecolampadius. *Erga MARIAM*, ait, *minus*

Serm. de Laud. Maria.

minus bene affici reprobatæ mentis certum existimo iudicium esse. credo hæreticum vera dixisse iubente Deo, ad eum fortè modum quo dæmonia Christũ coacta sunt confiteri. Vin' probatiorem tibi producam huius rei testem? Guilielmus Parisiensis ita ait: *Non præsumat aliquis Deum, vel Dei filium se posse habere propitium, qui benedictam matrem offensam habuerit.* Sed id satis est in confesso, consonatque D. Bonauenturę sententia, post Anselmum ita dicentis: *Sicut, ô Beatissima, omnis à te auersus, & à te despectus necesse est vt intereat, ita omnis ad te cõuersus, & à te respectus, impossibile est vt pereat.* Quid præclariùs de felicitate patrocinij ac tutelę B. Virginis dici possit? Addam tamen aliquid maius; Guerr. Abb. audit in hunc modum asserere. *Nullatenus credideris maioris esse felicitatis & gloriæ habitare in sinu Abrahæ, quàm in sinu* MARIÆ; *cùm thronum suum in ea posuerit rex gloriæ: Veni,* inquit, *electa mea, & ponam in te thronum meũ.* Quàm multi ob scelera sua non effugissent diram mortem, & nefanda supplicia, nisi ad hoc asylum confugissent? testis mihi eris vnus e millibus Theophile, cui dixisse potuit Christus, quod ait Salomon ad Abiathan: *Mortem quidem merebaris* (fuerat enim cum Adonia) *sed quia portasti arcam fœderis coram patre meo Dauid, non morieris.* ita multi in inferni barathrum iam essent detrusi, nisi hanc domini arcam in corde suo portassent, nisi MARIAM tanto amore fuissent complexi. Ex quibus omnibus efficitur quod ante dicebamus, huic diuinæ Matris cultui signum inesse prædestinationis euidentissimum. vt mirum non sit, si pueri quoque nostri tam impensis eam studijs fuerint prosecuti.

Lib. de Rhet. diuina.

Bonau. ex Ansel. specul. B. V. c. 3.

Guerr. Abb. serm. 1. Assumpt.

3. Reg. 2.

§. 1. Quid

§. 1. *Quid in honorem B. MARIÆ factitare solitus sit S. Bernardinus Senensis.*

Surius 20. Maij. SAnct. Bernardinus, etsi puerulus & annis tener, tamen in honorem B. Virginis diebus sabbathinis ieiunare consueuit, & quamdiu laicus fuit, eum morem nunquam intermisit. Adolescēs factus B. Virginis statuam, quæ supra portam vrbis affabrè picta erat, quotidie salutatum ibat, sciscitantibusque respondebat, ab amica sua se redire: perseuerauitque in hac imaginis visitatione multis annis. Qui vitam eius scripsit, ita ait: Certè ego ipse, concionem illo habente Senis de B. Virgine, anno 1427. in die Natiuitatis eius ita audiui eum dicentem: Ego frater Bernardinus semper fui deuotus B. Virgini: in die enim Natiuitatis eius ego natus sum, eodem die baptizatus sum, illo ipso die monasticum habitum indui, itemque professus sum monachum, & primum sacrificium feci; eodem die cupio exire ex hac vita.

§. 2. *Quid S. Catharina Senensis.*

Surius 29. April. QVinque non amplius annos nata Angelicam salutationē edocta; illam crebrò repetebat, cùm deinde cœlitus permota cœpit gradus ascendendo ac descendēdo, ad singulos singulas flexis geniculis Virg. Matri salutationes promere.

§. 3. *Quid S. Clara.*

Sur. Aug. 12. in eius vita. c. 2. S. Clara, cùm signacula illa, quæ *Rosaria* nuncupamus, ad manum non haberet, velletque seriem consuetarum salutationum B. V. MARIÆ annumerare, congerie lapillorum orationum numerum signare consueuerat.

§. 4. *Quid Margareta Hungarica.*

Surius 28. Ianuar. A Primâ ætate Dei Matrem Margareta præcipuo venerabatur affectu, & vbicunque eius videbat imaginem, flexis genibus *salutationem Angelicam*

gelicam proferebat. In vigilijs Natiuitatis Christi, & quatuor solennitatum B. Virginis, dum in loco Capitulari pronũciabatur diei sequentis solennitas, deuotionem mirabilem præ se ferebat, se prosternens, & cum lacrymis orans, gratias agens Deo. In ijsdem vigilijs non nisi pane & aqua vescebatur. In singulis quoque festiuitatibus B. Virginis, ac intra octauas, offerebat eidem Sanctissimę Virgini mille *salutationes Angelicas*, ad singulas quasque humi se prosternens.

§. 5. *Quid Theresia Mater.*

PVellula septem annorum Theresia, vt poterat, solitudinem quęrebat, quò B. Virgini *Rosarium*, cuius cultui addictissima semper fuit, persolueret: Et duodecimum deinde agens annum, cùm dolore afficeretur, quòd matre esset orbata, ante D. V. MARIÆ imaginem profusis lacrymis orauit, vt ipsa matris suæ vicem gerere dignaretur. quam quidem orationem benignæ Matri acceptissimam fuisse comprobauit singulare eius in illam patrocinium. *Ribera in eius vita.*

§. 6. *S. Lydvvina erga imaginem B. V. M. deuotio.*

CVm esset S. Lydwina virgo septem vel octo annorum, inspirante Deo magnam cœpit habere deuotionem ad imaginem B. V. MARIÆ, quæ stabat in Ecclesia Schiedamensi. Hanc ferunt ciues illius ciuitatis miraculosè satis procuratam, & à quodam eiusdem imaginis opifice, dato precio exiguo emptam: is enim ad nundinas Antuerpiam cupiens pergere, & imaginem ibidẽ cariùs vendere, cùm nauem sumptâ secũ imagine intrasset, tantæ ponderositatis imago efficitur, vt viginti aut plures viri nauiculã à littore nõ posſẽt remouere. His visis stupefacti nautę, perpẽderunt ex pręsentia imaginis difficultatẽ abducẽdę nauis accidisse, & locum mansionis ibidẽ velle habere. *Thomas à Kempis p. 1. vita eius c. 2.*

Consilio

Consilio igitur breui inito, artifex imaginem ciuibus vendidit, qui Chorum ei specialem pro reuerentia in Ecclesia deputarunt. Postea verò quādam colligationem fraternitatis in memoriā B.& glorosę MARIÆ semper V. multi vtriusque sexus oppidani confœderati instituerūt. Erat autem hæc imago lignea, & tantæ leuitatis, quod vir vnus eam de facili portare potuisset.

Hanc igitur imaginem virgo iuuencula fratribus suis duobus frequentantibus prandium ad scholas deferens, antequam domum rediret, ecclesiam desideranter intrans, visitauit, & eandem per Angelicam salutationem prout poterat, deuotè studuit honorare. Et hoc quidem bonum & laudabile initium in puerili ætate lucebat, quod maioris gratiæ futuræ, ab annis adolescentiæ eius, vsque ad terminum vitæ, præsagium erat. Cùm ergo de moroso reditu à matre corriperetur, respondit columba sine felle, Ecclesiam ad salutandam B. Virginem se intrasse, illamque sibi vicissim arrisisse. Quo audito, mater eius satisfactionem accepit, & benignè contenta ab ea quieuit. Dilecta enim & vinca filia erat, & in opere Dei, & laude B. Virginis decenter est inuenta, nec ob id à sua deuotione reprimenda.

§. 7. *S. Edmundus B. MARIAM sibi sponsam assumit.*

Surius 16. Nouemb. Hic pręcipuè puritatis studiosus, vt eius per omnem vitam seruandæ sibi legem statueret, coram imagine virginis Deiparæ castitatis votum emisit, & se commendans impensè patrocinio Virginis, eam sibi in sponsam delegit. Vtque fœdus initum stabile fore declararet, annulo (cui inscripta erat Angelica salutatio) in statuæ digitū insito, eā sibi desponsauit. Nec frustra, ex eo enim tempore (vt ipse ante obitum confessus est) quoties

ties clementissimę Matris opem implorauit, toties eam expertus est. Habuit verò & ipse in digito annulum, cum quo terræ mandari solent Pontifices: huic itidem Angelica salutatio, non sine stupore omnium insculpta fuit, vt eum Beatissima Virgo sponsum suum & habere, & agnoscere vicissim fateretur.

§. 8. S. *Elzearius B. MARIÆ V. sua omnia commendat.*

GArsenda Elzearij Comitis sanctissimi nutrix, dum noctu in templo pro Elzeario suo preces solicita fundit, Christum ita loquentem audit: *Isti, quem mihi tam auidè commendas, meam ego matrem dedi magistram.* Garsenda his vocibus obstupefacta, Deo enixè supplicauit, vt si forte antiqui veteratoris semper illudentis verba illa fuissent, re ipsâ detegeret, sin autem ex diuino oraculo profecta vox esset, ipsa veritas sese magis ac magis aperiret. Garsendæ iusta poscenti Christus exemit scrupulum: sacrum enim intentis animi viribus audienti, illapsa cælitus vox est, superiora confirmans. Rem totam Garsēda ad suum refert Confessarium virum sapientem, & religionis famâ conspicuum. Ille de Elzeario, remotis arbitris, quærit, quemadmodum se gerat in precibus, exercitationibusque diuinis, quémve ex cælestibus patronum adsciuerit? Elzearius sanctissimam Virginem suam esse magistram patronamque respondet: cùm enim, inquit ille, ad precandum meditandumque me comparo, propriæ indignitatis memor, Matri gratiæ totum me regendum permitto: eam obsecro obtestorque suppliciter, vt quæ Filio sunt grata suggerat; salutares opiniones animo inferat, insitasque custodiat. Deinde qua possum religione Angelicam salutationem in MARIÆ laudē vsurpo,

Sur. to. 5.

vſurpo, qua oblatâ nunquam mihi deeſt ſeges & materia contemplandi. Ex his Elzearij dictis bonus ille ſacerdos vera eſſe comperit, quę Garſenda narrauit.

§. 9. *Rachel Hebræa Virgo Deiparam colit impenſius, ob idq́; ad baptiſmum perducitur.*

Ex lib. qui Apiarium dicitur: agit etiã de ea Thom à Cãtipr. l. 2 c. 29. & P. Bonifac. in hiſt. Virginali.

IN ea Belgij parte quam Brabantiam vulgò appellamus, quædam ſacra Virgo Ciſtertienſis ordinis fuit, cuius ad Chriſtum adductæ hiſtoriã ex ipſiuſmet ore Apiarij author anonymus ſe audiuiſſe confirmat. Hæc quinquennis adhuc, in parentum ſuorum domo, qui Iudæi erant, & antiquæ legis cultores, educabatur. id ętatis, tacita ſecum puella dubitabat, cur alij Iudæi, alij Chriſtiani dicerentur, diuerſaque eorum nomina eſſent, qui colore & linguâ conſentirent. Quin etiam de ſacroſancta MARIA virgine colloquentes ſæpe Chriſticolas libenter audiebat, & ijs quæ de ſanctiſſima Dei Genitrice ferebantur, præcipuam quandam attentionem alacritatemq́ue præſtabat, eamq́ue à noſtris ad rem quamlibet obtinendam patronam atque adiutricem adhiberi haud incallidè conſiderabat. Quare in puellulæ pectus cæleſtes igniculos Deiparæ commemoratio illa iaciebat, quæ de ſuis clientibus bene mereri conſueuiſſet, eratque nominis MARIÆ vſurpatio recordatioque ſuauis. Ergo vt talem tantamq́ue Reginam demereri poſſet, ex paterna menſa quod poterat, ſuffurabatur, vt mendicis, oſtiatim Deiparæ nomine ſtipem corrogantibus, ſubueniret. Per idem tempus puellæ tam bene moratæ animatęq́ue parentibus ex vrbe Colonia, vbi erant, Louanium (ignotum qua de cauſa) migrandum fuit: eò vt venêre, & domicilium quæſîere, puella dum vrbem curioſâ perluſtrat, ſacerdotis (cui nomen Rainerio fuit) foribus appropinquat.

propinquat. Erat Rainerius Louanienfium puerorum ſtrenuus Catechiſta. eum vbi prima noſtrę legis rudimenta docentē audiuit, eandem illa domum cum gaudio reuiſere, ad ſcholam ventitare, & vitæ Chriſtianæ ſancta illa præcepta deguſtare. Id cùm bonus ille magiſter animaduerteret, quęrit ex ea quæ cauſa toties veniendi, quo nomine appelletur, vnde genus, & patria? illa, Iudæam, Iudæiſque natam eſſe parentibus, Rachelem ſe nominari, Chriſtianęque legis diſcendæ percupidam. Rainerius gaudij plenus, admiſſam puellam, & ceteris aggregatam diligenter inſtituit. Illa annum agens ſeſqui-ſextum, quæ à magiſtro tradebantur celeriter arripiebat, vt retractare opus nō eſſet; quod ſemel Catechiſta docuiſſet. Satiari audiendo diſcendoque puella non poterat. Ipſa ætas opportuna erat huic rei, nam parentes Iudæi cum æqualibus eam ludere arbitrati, vbi eſſet, vnde veniret, non magnopere laborabant. Iam ſeſqui-annum in Chriſtiano illo ludo poſuerat, & ad baptiſmum anhelabat, cùm parentes tandem aliquando rem odorati, quę poſſunt impedimenta moliuntur, & re cum ſuę gentis ſectęque hominibus communicatâ, præclaram illam Catechumenam trans Rhenum amandare conſtituunt, & ſpōſalium vinculis irretire. Non latuit parentum machinatio Rachelem; quæ ſibi metuens clam nuncium ad Rainerium mittit, ſi ſaluam ſuam diſcipulam velit, det operam, vt nocte inſequenti ex parentum ędibus abducatur, baptiſmūque ſuſcipiat. Renunciat ſecretò Rainerius, vti ſummo mane tacita exeat, ad ſe veniat, curaturum cetera. Illa ergo cum matre agit, vt ſolam nocte illa dormire ſinat; negat parens, ſuſpicata quod erat; inſtat filiola, blandeque contendit: vrgenti dat mater, vt ad pedes iaceat, inque lectuli ima parte quieſcat. Ortâ iam luce, quam ab Rainerio moni-

ta præuenire debuiſſet, Rachellula ſomno victa imprudentiùs obdormiſcit. Sed tamen opportunæ viſionis admonitu (creditum Dei Matris, cui ſe caſta puellula deuouerat) à ſomno excitata, vocem audiuit, *Catharina ſurge, & quod habes iter arripito.* Prę timore Rachel e lecto excuſſa humi ſe ſternit, & matrem expergefacit ſtrepitu; ſed Dei beneficiò rurſus conſopita, filiolæ clandeſtinum exitum expediuit. Vadit ergo ad Rainerium pulchra illa Rachel: eam ille in monaſterium Ciſtertienſe perduxit, quod *Pratum Virginum* dicebatur quinque milliaribus Louanio diſiunctum, ibi baptizata eſt, & cæleſtis admonitu vocis, quam diximus, Catharina nuncupata, Diuique Bernardi initiata miniſterijs, de ſuis parentibus lætiſſimum triumphum reportauit.

§. 10. *Puer quidam B.V. MARIÆ Roſarium quotidie offerre ſolitus fluctibus eripitur.*

Ex Chron. S. Franciſ. to. 3. c. 37.

QVo tempore S. Bernardinus Patauij concionabatur, nobilis quędam matrona prolibus ſuis eum indiderat morem, vt quotidie antequàm literarum peterent ludum, flexo in terram poplite, & complicatis manibus, coronam precatoriam in honorem Virg. Matris euoluerēt. Cùm ergo penſo abſoluto de more ſcolas pariter reuiſerent, eorum vnus ex ponte præceps delabitur: quo audito pia mater, non ad filium pereuntē, ſed ad commune pereuntium perfugium MARIAM confugit: Mater Dei, inquit, tu mihi ſolamen vnicum ſemper fuiſti, ſubueni etiamnum afflictę, & filiolum, ſi placet, fluctibus eripe. His dictis orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam ſubiungit, ad fluuium properat, offendit ſus deq; curſitantes, vt puerum eripiant. Vixque abſuit ipſa, cùm ſuper aquæ faſtigium fluitat puer matrē compellans. ad ripam ergo facili agmine deductus,

ctus, matri restituitur incolumis. & illa: O fili, inquit, Virginis MARIÆ ope tot casibus erepte! O mater, (subdit ille) scito venerandam illam Dominam, ante cuius imaginem Coronam globulis precatorijs distinctam quotidie percurro, ex vndarum vorticibus me eripuisse. Quo quidem miraculo factum est, vt non parum creuerit ardor apud multos recitandi ad eum modum Rosarij.

§. 11. *Alius item dum recitat Aue MARIA.*

SCribitur in l. qui intitulatur Scala cæli, & etiam in Mariali magno, quod cùm quædam mulier docuisset puerum suum salutationem B. Virginis, & quod quandocumque timeret vel in aliqua necessitate fore contingeret, eam diceret. Quadam vice dum cum alijs pueris iuxta flumen luderet, subitò à flumine rapiuntur incidentes, & cùm alij clamarent, iste Salutationem Virginis, prout fuerat edoctus, dicebat. Tunc vna pulcherrima domina ad eum accessit, & in flumine eum confortauit, & fouit, aquisque iam transactis puer saluus & incolumis apparuit. Et dum ceteræ matres natos suos requirerent, inuenerunt submersos. Iste vero narrauit quomodo protegente pulcherrima Domina .i. B. MARIA fuerit protectus, & liberatus, & sic in laudem Virginis omnes proruperunt.

Pelbartus de B. V. l. 12. p. vlt.

§. 12. *Puer præ pecunia Dei matrem eligit, ideoque ditatur.*

AVdiens aliquando Ioannes cuiusdam eleemosynatoris puerum orphanum derelictũ, parentibus suis morientibus, & in multa paupertate conuersari hunc: dicebant enim hi, qui in testamento patris eius inuenti sunt testes, Quia non dimisit ei, domine, pater eius moriens vsque ad v-

Leontius Neapoleos Cypriorum Episcop. in Patrum l. 1. in vita S. Ioan. eleemos.

§. 13. *Thomas à Kempis ob intermissa deuotionis exercitia à B. Virg. corripitur.*

IN monasterio Regularium prope Swollas (vulgari nomine mons S. Agnetis nominatur) erat quidam monachus dictus Thomas à Kempis, quem non tantum sanctissima atque innocentissima vita religiosum, verùm etiam deuotissima scripta reddidere famosum. Is cùm iuuenis esset, & Dauentriæ scholas frequentaret, deuoti viri M. Florentij, qui congregationi, quæ illic est, nomen imposuit, regimini se subiecit, atque eam deuotionem quam in prouectiori ætate copiosè abundeque scribens effudit, puer imbibit. Habuit enim deuotus puer inter cetera piæ suæ deuotionis exercitia, etiam illam consuetudinem, vt dietim captâ horâ certas orationes atque suffragia de B. V. MARIA quasi diurnam pensionem exsolueret: nam diligebat eam, & vehementer amore sibi iungebatur. Verùm quia instabilis & mutabunda est puerilis deuotio, cœpit & in eo laxioribus velis pia hæc consuetudo nauigare. Pedetentim igitur solitas orationes atque suffragia, primò ad vnum diem, dehinc ad duos aut tres, demum ad quatuor, tandem ad integram septimanam neglexit, & quod magis dolendum est, postremò vniuersa postposuit. Quod dum ageret, visum est sibi in visione nocturna quasi staret in atrio prędicti magistri Florentij, vbi dum vnà cum alijs scholaribus, qui illuc confluebant ad audiendum diuinum verbū, auidas aures ad ea quæ dicebantur inclinaret, conspexit in nubibus cæli desuper venientem Dominam mundi, quę dum facie decora, & fulgenti habitu ad prædictum atrium descendisset, circuiuit fratres, qui illic verbum Dei audientibus loquebantur; & modò hunc modò illum amorosissimè cōplexata, gratias videbatur ei

Spec. exēpl. d. 10. §. 7.

refundere quod tam pijs admonitionibus satagere viderentur, ne precium sanguinis dulcissimi filij sui in illis iuuenibus deperiret. At adolescens hæc intuens, & videns Virginem in mulieribus benedictam ruere in amplexus fratrum, ardens & ęstuans, liquescens & sperans stabat, & in ipsam amorosum lumen firmiùs detorquens intra semetipsum dicebat: Paululùm expectabo, & cùm felix Virgo charitatis insignia ceteris sufficienter ostenderit, tunc etiam & mihi, qui eam, etsi non digno, saltem possibili amore prosecutus sum, habebit amplexũ charitatis offerre. Sed heu quia sæpe in contrarium vadunt spes firmæ mortalium, iuuenis osculum sperabat, dulce pignus amoris, sed verbum asperæ increpationis accepit. Siquidem virgo beata postea quàm singulos, qui pijs admonitionibus florentem confluentium scholarum ætatem ad meliora pouehebant dulcibus amplexus demulsisset, venit tandem ad prædictum adolescentem, & seuerioribus luminibus eũ adspiciens, Frustra, inquit, amplexum petis sancti amoris, hostis acerbe, qui exosâ amicitiæ negligentiâ malo consule fretus, debitam atque solitam mihi pensionem flammantium precum non soluis: siquidem vbi nunc sunt consuetæ preces tuæ? Quò solitæ orationes auolarunt? vbi mixta suspirijs pia suffragia? Nonne refriguit in te charitas, torpuit amor, deuotio quondam habita vacillauit? Et nunc tu quasi nihil peccatum sit, stas, & audaci fronte amplexum manes, qui argui magis meruisti. Et indignabundè vultum auertens: Abi, inquit, abi à me, quia amplexibus meis indignus censeberis, qui tam facilem precem amatæ soluere neglexisti, atque sic iustis increpationibus laceratum relinquens, cęlis refusa disparuit. Ceterum iuuenis post visionem euigilans discutit conscientiam, inuenit culpam, pro-
ponit

ponit emendationem. Et ne de cetero Virginis beatæ frustraretur amplexibus, neglecta dimissaque suffragia ita legenda rearripuit, vt vsque in finem vitæ suæ nullo ea die auferit post-tergare. O felix reprehēsio, quæ correxit errorem, quę amoris fœdera paululum dirupta resartijt, quæ negligentiæ neruum excussit.

§. 14. *Pueri in cultu B. Virginis constantia.*

PVer duodennis in Sodalitatem B. Virginis adscriptus morem habebat recitandi quotidie Rosarium. is cùm Omura reuocatus à consanguineis gentilibus in aliam ditionem, à vitę Christianæ moribus, licet à suis stimulatus, discedere nollet; illi tandem grauissime ei minati sunt, nisi pareret, se illi victum quotidianum subtracturos. Puer eligens potiùs penuriam pati in Omura, quàm rebus omnibus inter infideles tales abundare, se in viam dedit. Sed consanguinei constantiam admirati, mox à fuga eum retraxere, promittentes se omnia Christianæ religionis exercitia ei libera relicturos. Itaque palam cum confusione suorum pergit Rosario precationes iterare, & nonnunquam Omuram confessionis causâ, ac vt Patribus vitæ suæ rationem reddat, proficiscitur.

Ioã. Hayus in hist. Indica.


§. 15. *Puer è Sodalitio B. MARIÆ gratiam rite confitendi impetrat.*

SOdalis quidam cùm in se inquirendi quid cogitasset, dixisset, egisset, omisisset, adhibito studio recognosceret, obsecraretque Reginam Angelorum, vt omnia sibi fas esset peccata confiteri, ne vno quidem prætermisso; ecce tibi è sublimi ante faciem orantis pagella decidit, candore eximio, quæ minutis quidem literis, sed elaboratis quoddam illius peccatũ expresserant; hoc addito: si illud aperiret, pieque rosarium recitaret in honorem Deiparæ, bene secum actum iri. Auxit mi-

Bencius de rebus Collegij Monachien. an. 1588.

raculum, quod cùm Sodalis alter eius æqualis, parens, parochus, aliiq́ue conarētur, nunquam chirographum illud intelligere potuerunt.

Vide p. 2. c. 28. §. 20. & p. 3. c. 1. §. 9. de Salaun.



CAPVT XVIII.

PVERORVM IN CHRISTI PASSIONEM ET CRVCEM *affectus*.



ON immerito Christi Passio arbori à quibusdam comparata legitur: vt enim varij se rami ab eadem arbore quaqua versum porrigunt, sed alij alijs sublimiores; demissiores alij poma ostentant sua, & ad ea decerpenda manum etiam pusillorum inuitant: ita sedula cruciatuum Christi ac certaminis eius extremi cogitatio, non eos modò qui perfectionis culmen attigerunt, sublimi mentis excessu rapit; sed & primos Deo se deuouentium conatus solet allicere, ac suauitate detinere. Ecce tibi hos inter, Pusiones nostros, sub arbore salutifera circumspectantes, si quæ fortè decidua legant poma, alij ramos laborantes adducunt, alij in palmam tentant ascensum; palmam, cuius rami quo premuntur magis, eo se surrigunt excelsiùs: palmam cortice asperam, sed fructu iucundissimam. Tu Christe, fructus excute; habet suum nux putamen, echinatum castanea: hæc frange, vt esse queant Paruuli.

§. 1. *De S. Elzeario.*

Surius 28. Sept. DVxit Elzearuis cùm decennis tantùm esset, mandato Caroli II. Ierusalem & Siciliæ Regis,

Regis, Delphinam vxorem egregiam & nobilitate & virtutis splẽdore, duodennem: cum qua Angelice virginitatem coluit. Hæc quodam die misit ad eum literas per famulum, cupiens scire cur moram in monte Pessulano traheret: cui ille sic respondit: Sanus corpore sum, & sospes, quod si verò videre me cupis, quære me in vulnere lateris Christi, illic enim habito, & ibi me poteris inuenire, frustra alibi quæsitura.

§. 2. *De S. Edburga.*

EDburga filia Eduardi regis senioris in Anglia claruit; hæc adhuc trima sic à patre probatur. Posuerat ille in triclinio diuersa ornamenta mulierum, naturaliter allectiua, & seorsum crucem & euangelium, iussaq; vt quod vellet horum eligeret, toruo aspectu sæcularia despiciens; manibus iunctis Crucem & euangelium adorauit, ipsaque postmodum in manibus sumpsit, & osculata est. Quod pater considerans, & virginis puellulæ auspicium notans, eam adhuc infantem in monasterio virginum in vrbe Viconia dedicauit. *Petrus de Natal. lib. 11. c. 69.*

§. 3. *De S. Edmundo.*

S. Edmundus ex quo pueri IESV puer suaui fruitus est colloquio, adeo sacratissimis passionis Christi mysterijs cœpit delectari, vt suauissimâ eorum recordatione diu noctuque mirè pasceretur. Et hunc eius in mysteria passionis affectum protendebat visio illa matri eius secundum quietem oblata: vidit enim in capite spineam coronam gestantem illum, quæ vehementer accensa, flammas ad sydera vibrabat. *Surius 16. Nouemb.*

§. 4. *Dæmon maximè horret crucis signum, & Passionem Christi.*

CVm die quodam festo alijs occupationibus distentus solitæ pietatis exercitia prçteriuisset Edmundus, & quieti se dedisset, sub au- *Ibidem.*

roram horrẽdus ei se videndum præbuit dæmon, qui vtraque eius manu prępeditâ frontem salutiferę crucis signo de more armare prohiberet. Sed mente Deum precante Edmundo, dæmon inter lectum & parietẽ decidit, quem ille horrido gutture apprehensum adiurauit per virtutem passionis Christi, & aspersionem sanguinis eius, & diceret, quibus rebus vel maximè ab ipso infestando arceri posset. respondet: Ijs videlicet, quas tu modò nominasti.

§. 5. *De S. Elizabetha.*

Surius 19. Nouemb. Elizabetha Regis Hungariæ filia templum ingressa, coronam confestim deponebat, & tam diu inglorium verticem ostendere perseuerabat, quoad ritu sacrorum completo, domum esset redeundum. Res ista quibusdam aulicis non probabatur; & causam percunctantibus: Absit, inquit, à me tanta impietas, vt ibi caput meum turrito fastu micantis coronæ superbiat, vbi caput Saluatoris mei spinis coronatum acerbè compungitur.

§. 6. *De S. Agnete montis Politiani.*

Seraphin. Rasius. Nono ętatis anno Agnes montis Politiani ciuis, in monasterium Sacci se contulit, ita appellatum propter vestis asperitatem, qua se virgines induebant. In eo ita vixit, vt non puellam nouem annorum, sed nonagenariam; immo vt non iam puellam, sed Angelum se in ea conspexisse faterentur. Aliquando visa est ab ipsis sororibus ante Christi imaginem in cruce confixi in altum precabunda sustolli, & pedes imaginis osculari, quæ in altum sublata pendebat. Aliàs cùm paulò grandior esset, & ei se Regina cæli cum filiolo videndam præbuisset, immo puerum IESVM vlnis excepisset, mirum quanta dulcedine amantissimos inter amplexus absorbebatur: restituit ergo matri tandem pignus acceptum, ita tamen vt

men vt aliquid sibi tanto de munere reseruaret. Crucem enim ex Christi collo serico filo appensam ademit, ac manu præhensam retinuit, quæ Crux hodie eò adeuntibus primâ die Maij demonstratur.

§. 7. *De Ioanne de Firmo, siue de Aluerna.*

IOannes de Firmo, factus annorum septem, se à pueris abscondendo ad agrum patris ibat ad meditandum Domini passionem, & in tantis lacrymis se cruciabat, vt cor eius videretur deficere, & ibi duris per totum corpus se disciplinis mactabat, quod de carne eius candidissima riuuli sanguinis defluebant: & priusquam domum reuerteretur consuebat circa collum & corpus suum vrticas, quas postea cooperiebat superioribus indumentis.

Author libri Cõformitatum l. 1 p. 2. Sedulius l. 2. Apolog. Gretserus l. 1. de disciplinis c. 14

§. 8. *De S. Margareta Hungarica.*

CVm adhuc quartum ętatis annum ageret Margareta Regis Hungarici filia (in cœnobio iam tum Vesprimiensi) conspiciens crucem quãdam, sciscitabatur ex sororibus quid rei esset: respondentibus illis signum esse Crucis, in qua Deus Dei filius nostrę salutis causâ suum fudisset preciosissimum sanguinem; illa statim Crucem amplexari, & osculari cœpit, & coram illa se prosternens, & adorans Crucifixum, alta voce dixit: *Domine me tibi committo.* Ex eo autem tempore tanta deuotione erga sanctam Crucem ferebatur, vt vbicunque Crucem videret, quocunque etiam detineretur impedimento, sese prosterneret, eamque adoraret. Quandam etiam Crucem paruulam de ligno S. Crucis habens, semper secum portabat, & die ac nocte sæpius deuote osculabatur. Alijs euntibus ad locum refectionis illa sæpe orabat coram imagine Christi Crucifixi, quæ erat in domo (vt vocant) Capitulari: & aliquando tam diu ma-

Surius.

diu manebat in oratione, vt vsque ad alteram refectionem non comederet. Orabat vt plurimùm ante altare S. Crucis, vel coram imagine Crucifixi.

§. 9. *De S. Catharina Genuensi.*

Anthonius Flaminius in eius vita.

S. Catharina Genuensis octo annorum puellula piam patientis Christi habebat effigiem, ad quam quoties ingrederetur cubiculum, memores oculos conuertebat, ingentes verò in pectore suo cruciatus persentiscebat, quoties, quæ & quàm acerba ille nostri causa perpessus sit, animo reuolueret.

§. 10. *De S. Birgitta Vidua.*

Surius 23. Iulij. D. Antoninus 3. p. Chron. tit. 24. c. 11. incorp.

CVm decennis esset hęc, nec eo maior, audissetque in templo de Christi cruciatibus concionantem, nocte sequente vidit in somnis Christum quasi eadem horâ crucifixum, sibique dicentem: En vt cruciatus sum: illa existimans eadem horâ recens id factum: Ecquis, ait, isthuc tibi fecit Domine? Christus respondit: Qui me cōtemnunt, & charitatem meam negligunt. tum illa ad se reuersa, vsque adeo fuit affecta erga Christi passionem, vt eius mysteria raro sine lacrymis in memoriam potuerit deinceps reuocare.

Nocte quadam matertera in eius cubiculum latenter ingressa, inuenit eam ceteris dormientibus ante lectum suum nudam adorare cum silentio & lacrymis Crucifixum. Suspicata autem leuitate quadam puellulari id fieri, virga eam percussit, sed ea in minutissimas partes desilijt. admirans igitur: Quid, inquit, egisti Birgitta? num te docuerunt feminæ preces quasdam fallaces? illa cum lacrymis respondit: Non Domina mea, sed surrexi è lectulo vt laudarem eum qui me semper solet adiuuare. suscitanti quis ille esset, respondit: Crucifixus est, quem pridem confixi. Cœpit ergo deinceps matertera

tertera impensiùs eam amare, & venerari.

Ludens quodam die cum puellis coætaneis, vidit diabolum tanquam centimanum & centipedem, horrida specie deformem, perterrita igitur cucurrit ad lectum, de more se Christo, ante imaginem crucifixi, commendans. vbi rursus ei teter ille spiritus apparens, Nihil possum, inquit, nisi permittat Crucifixus, eamque deserens, fugit.



CAPVT XIX.

EVCHARISTIÆ IN PVERIS DESIDERIVM, *effectusque.*

TENVIT hęc à primis incunabulis Ecclesię nascentis consuetudo, vt infantibus à baptismo redeuntibus, licet adhuc brachijs gerularum deferrentur, sanctissimum altaris Sacramentum quoque ministrarent. ita testatur Hugo Victorinus, idque legimus apud S. Cyprianum. Quod quidem non sine magna eorum vtilitate obtigisse certum est: nam quamuis eò maiorem conferant Sacramenta sanctitudinem, quò maiori cum pietatis sensu ac feruore percipiuntur; nemo tamen inficias ineat, quin maximam ex se ipsis, nulla suscipientis considerata præparatione, gratiam secum deferant, modò nullo mortiferæ culpæ impedimẽto (quale in pueris illis non erat inueniri) prohibeantur. Fuit tamen ea sublata consuetudo, siue quòd indecens esset aliquo modo, tanta mysteria ab ijs sumi, qui nullo rationis vsu adhuc essent

l. 1. de Eccl. offic. c. 20.

Serm. 5. de Lapsis.

sent præditi; siue quòd ob copiosos,quibus infantes diffluere solent, humores,synaxis minùs reuerenter ac commodè sumeretur, & ad ima pectoris penetraret. Hinc apud Grçcos adhuc aliquamdiu fuit in more positum,vt postquam omnes hoc cælesti cibo essent recreati, pueros è scholis, quos maximè puros nouerant,euocarent; eisque sacratissimas hasce reliquias diuiderent. Hoc de suo ipsius tempore Nicephorus,id est,ab anno reparationis humanæ millesimo trecentesimo, testatur: neque sine diuini Numinis comprobatione factitatum fuisse scimus ex ijs, quæ tum apud Euagriũ, tum apud Gregorium Turonensem leguntur. & quamuis Ecclesiæ iam non sinat consuetudo, vt adeo pueri ad mysteria tremenda admittantur, liquet tamen quàm illa priscorum diligentia nostri temporis hac in re damnet tarditatem, parentibus maximè malo futuram, cùm vix anno iam decimo sexto ad communionem inducantur adolescentes, & nihilo fortè aptiores euadant, licet in annum abeãt vigesimum, quàm si à puero sanctè imbuerentur. Discant ergo hinc pueri sanctissimis hisce dapibus atque cupedijs inhiare; discant maturè cælesti hoc epulo frui: meminerintque paruuli IESV Puerorum omnium Antesignani, qui anno ætatis duodecimo iam tum rebus se diuinis interesse debere pronunciauit.

l. 14. c. 25. — *l. 4 c. 25.* — *De glor. Mart. c. 10*

§. I. *Achaz puer quanto Eucharistiam expetierit desiderio.*

Thomas à Kempis li. 2. c. 28.

Appropinquans morti Achaz, puer annorum septem, post peccatorum expiationem à sacerdote sacramẽtum corporis Christi postulauit: quod cùm sibi ob teneram ætatem (vetante id cõcilio generali) denegari intellexisset, puer mirâ oris gratiâ extensis in cælum manibus: Tu nosti, inquit, Domine IESV, quod summa votorum meorum

meorum fuit hęc vt, te reciperem; petiui te, feci quod potui, spero confidentiùs quod tuâ pręsentiâ non frustrabor: & dum parentes consolatur, & ad meliora prouocat, verba exhortationis inter, & laudis, animam efflat innocentem.

§. 2. *S. Clara de Monte Falco communionem diuinitus percipit.*

IN ectasin quondam rapta S. Clara, vt ceteris Virginibus ad SS. Eucharistiam de more accedentibus se adiungeret, auocata, surgit ocyùs vix- dum sibi restituta, & parendi desiderio dum festinat, pallam in oratorio relinquit. Quod animaduertens soror eius, cuius curæ à prima ætate commissa fuerat, ei communionem interdixit. Ad oratorium ergo reuersa, tota prorumpit in lacrymas doloris, (quòd communione se priuari cerneret) & ardentis sui desiderij testes. sed ecce desiderio æstuanti suus sponsus affuit, qui suis ei manibus sacram synaxim porrexit. *Ex Chron. S. Francis. l. 5. c. 41.*

§. 3. S. *Margaretæ Hungaricæ ad communionem præparatio.*

CORpus Christi Margareta adhuc puellula, in sacramento altaris deuotissimè venerabatur, & sub eleuatione illius in Missa flebat vberrimè: frequenter ab eleuatione vsque ad sacram communionem sic præ deuotione manebat abstracta à corporis sensibus, vt quasi mortua videretur. quando verò sacram erat communionem percep- tura, die pręcedenti non sumebat nisi panem & aquam, & totâ nocte in orationibus permanebat. Sumebat autem ipsum Sacramentum cum magna deuotione, & multo lacrymarum imbre; atque interdum adeo rapiebatur à spiritu, vt ceu mortua videretur. Post communionem tenebat ab vna parte mappulam ante facies ad comunionem accedentium, hoc fine vt videret identidem *Surius 28. Ianuar.*

corpus

corpus Christi. Ipsa quoque die qua communicârat persistebat continenter in precibus vsque ad noctem,& tunc cibo valde modico vtebatur.

§. 4. *B. Aloysij sedula ante communionem præparatio.*

Virg. Cepa rius vitæ l. 1. c. 4. PEr omnes dies qui condictum cælesti epulo anteibant, eius vnius memoriam animo & sermone vsurpabat. Quis verò eius intimi animi fuerit pietatis ardor, cum primùm diuino conuiuio exceptus est (quod anno 12. contigit) quàm inflammatæ amore voluntates, Deo vni, qui cordis arcana nouit, compertum est; illud dicere possumus, ab hoc tempore tam impensè Eucharistiã est veneratus, vt quotidie cùm rei diuinæ interesset, postquam Sacerdos conceptis verbis Christi corpus confecerat, ingenti pietatis vi, in effusos fletus solutus terram ipsam humectaret.

§. 5. *Augustini pueri Iaponij rara deuotio, ante synaxim, & piæ lacrymæ.*

Ex lit. Soc. P. Benifac. PEtijt aliquando Augustinus puer tredecim annorum à Patre Cosma Turræo, de regione illa bene merito, vt sanctissimã hostiam sibi porrigeret. Pater verò Cosmas puero respondit, futurum Dei conuiuã, quando se optimè ad hoc compararit. Non multò pòst expiationis modum Patre explicãte, diemque cęlestis epuli decimam-quintam Augusti præstituente, quam meritò Parthenij omnes adolescentes, adeoque totus orbis celebret, ob gloriosum MARIÆ Matris Deiparæ triumphum, lætitia gestiens puer interrogationibus quouis Theologo dignis, quãto ingenio esset patefecit. Quæsiuit enim à P. Cosma (non quasi in fide ambiguus, sed quasi firma scire, aliosque eadẽ illa docere cupiens) quî se haberet illa panis in carnem, viniq; in sanguinem admiranda conuersio, verumq; esse didicit, vnum idẽque corpus eodem

eodem tempore in plurimis disiunctissimisque locis posse consistere, multaque alia acutissimè rogando cognouit. Sed pietatis specimen quàm ingenij non fuit minus. Priusquam diuinam mensam adiret, vitæ sordes si quæ fuerint, generali confessione detersit, quam ita disposuit ordinauitque, vt senex Pater dixerit, innumeris se hominibus pene fuisse ab auribus, nullius tamen preclariorem in fatendo modum audiuisse. Patre rem Diuinam faciente, iam inde ab ipso sacri primordio, tam pias tamque vberes lacrymas fundere Augustinus cœpit, vt ferreos animos, adamantina præcordia mitigare possent. Et cùm sacrificio toto plorauisset, multò tamen acriores plenioresque lacrymæ fuerunt ipsâ Eucharistiæ percipiendæ horâ, nec sola comploratio Augustino fuit satis; sublatis enim manibus, immensas Deo gratias egit, multaque exclamando dixit de beneficentia & liberalitate Christi Opt. Max. à quo non solùm Christianus factus esset ex barbaro & infideli, sed & præco Diuinæ legis, sanctique Spiritus instrumentum. Hæc autem pueri cum Deo collocutio tam grauis tamque seria fuit, vt templi concionem plenissimam ad lacrymarum vim ingentem effundendam mouerit; nec enim aliter omnes fleuerunt, atque si parentum suorum funus exequiasque facerent.

Æditauus, & rerum sacrarum custos à nostris Patribus illâ in vrbe degentibus bonus hic puer lectus factusque est: Eam verò curam ponit in ijs rebus, quibus preficitur, vt non puerum annorum tredecim, sed virum prudentem ac maturum se vbique præbeat.

§. 6. *Puer opportunè desideratam Eucharistiam recipit.*

INter pueros Christianæ fidei elementarios, vni accidit exitus memoriâ dignus; hic puer trede- *Ex lit. Soc. 1593. in Bætica.*

tredecim annos natus pietate ac prudentia præcurrebat ętatem. Pręḍicare erat solitus aduentum, operamque nostrorum, per quos tantum eis diuinæ lucis affulsisset. Inde cùm suasu nostri Sacerdotis primùm sacra mysteria gustasset, illico cælesti gratia perfusus gestire efferrique gaudio cœpit: vbi in matris conspectum venit, exclamat: O mater quàm libenter ego nunc moriar! prorsus erat quamuis imbecilla ætate maturus cælo. Nec Deus irritam eius vocem esse voluit; eo ipso die, fortuito ictu lethale vulnus accepit, ex quo non ita magno spatio intermisso est mortuus.

§. 7. *Puer per desiderium Eucharistiæ meretur prophetiæ donum.*

Cæsarius l. 9. c. 44.

INfantulus quidam cùm infirmaretur, spiritu S. afflatus corpus Christi sibi dari petiuit, cumque eum parentes compescerent, ille fortiter clamauit: Date mihi corpus Domini. Delatum est verbum ad sacerdotem, qui cùm diceret, non esse securũ tali puero, qui non intelligit quid sit, dare corpus Domini: hostiam ei detulit non benedictam, quam cùm ei porrigere vellet, & diceret: Ecce hic est corpus Domini, vt Dominus ex ore infãtis perficeret laudem, & destrueret perfidiam multorum, qui de eodem Sacramento male sentiunt, inspirauit puero, vt responderet: Quare me vultis decipere? non est corpus Domini quod mihi offertis. Ad quod verbum sacerdos admirans, sacram ei communionem attulit, quam ille deuotè satis suscepit.

§. 8. *Puellæ cuiusdam diuturna post communionem abstinentia.*

P. Pithœus I C in hist. Francorum Genebrard. &

IN territorio Tullensi iuxta Commerciacum villam, puella duodennis, post sacram communionem, quam in Pascha à Sacerdote susceperat, primò pane, deinde alijs communibus cibis & potibus

potibus ita abstinuit, vt nulla penitus corporis alimenta percipiens plenum triennium sine omni victus desiderio compleuerit. Cœpit autem ieiunare anno Incarnationis Dominicæ 1323. & in hoc anno 1325. circa Nouembris mensis initium escam sumere, ac more ceterorum mortalium manducando viuere cœpit. *Sigeb. in Chron. Fulgosius li. 1. Cornelius Cornspolitan. in sua Chronol.*

§. 9. Puer Iudæus Constantinopoli post sumptas Eucharistiæ particulas in fornacis ardore illæsus inuenitur.

Consuetudo à multo tempore imperanti vrbi fuit, vt cùm plusculum de partibus immaculati diuinique corporis Domini Dei & seruatoris nostri, reliquum esset, Sacerdotes pueros incorruptos ex eis qui ad præceptores in ludum literarium eunt, accerserent, qui ieiuni eas reliquias ederent. quod quidem mihi quoque sæpenumero, cùm puer admodum essem, & maximè prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit. Cum pueris ergo ad id aliquando delectis, puer quoque viri religione Iudæi, vitro conficiendo vitam tolerantis, aggregatus est. Puer is vbi diutius vltra solitam horam moratus domum venit, causam tardioris reditûs parentibus diligentius eam inquirentibus, quòd scilicet cum alijs in æde sacrâ diuinas partes edisset, renunciauit. Pater re noua audita, furore percitus, fornacem, vbi vitrum conflabat, succendit, & puerum arreptum, in eam prunis flammâ suffocatâ candentem coniecit. Porrò mater vbi puerum diutius non comparentem quæsiuisset, & non inuenisset, vrbem omnem circumijt, perquam acerbè plorans atque lugens; & die tertio ad officinam consistens ingenti planctu seipsam lanians prolixiusque ingemiscens filium vocauit. Atque ille maternâ voce agnitâ re- *Nicephor. l. 17. c. 25.*

 sponsum

sponsum è furno reddidit. Tum mater ostio furni fracto, cum miraculo maximo in medijs prunis puerum stantem vidit, ita prorsus incolumem, vt ne capillum quidem flamma læserit. Et vbi causam incolumitatis quæsiuit, mulierem quandam illustrem, purpurea amictam stola, frequentiùs ad eam venisse, aquam sibi infudisse, & flammam eâ appropinquãtem extinxisse, cibũ etiam cùm esurijsset præbuisse dixit. illam scilicet mulierem, vt addit Cedrenus, quæ in sacello, quo panem sanctum ipse gustauerat, in regio throno cernitur fouens infantem. Hæc cùm Iustinianus cognouit, puerũ cum matre diuino regenerationis lauacro adhibuit, Deoque dicauit. Patrem autem, qui Christianorum sacra suscipere non sustinuit, veluti parricidam in ficum arborem, perinde atque in crucem egit. Alij dicunt in eãdem fornacem iniectum fuisse, adeoque prorsus absumptum, nihil vt de eius ossibus relinqueretur.

In additio. ad Zonarã annal. l. 3.

§. 10. *Mutus Eucharistia sumpta loquitur.*

Surius 22. Apr.

REfert Surius S. Theodorum Ancyranum Episcopum, cùm quadam die sacrosanctam Eucharistiam cuidam puero muto ministraret, illumque iuxta morem ceterorum non audiuisset respondentem *Amen*, & mutum esse ignoraret, dixisse ad puerum, dic *Amen*. Qui statim virtute sacramenti suscepti linguâ solutâ, & facultate loquẽdi receptâ, non modò clara voce pronunciauit *Amen*, sed etiam perfectè omnes animi sui cõceptus eloqui cœpit. Pater pueri qui præsens aderat, cùm audiret filium loquentem, præ gaudio exclamauit: Miraculum! Miraculum! Fuit ibi tũ Diaconus quidam nomine Domitianus, qui incredulus verum esse miraculum sibi persuadere non poterat: Sed ille, Deo virtutem suam manifestiùs declarante, statim humi velut exanimis, grauissimis

uissimis oppressus doloribus concidit. Quamobrē Clerici quidam accurentes, trementes eum leuauerunt, quidque illi contigisset, percunctati sunt: quibus ille respondit: Cum puer ille pronunciaret *Amen*, & pater exclamaret quod soluta esset lingua eius, ego non credebam esse verum, sed fictum gloriæ causâ existimabam: & vidi quasi flammam ignis ex ore pueri contra me egredientem, quæ mihi horum dolorum causa extitit. Accessit deinde ad S. Theodorum, atque ab eo poposcit, vt pro se Deum obsecraret, quem benignè redarguens, hæc ei propter incredulitatem suam euenisse affirmauit. Quam & ille confessus, acceptâ ab eo benedictione, ab horrore ac metu liberatus est.

§. II. *Puer ante Baptismum sumpta Eucharistia, cruciatur: idem cum matre in accenso rogo persistit illæsus.*

Refert V. Beda, Bonifacio Pontifice populum communicante, inter alios etiam puerum quendam Iudæum occultè venerandis mysterijs se ingessisse, qui percepto sacro-sancto Christi corpore, statim elata voce clamare cœpit: Bonifaci, festina ad me baptizandum, panis enim quem sumpsi, horrendum in modum me cruciat: & nisi me baptizaueris, ardore suo consumet. Ad hanc vocem plurimi ex Iudæis accurrunt, ac ita tumultuari cœperunt, vt pater eius struem lignorum, quam in domo sua habebat, succenderit, filiumque flammis iniecerit. Quod cernens mater, clamare, & orbitatem suam deplorare, simulque B. V. MARIAM vt filio opicularetur, inuocare cœpit. Iudæi autem furore atque inuidia stimulati, matrem simul in ignem coniecerunt. Huius rei fama cùm ad Pontificis Bonifacij aures mox perlata esset, è vestigio, vt erat ornamentis sacerdotalibus

V. Beda in Collect. aneis.

dotalibus indutus (sacrum enim Missæ officium tum primùm finierat) ad ignem accessit, & ingressus matrem & filium beneficio sanctissimi huius sacramenti saluos & incolumes ab incendio eduxit.

§. 12. *Infans sacramento euomit quod indignè sumpserat.*

S. Cyprian. l. de Lapsis. PArentes cuiusdam infantis fugientes (sęuiente persecutione) dum fortè trepidi minùs sibi consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratum. illi ei apud idolum, quò populus confluebat, quòd carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater, sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, vt sacrificātibus eam secū mater inferret: sed enim puella mixta cum Sanctis precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis ęstu cœpit fluctuabunda iactari. Vbi verò solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu Diuinæ maiestatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare: perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de sacramento calicis infudit. Tum sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. sanctificatus in Domini sanguine potus, de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta maiestas.

§. 13. Qui-

§. 13. *Quidam temere communicans velut aduritur.*

PVer cùm videret condiſcipulos aliquot ſuos ad ſacram menſam accedere, ſimiliter ratus licere omnibus, etiam ipſe acceſſit, & panem hauſit Angelorum. Quod vt eius pater, qui erat Catholicus, reſciuit, ſimplicitatem pueri cauſatus, illum, clam matre hæreticâ, vt confiteretur adduxit. Narrabat porrò puer, vt magnum illud argumentum accepit Diuinæ charitatis, non aliter atque intraſſet flamma, os ſibi viſum aduri.

Benzius in Annal. de rebus Collegij nostri Augustani.

Vide p. 3. c. 2. §. 6. & p. 3. c. 1. §. 14.



CAPVT XX.

PVERI SACRA ECCLESIACTICARVM CÆRIMONIARUM *instrumenta rituſque adhibent, & eorum vim experiuntur.*

CVm duabus homo conſtet partibus, animo ſcilicet, & corpore, non interno eum dumtaxat cultu decebat, ſed externis quoque ſignis Deum venerari. Hinc eſt quod Eccleſia nõ ſolum voce vtitur ad Deum laudandum, ſed etiam externis cærimonijs; quarũ quædã ſunt naturales & à natura ſuggeſtę, v. g. in cælum reſpicere, iungere manus &c. quædam diuinæ ſeu à Deo inſtitutæ, vt erant omnes illæ in veteri teſtamento, & in nouo ſeptem ſacramenta: quædam Eccleſiaſticæ: Eſt verò cærimonia qui-

uis actus externus à virtute religionis imperatus ad hoc, vt per eum Deus colatur, & honoretur: & quamuis nullum opus externum efficiat, adhibetur tamen ad effectus ſpiritales, eoſque multiplices. Nam primò proteſtamur fidem noſtram, dum frontem ſigno S. Crucis armamus, ſphęrulas precatorias euoluimus, Agni Dei ceream imaginem ex collo geſtamus. adhæc ſigna externa nos in eorum deducunt notitiam, quæ latenter efficiuntur in animo: cur enim infanti corpus abluitur aquâ baptiſmi? an non vt diſcamus animam ab omni ſorde expiari? Admonemur item eorũ, quæ nobis ex officio incumbunt; vt qui orat dum pectus tundit, manúſvę ſublimè tollit, dum procumbit humi, quo animo in oratione eſſe debeat, nempe contrito, in Deum collecto, demiſſo ac humili, recordatur. quartò, non magis tuba milites excitat ad pugnam, quàm cærimonię eccleſiaſticę ad pietatis exercitationes. quis enim, niſi à fide ſit alienus, quis, inquam, nõ excitetur, quando feſtis ſolẽnnioribus audit ęra campana vndique feſto pulſu perſonantia? refractos Muſicæ concentus, & concordiâ diſcordi blandientes auribus? cùm videt templum periſtromatis vndique ornatum, accenſis cereis illuſtre, tapetibus, picturis, aureâ ſupellectili collucens? cùm Miſſę cęrimonias contemplatur, miniſtrorum grauitatem, ornatum, deuotionem? *Meritò exiſtimare poteſt homo eo tempore cælum aperiri* (ait Chryſoſtomus) *& ſe cum cæleſtibus conuerſari.* Denique ſi rite, & eo quo par eſt adhibeantur cultu hi ritus ſacri, magna ſiue corporibus ſiue etiam animis pręſtant auxilia, eaque expertos pueros hîc oſtendemus.

Chryſ. homil 61. ad pop. Antio.

§. 1. *Puer à puero per ludum baptizatus.*

Niceph. li. 3. c. 37. De S. Ath.

QVale accidiſſe ſub Athanaſio Magno hiſtoriæ tradunt, ſimile æuo etiam noſtro (inquit Niceph.)

Niceph.) factum nouimus. Christianorum pueris Hebręus puer familiaris erat, & cùm eis ad mare colẽtibus natãdi incessisset cupiditas, consecutus est Iudęus. hunc per ludum pueri nudum ad mare stantem baptizarunt, principio statim non inuitum, posteaquam verò & tertiam diuini numinis appellationem nominarunt, & simul tertiam mersionem peregerunt, extremâ lineæ vestis texturâ discissâ, & qui circa hęc frequentatur, imaginario amictu facto, in capite eius arcanam mysticamque galeam adumbrarunt, deinde pro cereo dextram ligno tenui armantes, quæ eius sacri & ritus sunt, mysteria omnia absoluerunt. Postremò & circum vicinum templum psallẽtes obambularunt. Vt verò etiam templum ingressi sunt, diuinam receperũt remunerationem. Idem porrò ex equo qui ita baptismo initiatus erat, fecit. Quam rem per diligentem inquisitionem cognitam, qui ibi sacris præfuit, ad Ecclesiam Constantinopolitanam renunciauit: eò puer etiam est accitus; cùm quidam Iudæi, ne id fieret, multa molirentur, atque ibi quoque decretum, vt etiam in illo quod deesset, iuxta mysterij executionem compleretur. Atque ita factum est. Qui puer vbi ad iustam ætatem peruenit, in sacerdotij ordinem est allectus, & Æditmus seu custos maximi templi factus, etiamnum ibi viuit. *vide supra 1.p.c.16.*

§. 2. *Infantem baptizat infans iam iam moriturum.*

REfert Alanus Copus dialogo sexto, quod puerulus quidam, domi absentibus parentibus relictus, vt infanti fraterculo nondum baptizato adesset præsto, cùm eum angi grauiter animaduerteret, & haud prope à morte abesse, acceptâ aquâ, & potentibus verbis distincte pronuntiatis, eum baptizauerit; vixque mysteria compleuerat, *Alanus cõtra Impug. imag. c. 9.*

cùm

cùm infans animam insontem exhalauit.

§. 3. *Parthenij Sodalis industria & zelus in puero baptizando.*

P. Nicol. Trigautius in liter. Sinens. anni 1610. in Residentia Nãquineñsi

PArthenius puer cùm infãtulum propinquum suum morti vicinum videret, neque impetraret ab Ethnico parente, vti eum sacro fonte sineret ablui, ad Patres Societatis Iesu cucurrit, sciscitaturus ecqua infanti superesset ad salutem via Edoctus, imbutum aqua sudarium in moribundum rite pronunciatis sacræ formulæ verbis expressit, idque tanta dissimulatione, vt parens minimè animaduerteret: quam rem cùm faceret, narrabat postea se insolito quodam gaudio perfusum animo exultasse: diceres de infantuli felicitate radium aliquem ad beneficij authorem Deo volente dimanasse.

§. 4. *Puer baptismi virtute sanatus, ob ingratitudinem parentum moritur.*

Nicol. Trigautius in lit. Sinensibus anni 1611. de Resident. Nãquinensi.

AGebat iam prope animam infantulus quidam variolis, puerili ferè morbo, fœdè infectus: exorauit è Sodalibus Deiparę V. vnus parentes, vti moriturum sinerent ritu nostro lauari, potentem esse Deum etiam illi desperatam iam salutem ad integritatem reuocare: hac spe supra spem lactati (summus enim dolor nihil non arripit) minime abnuerunt: mira res, elutus iam salutis, remittente se multum vi morbi, spem certam dabat. Parentes primò stupere: sed vt erant mirè gentilicijs ritibus addicti, datam salutem ingrati, non sine graui datoris iniuria, aliò deriuabant. Itaque multa mentitis dijs gratulantes grati animi signa profanis ritibus exoluebant. hoc ad Patrem nostrum relatum mœrorem attulit, clareque prædixit fore vt eam contumeliam iustus Dei furor minimè pateretur. Nec defuit dictis euētus; subitò salus à suo fonte aliò deriuata aruit (cuiusmodi

modi de S. Basilio & Galate Valentis Imp. filio Ecclesiastica refert historia) & puer in peius momentis singulis ruens biduo interijt. hic tamen diuina bonitas puerum excipiens cum iustitia parentem puniente mirabiliter eluxit. *Socrates l. 4. c. 21.*

§. 5. *Confirmatione sacra puer fit compos mentis.*

S. Malachias Hybernus Episcopus puerum mente captum, ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione curauit. *S. Bernardus invita S. Malach.*

§. 6. *Miraculum, quod pueris Apameensibus contigit, qui ioco verba sanctæ consecrationis protulerunt.*

NArrauit nobis Gregorius Africanæ prouinciæ præfectus, fidelis vir, & Monachorum ac pauperum amator, bonisque omnibus semper congaudens: In prouincia, inquit, mea (erat autem Apameensis secundæ Syrorum prouinciæ, ex oppido quod dicitur Thorax) ager est ab vrbe quasi quadraginta milliaribus distans, qui Gonagus dicitur: in hoc, siue in eius finibus pueri pascebant pecora, & vt solet pueris contingere, puerili consuetudine voluerunt ludere: Cumque luderent, dixerunt ad inuicem: Venite, celebremus missam, & offeramus sacrificium, & communicemus, sicuti semper in sancta ecclesia presbyter facit. Quod cùm placuisset omnibus, constituunt ex eis vnum in ordine presbyteri, duosque alios pueros in ministrorum officio, veniuntque ad saxum quoddam (erant enim in planitie) ac supra saxũ in morẽ altaris apponunt panem, & vas testeum cum vino: assistũtque vnus quidem coram altari, qui fungebatur officio presbyteri, medius, duo verò alij hinc atq; hinc veluti ministri. Et ille quidem sãctæ oblationis verba dicebat; illi verò fasciolis, quę ferebãtur, pro flabellis vten- *Ioan. Moschus in Prato spirituali ca. 196.* *Pueri verba oblationis super panem proferũt.*

lis vtentes, auram faciebant. Qui verò presbyteri fungebatur officio, ideo verba sanctę oblationis sciebat, quia consuetudo fuit in Ecclesia, vt pueri in Missis ante sacrarium assisterent, primique cum clericis communicarent sanctis Christi Dei nostri venerandisque mysterijs. Quoniam verò quibusdam in locis alta voce consueuerunt presbyteri sancti sacrificij orationes pronunciare, pueri vt propius adstantes sæpius eas audiendo didicerant.

Cùm igitur omnia secundum ecclesiasticam consuetudinem fecissent, priusquam panes frangerent ac communicarent, ignis cęlitus delapsus, quæ proposita erant, consumpsit omnia, saxumque totum combussit, ita vt nihil omnino neque saxi, neque eorum quæ fuerant superposita, relinqueretur. Hoc repentè factum cùm pueri vidissent, in terram omnes prę timore corruerunt, ac diutius semiuiui permanserunt, neque erumpere vocem, neque de terra surgere valentes. Cùm verò non redirent domum hora qua consueuerant reuerti, sed pauidi in pauimento iacerent, exierunt parentes eorum, vt viderent cuius rei gratia consueto legitimo tempore non reuertissent. Egressi autem pueros omnes humi iacētes inuenerunt, neque agnoscentes aliquos, neque loqui se alloquentibus valentes. Parentes itaque semiuiuos eos aspicientes, vnusquisque filium suum assumentes, domum retulerunt, videntesque pueros in huiusmodi excessu diutius durantes, mirabantur nimiùm, causam stuporis eorum omnino ignorantes, donec dies illa & nox tota præterijt. Tunc enim pueri paulatim in se ipsos reuersi cuncta ipsis retulerunt quæ gesta fuerant. Assumentes verò parentes suos, & omnes loci ipsius habitatores, egressi sunt, & locum eis ostenderunt, vestigia quædam elapsi ignis indicantes.

Audien-

Audientes verò quæ facta fuerant,& ipsis indicijs rerum admoniti, in ciuitatem cucurrerunt, cunctaque Episcopo narrauerūt; qui perculsus magnitudine & nouitate miraculi, cum omni clero festinus accurrit, videnſque pueros,& rurſus ab eis quę euenerant audiens,& cęlestis ignis vestigia intuens,pueros quidem omnes continuò in monasterium immisit, locum verò monasterium fecit latissimum, ſupra locum autem ignis ecclesiam construxit, & sanctum erexit altare. Dicebat autem ipſe Dominus Gregorius fidelissimus vir, vnum ſe istorum puerorum aſpexiſſe, eiuſque monasterij vbi miraculum acciderat,Monachum ipſum cognouiſſe. Fiunt Religiosi.

DE AGNO DEI.

§. 7. *Puer ex dæmonis potestate, Agno Dei eripitur.*

IN Treuirensi ditione circa annum 1585.vt ſunt plurimæ illic ſagæ,quædam puerum octo circiter annos natũ ſuis præſtigijs ac carminibus circumuentum,in eas ſedes ſolita erat abducere,vbi per licentiam noctis ac tenebrarum,nefarijs luſibus indulgerent:hic ſuæ quoque puero partes dabantur, vt dum illæ choreas conſertis manibus inter ſe ducerent, is earum ſaltationem tympano proſequeretur:nec modò ludorum erat chorique ſpectator, ſed ſæpe præſtigiarum, quibus illæ humanis corporibus vitiſque nocent.Hunc Archiepiſcopus deductum in aulam custodiri iuſſit, vt Catechiſmo, cuius erat planè rudis, imbueretur: cui cùm Sacerdos noster effigiem cæleſtis Agni de ceruicibus ſuſpendiſſet, noctu adfuit dæmon, grauiterque puerum increpans, quòd tam facilè ſe decipi paſſus eſſet, iuſſit ceram illam, ni vapulare vellet, abijcere. territus puer imperata facit, conti- *Delrio l. 6. Mag. c. 2. ſ. 3. q. 3.*

continuoque dæmon eo quod metuebat amoto, ad muros vrbis eum abripit, nigroque impositum hirco, ad impurissimas sagarũ regiones momento transfert. Qui cùm aliquamdiu inter veneficas latitasset, restituitur. iterum in palatium fracta implicitaque nodis resticulâ, vnde cera illa pendebat. Is puer Archiepiscopi & Ciuitatis petitione in Collegio nostro inclusus, seruatusque, donec doceretur quę ad disciplinam Christianam necessaria, vt cùm postea redisset in aulam, sacramentis religiosè munitus à dęmonum laqueis eriperetur, quod & denique factum.

§. 8. *De alio, eiusdem argumenti.*

Ibidem. ANno subsequente in eadem ditione fuit adolescens rusticus, sed peracri ingenio intra quintumdecimum annum. Hic non semel accesserat ad feralem locum, vbi permisti feminis mares, & ætatis teneræ maioribus, dæmone magistro epulabantur, noctis licentiâ discrimine pudoris extincto. Ipse tamen nondum Deo Deiparæque renunciârat, execrandas nondum precationes fecerat dęmone præeunte: felis tantum cerebrum cùm sumpsisset in cibum, decrescente lunâ sentiebat sibi mẽtem imminui. Vbi Treuirensem ingressus est vrbem, quam nunquam antea viderat, eo nimirum ducente ad supplicium qui duxerat ad maleficium, vti fanaticus deductus est ad ædes Principis, vt seorsim ab alijs certa in domus parte curatus à nostris, dæmonem excuteret. Sed cùm ei nulla à dæmone nocte daretur quies; coniuratisque à quibus diuerberabatur, vel cereâ effigie sacri *Agni*, quam ad collum habebat, auulsâ, Archiepiscopo placuit mitti in Collegium Societatis: nec hîc quidem fuit misero pax, nisi solenni ritu cubiculo expiato. Precium erit quædam ex eis memorare, quæ ab ipso narrabantur; ita enim ipsimet

ipſimet Antiſtiti ille: Cùm exerceretur noſtra comeſſatio, fuit vnus è tua cohorte, qui gloriatus eſt quadam nocte (indicabat enim eam, quę fuiſſet) dormienti tibi potionem peſtiferam ingeſſiſſe, reperto ad te aditu ex occaſione *Agni* Dei, quem iturus cubitum reliqueras imprudenter in menſa; quod ſi paulò capacior fuiſſet calix, mortem non effugiſſes. Certe ipſe Archiepiſcopus dixit, ſe poſt illam noctẽ ita infirmâ fuiſſe valetudine, vt per aliquot dies decumbere cogeretur. Cùm hæc dicens in magna nobilium coronâ non faceret fidem, ad Prǫfectum vrbis; Quin & te, inquit, noſtrę Lamię bis inuaſerunt, ſed ab ea pixidulâ, quam fers continenter, vbi ſunt imagines binæ, & neſcio quid conſecratum (*Agnum Dei* intelligebat) ſunt à conatu repulſæ. De harum rerum geſtatione confeſſus eſt Præfectus.

§. 9. *Puer dæmonis infeſtatione liberatur.*

IN Aquitania puerulum malus dæmon turpiſſime felis ſpecie illudebat, interdumque ei prope in faciem inſiliebat. hic ſacri *Agni* aſſumptâ cerâ, ea infeſtatione eſt liberatus. *Ex literis Socie. anni 1594. Col. Toloſano.*

§. 10. *Puer à febribus non ſemel conualeſcit.*

FRater domeſtici adiutor operis, dum per vrbem quæ ſui muneris ſunt, obiret, quadrimum puerum videt diuturnâ febre iam propè ad extremam tabem adactum. Miſeratus fœdam teneri corpuſculi vexationẽ, ſacram ei *Agni* bullam appendit e collo: eo cęleſti amuleto ita depulſa febris eſt, vt nullam ei, quamdiu illud retinuit, moleſtiam exhiberet. Verùm cùm non multò poſt in paterna villa eſſet, quidam è familiaribus dum puero blanditur, ſacram ei bullam, vt ſibi applicaret, e collo detraxit; ſtatim febris redit. Perculſa mater nutricis accuſat negligentiam, quaſi ipſius culpâ puer in morbum recidiſſet. Mirata *Ex lit. Soc. prou. Aquitaniæ domus Prob. Toloſanæ ann. 1596.*

rata nutrix quid id esset, dum puerum amanter fouet, animaduertit bullam abesse morbi expultricem, quâ restitutâ, restituta est etiam puero valetudo.

§. 11. *Puer sacro Agni Dei amuleto à raptu vindicatur.*

Franciscus Bencius in literis Soc. prou. Siciliẽ, Coll. Calataieronensi. ann. 1589.

PVer quidam per singulas noctes auferebatur e latere patris, raptusque per gradus, ad limen ianuę parentem eiulatu excitabat; & multa quidẽ fiebant, dicebanturq; maleficio auertendo: sed tamen ad solitam prædam nocturnus latro aduentabat. Ad Patres Societ. postremò itum est, qui cùm sacratam in cera effigiem *Agni* cęlestis, orbiculosque piaculares ad pueri collum adalligassent, & vexatione illum, & patrem solicitudine liberarunt.

§. 12. *Alius erratico furore.*

Idem eodẽ anno prou. Germaniæ superioris, Coll. Oenipontano.

FVriæ nescio quæ sic puerum inuaserant, vt desertos per locos, syluasque deerraret lymphatico discursu. is cùm vi adductus ad nostros esset, animaduersum est habere schedulas, in quibus notæ non intellectę, & monstrosa nomina descripta: illis sublatis, sacer *Agnus* collo appensus puerum furore liberauit.

§. 13. *Alijs alij liberati molestijs.*

Ex lit. Soc. an. 1586. de Residentia Aulæ Regiæ. Prouinc. Lugdunens. Coll. Cãberiens. ann. 1587.

IN Polonia puer detestabili morbo caducus, sanatus est consecratâ cerâ, cum *Agni* cælestis imagine ad collum appensâ.

Matrifalius ægrotanti, nullamque partem quietis nocte capiẽti sacrum Dei *Agnum* e cera, quem quasi soporiferum obtulerat, cùm videret sperni, clàm subiecit capiti, bono dolo; nam & sequenti nocte successit somnus, & paucis pòst diebus ęgrotæ meliùs factum est.

DE AQVA LVSTRALI.

§. 14. *Aqua benedicta S. Ioan. Chrysostomus reddit sanum matri filium.*

Illustri cuidam mulieri Antiochiæ nomen erat Euclia, ei verò erat dilectus filius, qui ardenti febre laborabat, & veniebat in mortis periculum. Quid igitur? mater imitatur Chananæam, & non minus quàm filius suis inflammata visceribus accedit ad beatum, emittens voces illi similes, & non similiter, vt illa in filia, sed in filio, miserabiliter rogans vt consequeretur misericordiã. Sed oportet cõsiderare quemadmodum egregio illi viro erat animus animas etiã curare, illasque multò magis *&c.* Habebat maximam lamentandi occasionem, vt quæ post quatuor filios iam mortuos ipsum quoque visura esset mori: ille verò cùm spiritu in eo habitante vidisset ea quæ latebant, & cognouisset quod peccata parentum filijs mortem conciliauerant, cùm ea publicè accusasset, Hunc quoque, inquit, quintum, nisi eorum quæ fecistis, vos subierit pœnitentia, videbitis è vestigio mortuum & exanimen. Cùm autem parentes his auditis, veram & sinceram promisissent pœnitentiam, ille misertus calamitatis aquam iubet afferri, quam cùm ter quidem signasset in nomine S. Trinitatis, & ter ea aspersisset illum qui ęgrotabat, sanum & à morbo liberum reddidit ei quæ genuerat.

Metaphr. in vita S. Chrys. 13. Nou. anno Dom. 390.

§. 15. *Aqua benedicta præmuniendi infantes aduersus maleficarum nocumenta.*

In ciuitate Spirensi anno Domini circiter 1484. dum quædam deuota mulier cum quadam suspecta malefica, verba habuisset (iuxta morem muliercularum mutuò rixantium) rixosa, de nocte cùm paruulum lactentem cunis imponere voluis-

Ex Iacobo Sprengero Dominic. Prauit. hæret. Inquis. in Malle. maleficarũ p. 2.

voluiſſet, & mente reuoluens ea quæ de die cum ſuſpecta malefica peregiſſet, timens de periculo pueri, herbas benedictas puero ſuppoſuit, aqua ſimili aſperſit, ſal exorcizatum ori parum immiſit, eumque ſigno Crucis muniuit, & cunabulum diligenter alligauit. Et ecce circa medium noctis vagientem puerum audiuit, & dum iuxta morem, puerum contrectare, & cunabulum in altum prope lectum poſitum mouere voluiſſet, cunabulum quidem mouit, ſed puerum contrectare, quia aberat, nō potuit: tremens paupercula, & de pueri amiſſione vehementer dolens, lumine accenſo, paruulum vagientem ſub lecto, & in angulo ſine læſione reperit.

§. 16. *Aqua luſtrali puer raptu nocturno liberatur.*

Del Rio de Mag. l. 6. c. 2. ſec. 3. q. 3.

IN Mexicana Prouincia ſedes etiam Paſcuaræ Societas noſtra poſuit, ibi circa annum 1587. (vt literis prouinciæ illius accepimus) erat Indæ feminæ puer, quem cunctis noctibus cùm cubaret, eripi ſibi à latere ſentiebat, deinde reponi, quò raperetur ignara: ipſe puer interea vitali ſpiritu in dies egeſto, lenta tabe properabat ad finem. Huic puero ſalutare fuit in ædem ſacram deduci & luſtrali aqua, adhibitis comprecationibus ſacris, adſpergi.

§. 17. *Puer depoſitus aqua luſtrali epota conualeſcit.*

Ex literis Soc. prou. Germania ſup. Coll. Dilingano

HÆretici filiolus pertinaci, & ardenti febre grauabatur. Medici iam eū ſuo auxilio deſtiterant. Audierat à Catholicis pater magnam inesse vim in eius aquæ ſanctificatione. Venit ad templum noſtrum, haurit è ſacra cōcha quantum ſatis eſt, eam ingerit in pultem, quæ adoleſcenti parabatur: quâ epotâ adoleſcēs ita meliùs habere cœpit, vt paucis diebus conualuerit. Quod beneficium

cium vni nostrę aquæ consecratæ acceptum referens pater deprædicare non destitit.

§. 18. *Aqua lustralis vis.*

PVer cùm in prosequenda supplicatione preces recitaret intentior, quàm vt pedem vbi poneret, inspiceret satis, pronus cadens faciem ad terram afflixit. ex eo casu sanguis e naribus, atque in vultu tumor; verùm hic resedit, ille constitit, vno vterque remedio aquę lustralis. *D. Colleg. Caberiens. pro. Lugd. ann. 1537.*

§. 19. *A puero dæmon profligatur aqua lustrali.*

AD S. Bernardum puer triennio grauissimè ab obsidente dæmone tortus, adducitur spe libertatis consequendę. iubet vir sanctus in os obsessi aquam consecratam infundi. Hic primùm contrà niti dæmon, tum labia comprimere, pòst frendere dentibus: sed postquam in os vi apertum aqua infusa est, mox vis maligna erupit, & vomitu sordidissimo cum ingenti contumelia dæmon egressus. *Bernardus Bonaual. in vita S. Bernardi.*

DE SIGNO CRVCIS.

§. 20. *Pollex Eggytha puellulæ, quo crucem formauerat, non putrescit.*

EGgytha filia Edgari Regis Anglorum, virgo sancta in Viltimensi cœnobio iacet, & miracula ostendit. Dũ S. Dunstanus consecraret Ecclesiam S. Dionysij, quam ędificauerat Rex, vidit hanc puellulam pollice dextro frequẽter signum crucis fronti imprimere, & ait: *Nunquam putrescat ille digitus:* & continuò flens, floridam illam rosam citò marcentem futuram prædixit, auemque Deo dilectam euolaturam. Quod post modicum cõtigit, puellâ de sæculo isto subtractâ, de qua S. Dunstanus per visionem vidit, quod S. Dionysius il- *Petrus de Natal lib. 11. c. 70.*

lam per manum tenebat, & Dunſtanum admonebat, vt ipſa virgo à famulis Chriſti ſic honoraretur in terris, ſicut à ſponſo honorabatur in cælis. Eius corpus virgineum in terra ſepultum, dum poſt aliquot menſes altiùs leuaretur, totum in cinerem ſolutum inuentum eſt, prter dexterum pollicem, de quo S. Dunſtanus prædixerat quod nunquam marceret.

§. 21. S. *Conſtantinus ex Iudæo Chriſtianus ſe cruce munit, nec fruſtra.*

Raderus in Viridario Sanctorum. HVic Synnada patria fuit, cuius parentes vmbram legis coluere, ſiquidem Iudæi erant religione. Puer vidit fortè hominem Chriſtianum, qui dum in quandam terræ ſcrobem prolaberetur, ſigno crucis ſe muniebat: cuius puer ſequutus exemplum, & ipſe deinceps crucem ſubinde efformabat, ſacraque tandem Chriſtiana amplexus, ardenti fide proſequutus eſt; vnde vultus illi mirum in modum radiare, & ipſe diuinitus myſteria religionis edoceri cœpit, multoſque dies abſque alimento corporis vllo traduxit. Cùm puella illum Hebræa pudoris extorquendi cauſa inuaderet, illam ſigno crucis repentè exanimauit, rurſumque poſtea ad vitam reuocauit; nube porrò quadam diuina quaſi ducente ad cœnobium venit: hîc cùm præfecto monaſterij ſtatum vitæ exponeret, iubet ille proferri crucem, & ab eo ſalutari: cuius cùm beatus iſte pedem oſculo libaret, tota fronte & brachijs veneranda crux ſeſe in ſanctum pueri verticem ſubmittens, characterem crucis capiti indelibilem impreſſit, quem per omnem poſtea vitam ſeruauit. Dignus ergo baptiſmatis gratiâ iudicatus, ſacris Chriſtianis eſt initiatus, & Conſtantinus dictus.

§. 22. *S. Amandus signo crucis serpentem fugat.*

S. Amando cùm imperatum fuiſſet à Fratribus, vt obedientiæ causâ per inſulam deambularet, fit ei repentè obuiam miræ magnitudinis ſerpens; quo viſo perterritus puer ad orationum confugit auxilia: cùm ergo humi proſtratus aliquantiſper orationi incubuiſſet, ſignum crucis immani opponit ſerpenti, potentique virtute verborum, vt latebras repetat, imperat, qui dicto obediens, abijt, nec deinde eſt ab vllo viſus. *Surius 6. Febr.*

§. 23. *Puer ſagarum ſynagogam diſſipat.*

INter ſtriges Auenionenſes puer captus fuit, qui iudicibus narrabat ſe à patre in Synagogam (ſic conuentum vocant) deductum, & ibi vidiſſe patrari multa nefaria & horrenda, itaque conterritum, muniuiſſe ſe ſignaculo crucis, & dixiſſe, IESV, quid iſtuc rei? ſimulque cum dicto totam turbam diſparuiſſe: & ipſum ſe ſolum ibi deprehendiſſe: poſtridie domum rediſſe, quæ tribus à Synagoga miliaribus aberat, & patrem ad iudices detuliſſe, idque accidit circa annum Chriſti 1581. *Michaël Pneumal. ſchol. 6. ex quo Delrio de Magia l. 2. q. 16.*

§. 24. *Alius cruce formata dæmonem tentatorem detegit, abigitque.*

CIrca annum 1591. Pontimuſſi puer erat nobili magis pollens genere, quàm domo opulentâ: compingitur in aulam, parentum iuſſu, à gymnaſio abſtractus; ſed mobilitate ingenij, cùm recuſaret deſiderium vitæ prioris, ſtatuit inter lixas caloneſque verſari potiùs in caſtris: iter ingreſſo atra viri ſpecies occurrit in ſerica veſte, qui interrogans cauſam triſtitię pollicetur remedium; Verùm vbi te adiuuero, ecquid erit præmij? At puer vt totum (inquit) me excutias, ne teruntium quidem reperias: ſubijcit alter: Da te mihi mo- *Delrio de Magia l 6. c. 2. ſec. 3. q. 3.*

§. 25. *Saga parentum benedictione munitum puerum nequidquam fascinare tentat.*

PVella quædam cum matre Bergomi morabatur, quæ inuenta est Venetijs de nocte, in thalamo sui affinis: quam manè repertam nudam agnitamque, quia cõsobrina erat, cùm interrogassent, quomodo illuc venisset: plorans illa, postquã vestita ab illis fuit, hæc narrauit. Hac nocte cùm in lecto vigilarem, vidi matrem meam, quæ me dormire putabat, surgentem de lecto, exutamque camisia se quodam vnguento, quod ex vasculo assumpsit de lateribus extracto, perungentem corpus, & statim assumpto baculo quodam ibi præparato in modum equitantis ascendens extra fenestram deportata est, & à me non amplius visa: cumque ego quoque de lecto surgens meum, vt mater fecerat, perunxissem corpus, extra fenestram educta, statim in hũc locum deportata sum, vbi matrem huic puero insidiantem vidi: ex quo ego territa cùm matrem etiam ob meum aduentum conturbatam vidissem, nomen Domini IESV & B. Virginis inuocaui, & ex tunc ampliùs matrem non vidi, & ego hìc sola nudaque remãsi. Hęc omnia cùm audisset à puella affinis, scripsit ad Inquisitorem Bergomensem, à quo mater capta, & tormentis exposita, confessa est, & addidit se à dęmone plusquam quinquagesies deportatam, vt puerum illum prædicti affinis occideret; sed tamen non potuisse, eò quòd semper puerum signo crucis & sanctis orationibus parentum munitum inuenerit.

Petr. Binsfeldius suffraganeus Treuirensis tractatu de confession. maleficarũ ex Bartholomæo Spineo q. de strigibus, c. 18.

§, 27. *S. Dunstanus puer dæmonis terriculamenta fugat.*

DVnstanus cùm ad reddendas Deo gratias pro valetudine sibi diuinitus restituta ad

Surius 19. Maij.

templum impiger tenderet, eius pietati dæmon inuidens, eum vt à proposito auerteret simulato teterrimo canum globo, immani latratu & terrifico impetu in eum irruit. Ille ratus id quod erat, nihil eiusmodi terriculamentis motus inuocato nomine IESV, signo sanctę CRVCIS armatus, virgulam, quæ fortè iacebat in via, contra malignorum canum incursus vibrat, & sicut ventus fumum, omnes à facie sua fugat.

§. 27. *Crucis signum Lycanthropi insidias arcet.*

Vide 1. parte c. 17.

VNus è Leodiensibus illis Lycanthropis (de quibus suprà) tres ipsos annos cuidam puero insidias posuerat, sed crucis signo, quod pia mater filio mane quotidie impresserat, arcebatur: cùm aliquando per obliuionem eam consuetudinem prætermisisset mater, aduolat ille ad prędam ore hauriendam ocyùs: & iam spe hauserat, cùm puer impactâ in lupi rictum falce, quam tum fortè in manu habebat (addiderat periculi timor animos) pene nares abstulerat: redditus humanæ formæ Lycanthropus propemodū denasatus apparuit, eiusque fœdæ notæ etiam tum cùm ad fatale mortis theatrum procederet, cicatricem ostentabat.

§. 28. *Puer signo crucis dæmonem expellit.*

Brochard. in Martyr. histor. vol. 2. ætate 6.

TEmpore Philippi & Othonis Imperatorum, Salabiæ ciuitate Anglię dæmon improbi cuiusdam Aduocati extincti corpus induerat, & trium mensium spatio cunctos infestabat: sed ad extremum hac sua possessione excedere iussus est à puero quodam, qui expresso salutiferæ Crucis signo eum ad Orcum remisit, patriam metu atque infęstatione liberauit.

§. 29. *Puer scholaris dæmonem à puella exire compellit.*

QViddam valde memorabile, certissima relatione ab his qui præsentes aderãt, & viderat, in Machlinia oppido Brabantiæ percepimus accidisse. Puella quædã sacro die dominico cum iuuenibus chorizauerat diu valde: fatigata ergo domũ tandem rediјt. Nec mora, dormitum pergens, dæmone fit repleta; qua clamante, surgit familia, ligant vinculis sæuientem. mane in Hanswyck ad oratorium gloriosæ Virginis extra oppidum deportatur: frequenter enim ibidem MARIA virtutum operatrix miracula plurima demonstrauit. Quod vbi scholares pueri perceperunt, ad locum, vbi vexabatur puella, in oratoriũ cucurrerunt, quorum vnus annorum ferme duodecim audacior ceteris atque sagacior, cœpit compellere & adiurare dæmonium vt corpus obsessum desereret, & exiret. Nec mora, vbi dæmon circa vmbilicum per tumorem se esse monstrauit, dictus puer Crucem cum pollice in contrarium fixit, & sic paulatim per Crucem versus os ascendere compulit, donec eum in speciem hirsuti vermis, omnis populus intra hiatum oris hærentem vidit. Quo, miro conatu, ad inferiora redire volente, clamauit populus; puer autem instanter signum salutis opposuit, & cum maxima violentia dæmonem exire coëgit. Eiectum ergo, vt diximus, in modum hirsuti vermis, puer audaciter dextera comprehẽdit, & in fossam paruulam, vbi pluuialis vnda consederat, mox proiecit. Qui statim in oculis totiùs plebis disparens, lætitiæ & laudis omnibus materiam dereliquit. Proinde manus pueri à contactu vermis nigredine infecta remansit: sed protinus aquæ benedictæ leuamento discessit.

Thomas à Cantipr. l. 2. c. 6 § 4

§. 30. An-

§. 30. *Antonius puer Neophytus impostorum artes Crucis signo superat.*

APud Sinenses, anni redeuntis initio, omne genus profanorum sacerdotum id conabātur, vt varijs artibus aliquam prodigij speciem adumbrarent: nam vniuersi per eos dies, immo noctes, per idolorum templa vel religionis vel nouitatis causa solent cursitare. In cœnobio nescio quo lucernam eo artificio concinnarunt, vt extingui vix posset; sed ita tamen extinguebatur, vt ipsa nullius adminiculo recens conciperet incendium. ad eam rem visendam inter ceteros accessit Neophytus cum suis coëtaneis studiorum Sinensium discipulis, Antonius is dicebatur: coëtanei eius Ethnici erant, qui eum in hunc modum compellârunt: Age verò videndum est hodie nobis, num in ea quam profiteris lege, præsidij sit satis ad hanc lucernam extinguendam: prouocatus puer non abnuit certamen. Ergo signo Crucis sese munit, & nullo propè conatu eam extinguebat, sed quòd iterum sua sponte arderet, risu excipiebatur. Fidem igitur suam excitans, & denuo signum Crucis exprimens eam ita extinguit, vt nullius ope postea accendi potuerit; quod omnes prodigij loco habuere.

Ecce quid mirum in fidei confirmation.

§. 31. *Nouitius omissâ benedictione, caulis folium comedens dæmonem deglutit.*

Ioa. Nider l. 3. Formicarij c. 1.

VEnerabilis Fratris Henrici Baltysensis Professoris sacrę paginæ, nostri ordinis, & Inquisitoris relatione percepi, & alterius Fratris Arnoldi nostri pręfati ordinis, qui infrà scriptis interfuit, quod nuper in Buscoducensi Conuentu iuuenis, habens 13. annos circiter, fuit, qui per eiusdem ordinis habitū & doctrinam ad profitēdū suo tempore disponebatur per parētes. Hic, vt postmodum retulit, hortum Conuentus intrauit, in

in folio caulium albedinem quandã vidit, & nullâ benedictione præmissâ, delectatione victus folium abscidit, auideque comedit, ac dæmonem quendam pessimum ignoranter deglutiuit. Possessus igitur, gestus quosdam cœpit habere deuotos in orationibus, rapi eum fratres videbant, & priuari omnibus exterioribus sensibus corporis, quibus restitutis, loquebatur tamen bonum latinũ, quod priùs nesciuit. Corde tenus proferebat multos bibliæ passus, qui eum priùs latebant: Gallicam linguam expressit, quam nunquam didicit: se in cælo mirabilia vidisse asseruit, reuelationesq́ue quasdam exprimendo, mirabilia dicere præsumpsit, *&c.* Allatum ei fuit diuinissimum Eucharistiæ sacramentum, & in horrore, quem obsessus habuit, manifestam dęmonis agnouerunt pręsentiam. Dum autem eum exorcizauit bonæ memorię vir frater Arnoldus, dæmonem loqui arctauit, causas ingreſsûs dicere, & corpus miseri dimittere coëgit; & manifestissimo dato signo tandem exiuit.

DE ALIIS RITIBVS, ET REBVS SACRIS.

§. 32. *Infans lecto S. Ioannis Euangelio item conualescit.*

INfans languidus à matre delatus ad ecclesiam, repente exanimari visus est; ad opem ferendam aduocatur curio: hęret ille, & commodùm Societatis nostræ sacerdos ex Missione ibi versabatur, qui statim accurrens, collo iniectâ stolâ infantem lustrali aspergit aquâ; ac super illo S. Ioannis recitat euangelium, statimq́ue summa cum omnium admiratione pristino recepto vigore, conualuit. Eo facto & alij multi diuinam laudauere bonitatem, & mulier hæresi, ac vitæ turpitudine

Sebastian. Beretarius in lit. Soc. ann. 1594. prou. Lugdun. Coll. Turonensi.

dine famosa resipuit, factaque totius vitę confessione, se & ad Catholicam fidem, & ad honestius retulit vitę genus.

§. 33. Puella dæmoni deuota, exorcismis sanatur.

Sebastian. Beretarius in lit. Soc. anni 1596. prou. Rhenäch. Coll. Monaster.

PVella erat in vrbe Monasteriensi octennis, cui panem poscenti biliosa mater, contra Euangelicum paradigma, pro pane diabolum imprecata est. obsequitur deuotioni malus: confestim puellam occupat: eique læuum crus intolerando comprimit dolore, vt illo niti sine acerbissimó cruciatu non posset. res erat in oculis totius ciuitatis. quare rogauit nos quidam è Cleri primoribus, tentaremus si qua ratione eo malo puella liberari posset. defertur ipsa ad templum: offertur eius rei causa salutarę sacrificium, sanctorũ preces inuocantur, adhibentur exorcismi: haud ita multo interiecto tempore malo sathana puella liberatur, & quæ cũ suo cruciatu per alienas manus ad tẽplũ allata erat, omnis doloris expers, Dei beneficio suis pedibus domũ regreditur.

§. 34. Puella cruce ex collo appensa sanatur.

Ex lit. Soc. prou. German. sup anni 1586.

IN pago quodam prope Ingolstadium, puella quędam in catechismi certamine victrix æqualium paruulam cum accepisset ex ære crucem præmij loco, eamque sibi quasi Niceterium appendisset ad collum, trimestri febre dicitur liberata.

§. 35. Sacræ reliquiæ puerum ex graui casu restituunt.

Bozius de signis Eccl. l. 5. c. 2.

IN Cusu contigit, vt quidam puer annorum circiter 12. è templi culmine deiectus ab alio, sex dies absque vllo sensu permanserit: Sacerdos è Societate IESV eò concedens reliquias quasdam

dam sanctorum ad collum pueri appendit, & continuò reuixit: id euenit anno 1583.

§. 36. *De puero vi panis benedicti à dæmone liberato.*

CVm fama in omnem partem peruasisset, Pachomium Abbatem multa in nomine Christi agere miracula, quidam filium suum, qui immanem habebat dæmonem, quotidie lugens, cùm eum non posset ad Sanctum deducere, venit ipse genu flectẽs, & rogans, vt panem benediceret, vt tempore vescendi, eum comedendum præberet laboranti. Ei itaque esurienti panem pater obtulit. Dæmon autem id sentiens, non permisit ei vt ipsum gustaret, nec vt tangeret, sed cùm multa alia accepisset, expleuit appetitum. Rursus ergo pater eius cùm hunc panem accepisset, & minutatim fregisset, cum minutissimis partibus casei, iniecit fragmenta in medium dactylorum, eaque sola ei apposuit, vt actum ignorans acciperet benedictionem. Ipse autem rursus ea aperiẽs, & humi iecit fragmenta, & dactylos abhorrens reliquit, volens nihil omnino gustare. Cùm ergo pater eum multis diebus reliquisset ieiunum, nihil aliud præter hunc panem reliquit in eius potestate. Is verò fame oppressus ex eo sumpsit; & cùm primùm fuisset refectus, dormijt, & recessit ab eo malus spiritus.


§. 37. *Puer oleo, & pane benedicto, additâ insuper Eucharistiâ sanatur.*

EST oppidum quoddam nomine Zala, ipsi metropoli Amaseæ propinquum. Quidam inde profecti quadrimum puerum ad sanctum virum Eutychium adduxerunt. Hic nihil aliud nisi ex matris vbere nutrimenti paululum capiebat: erat autem prope carnis & corporis expers, neque calorem vllum habebat; sed tanquam spica vento cor-

Baron. to. 7 anno Christi 564.


to corrupta, quæ nondum creuerit, exilem quandam, & inanem granorum & ariſtarum ſpeciem habet:ſic & ille puer videbatur. potuiſſes autem omnes ipſius coſtas,neruos,&oſſa numerare. Hũc vir Dei magnus cùm adſpexiſſet ſic exſiccatum, & parentes ipſius dolore tabeſcentes,Dei(qui ea quę non ſunt, facit vt ſint) implorans auxilium, totum pueri corpus inunxit oleo pretioſo, & ſanctam communionem impertiuit:cumque panem communem benedixiſſet,parentibus dedit,prçcepitque, vt mero panem illum intingerent, puero-que præberent.Quod illi cùm feciſſent,voti compotes facti ſunt.

De pueris Euchariſtiam adeuntibus vide c. 19.
Vide de ſigno Crucis p. 3. c. 14. §. 4. S. Iulianus crucem facit naſcens. p. 1. c. 5. §. 19.



CAPVT XXI.

MONITA PVERORVM SALVBRIA. ITEM DE IIS *qui parentes conuerterunt.*



NVSITATVM omnino ac planè nouum videatur, vt qui recta morum inſtitutione propter ætatem indigere maximè videantur, ij virtutum magiſtri, morum, vitæque ſanctioris auctores ſint: quibus nulla vel exigua rerum exercitatio annorum penuriâ acceſſit, ſalutis animorumque medici proponantur, & quos doceri meliùs decuiſſet, docere, quos ſubſequi, præire;

quos

quos præsentibus parentibus tacere, loqui, hortari, suadere ac persuadere etiam conspiciamus. Verùm *Digitus Dei est hic* : non eget corporis mole, non canitie calor ille cęlestis, vt senes prudentiam doceat. *Exod.* 8.

§. 1. *De Samuele.*

SAmuel puer paruulus Heli nonagenarium reprehendit, quòd suos filios plusquam Deum honoraret. 1. *Reg.* 3.

§. 2. *De Hieremia.*

HIeremias populum Iudaicum puer liberè corripiens, sapientissimi cuiusdam senis munus exercuit. Erat verò cùm id muneris à Deo accepit, annorum 14. vel 15. vt testatur Christoph. à Castro noster.

§. 3. Danielis de senibus iudicium.

CVm duceretur ad mortem (Susanna) suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel, & exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum dixit: Quis est iste sermo, quem tu locutus es? Qui cùm staret in medio eorum, ait: Sic fatui filij Israël, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, cōdemnastis filiam Israël? reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam. Reuersus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis: & dixit ad eos Daniel: Separate illos ab inuicem procul, & diiudicabo eos. Cùm ergo diuisi essent alter ab altero, vocauit vnum de eis, & dixit ad eum: Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris priùs, iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens & dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem & iustum non interficies. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes

Dan. c. 13.

Erat tum Daniel annorum 12. tantum, vt inquit S. Igna. infra

quentes sibi? qui ait, sub Schyno. Dixit autem Daniel: Rectè mentitus es in caput tuum, ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium: & amoto eo iussit venire alium, & dixit ei: Semen Chanaam & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis: sed non filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram. Nūc ergo dic mihi, sub quā arbore comprehenderis eos loquentes sibi? qui ait: Sub pruno. Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum, manet enim Angelus Domini, gladium habens vt secet te medium, & interficiat vos. Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui saluat sperantes in se. Et consurrexerūt aduersus duos Presbyteros (conuicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis sicut malè egerant aduersus proximam, vt facerent secundum legem Moysi, & interfecerunt eos.

S. Ignatius Epist 6 ad Magnesianos, & Seuerus Sulpitius l. 2. Non omnes annosi (inquit S. Ignatius) sapientes continuò sunt, nec senes intelligentiam possidēt, sed spiritus qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens, cùm duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat, & senes frustra canos ferentes, calumniatores, & alienæ formæ appetentes esse coarguit.

§. 4. *De puero IESV.*

Luc. 2. INuentus tandem à parentibus inter doctores IESVS, piè sollicitis respondit: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quo quidē vocis oraculo docet vnūquemque, pluris faciendū esse Deū quàm parentes. *Amandus est genitor; sed præponēdus est Creator.*

§. 5. *S. Catharina Senen. matrem increpantem prudenter instruit.*

Surius 29. Apr. DEcem erat annorum Catharina, cùm mater illam misit ad parochum, vt missæ sacrificium

ficium Deo in honorem S. Antonij offerret, deditque ei nummos & cereos, quos in altari collocaret. Paruit Catharina, eoque libentiùs, quòd hæc Dei honorem attingerent, nec ante domum rediјt, quàm peractum esset sacrificium. Verùm longa mora matri displicuit, quam vt corrigeret, Maledictæ sint, inquit, linguæ (is enim erat istic loquendi mos) quę te nunquã reditura asserebãt. Cõticuit puella sapiens; & paulò pòst, illã seorsum ducens, cum multa maturitate & modestia: Domina mater, inquit, si me quandoque videris tua iussa negligentem, cædas me virgis, quantum visum erit: id enim æquum; sed quæso ne propter meas culpas cuiquam vnquam maledixeris; id enim tuam dedecet grandęuitatem, & me summo mærore afficit. Demirans mater filiolæ sapientis admonitionem, rem marito, Deo gratias retulit.

§. 6. *Achas parentes grauiter admonet.*

Patrem iurantem Achas, vel leuem in gestibus, vel ebriosum, si quando videret, eum non sine lacrymis arguebat in hunc ferè modum: Pater carissime, nunquid Presbyter noster pro concione dixit, quod, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt?* Matrem quoque, cùm solenni die rubicundis & scarleticis vestibus vteretur, cum graui mœrore coram omnibus in templo corripuit, digitoque imaginem pietatis designans, Intuere mater, intuere, inquit, & vide Dominum ac Seruatorem nostrum, nudum in cruce pendentem, sanguine rubricatum, & tu te in contumeliam eius, vestibus scarleticis adornasti? caue mater, caue carissima, ne pro rubore vestium pœnas ignis incurras sempiterni. Nec mòra: mater verba filij non parum exhòrrescens, vestes deposuit, nec eis vt deinceps vteretur, potuit vnquam adduci. Tantum denique pueri, non iam pueri, apud

Thomas à Cantipr. l. 2. c. 28 & alij.

Ad Gal. 5.

parentes valuit oratio! tantum in tenero corpusculo senilis effecit maturitas! vt eo post biennium defuncto, postquam de sæculo deserendo seriò secum cogitasset, vterque religiosum ordinem sint ingressi; ille Prædicatorum, hæc Cistertiensium.

§. 7. *Puer Achas pueros instruit, exhortatur.*

Thomas à Cantiprat. l.2.c.28.

IN platea puer Achas sedens pueros vicinorum diebus solennibus conuocabat, & eos, si disiuncti essent in moribus, si superbi, si ornati vestibus, arguebat; pœnas inferni sceleribus proponebat: ingenuis verò cęlorum gloriam promittebat. Interdum docebat eos orationem Dominicam, & salutationem Angelicã, & ad has pueri exhortationes senes etiam ipsi cum iunioribus concurrebant, & eius discendi suauitate ac prudentiâ mirificè pascebantur.

§. 8. *Pueri cuiusdam zelus animarum.*

Ludouicus Froes epist. 14. Indic. ann. 1560.

PVerum hîc Goæ baptizauimus octo, vel (vt summum) nouem annorum, cuius acrimoniam ingenij fratres considerantes, hortati sunt, vt vicinos pueros ad baptisma induceret. quæ res vsque adeo illi cordi fuit, vt ex ædibus sedulò obseruaret, si quis puer ethnicus esset præteriturus, cuius in complexum statim occurrẽs, quibus potuit verborum blanditijs affatus, fidem conabatur persuadere Christianam: ac non ita multò interiecto tempore, lætos ac gaudentes ad nos deduxit. Meliori inde desiderio flagrans, & suarum virium iam oblitus, non circa pueros tantùm laborabat, verùm & adolescentes sollicitabat, & eis quàm poterat artificiosissimè persuadere conabatur, vt Christianam religionem sequerentur; quos, si benignis verbis nón acquiescerent, multa manu aliorumque implorato auxilio, vi quadam moliebatur efficere Christianos. Duo trésve alij

pueri consobrini plus minusve vndecim annorũ, apud nos operam nauantes, hoc susceperant negotij, vt alios pueros ethnicos ad fidem traducerent. quos ex parte parsuasos in paternas domos secum abducunt, & cibos Christianorum offerunt, ac tam diu de Diuinis rebus apud illos verba faciunt, donec persuadeant; & iam ad triginta in nostrum Collegium deduxerunt baptizandos.

§. 9. *B. Ioannes pueros puer sibi inuicem conciliat.*

B. Ioannes Sahagonius, si quãdo interesset puerilibus coëtaneorũ lusibus, (quibus alioquin rarò se admiscebat) vbi dissidij alicuius aut rixarum suboriri quippiam cerneret, interponebat se quamprimùm, efficiebatque verborum lenitate, atque adeo authoritate, vt dextram dextræ implicarent in amicitiæ restauratæ symbolum, cauerentque de cetero, ne ad lites vnquam venirent. Qua quidem admonendi ratione maximam sui apud pueros concitauit existimationem, adeoque vt sæpissime ex tumulo, transuerso innixum fulcro, nõn ingeniosè minùs quàm grauiter, velut è suggestu dicentem audirent.

F. Georg. Maigret Doctor Louaniens. in eius vitæ c. 3 Iuit B. Ioan. ordinis Eremit. S. Augustini.

§. 10. *B. Aloysij ad filium Regis apophthegma.*

Aloysius ad Ephebum honorarium allectus, Iacobo Principi Regis Catholici Philippi II. filio, Philippi III. qui hodie regnat, fratri natu maiori ministrabat annoru quatuordecim, cùm Iacobum Principem etiam tum paruulum è fenestra prospectãtem ventus vehementiori flatu incessebat. cui ille puerıliter indignabũdus: *Heus, vente*, inquit, *impero tibi, vt molestiam mihi exhibere desinas.* Tum Aloysius, qui proximus adstabat, opportunitate vsus, Potes, inquit, domine, homines tuis dictis obedientes nancisci, in elementa autem solius Dei imperium est; cui & te parere

Virgilius Caparius l. 1. c. 7. vitæ ipsius.

 oportet.

oportet. Rex vti de omnibus filij rebus solebat, ita de hoc quoque apophthegmate certior factus, in loco & prudenter dictum esse iudicauit.

§. 11. *Pueri admonitio salutaris.*

Ex literis P. Francis. Vaez ex Insulis Phil. ann 1501. missis.

PVer Ecclesiæ cantor, cùm ab Hispano quodam solicitaretur ad designandum facinus parum honestum, respondit: Domine, probe noui quo remedio tentationem illam tuam pellere debeas: Recitemus vnà Rosarium in honorem Beatissimæ Virginis MARIÆ, & extemplo omnes prauæ cogitationes in fumum euanescent. Sic à recenti Christiano institutus est is, qui iure aliorum debebat esse magister & doctor.

§. 12. *Puer peierantem compescit.*

Ex lit. Soc. ann. 1598.

EX Conimbricensibus pueris Christiana rudimenta doctis, incidit vnus, abiens à Gymnasio, in satellitem vociferantem, & securi sua terribilem: is dum rixatur temere peierando diuos vsurpat: memor puer disciplinæ genua flectit, & continens armatum: Cur tu, inquit, ita iurabis? satius est nominis IESV meminisse te, & linguam à peierando coërcebis. Contuitus puerum primò ferox, mox sedente bile, nummum expromit, & suo gratias agit monitori. Ille, Pietatem, inquit, non vendo pecunia, nec tu emeris: arripe consilium non iurandi, & probè satisfeceris. Vtrumque laude dignum quis negauerit? puer certabat cum satellite armato, & armatus fasces & securim ante bene monentis pueri pedes deponebat.

§. 13. *Præcedenti non absimile.*

Ex lit. Soc. ann. 1584. pro. Lusit.

OLysippone Catechismus in maximo puerorum virorumque grege, non in templis tantùm, sed in vicis triuijsque traditur: quanta cum vtilitate, vel puerorum educatio testatur. Ex his

vnus,

vnus, cùm audiſſet virum iam ætate prouectum iuſiurandum temere vſurpantem, propere accurrit, flexiſque genibus; Per Deum, inquit, ne poſthac iurato. nec enim illud leue peccatum eſt. Vir rubore ſuffuſus abeuntem reuocat puerum, & quod ei nomen eſſet, & quibus natus parentibus ſciſcitatus, cùm ea puer nihil referre dixiſſet, Non tu, inquit, puer es, ſed Dei Angelus, qui tam ſalutare dediſti conſilium: atque ſic habeto, me non commiſſurum in poſterum, vt mihi excidat iuſiurandum.

§. 14. *Puer furibundum demulcet.*

FVit in Bœtica puer ex illorum numero qui alphabetica diſcunt elementa. Is fortè rixæ interfuit; quam grauiſſimam inter duos licentioſæ vitæ homines, leuiſſima (vt fieri ſolet) cauſa ſuſcitarat. Et quidem alter alterum, diſtricto enſe, faciendæ cædis animo perſequebantur. At bene conſtitutus puer flectit genua coram amente illo gladiatore, verbiſque huiuſmodi lenire tentat: Cur te amice pernicioſâ iſtâ perdis iracundiâ? Cur vltionem paras tibi quàm aduerſario peiorem? Etenim qui virum interficit, proprium animum morte miſerabiliore mulctat. Age ergo Chriſtianè, & à tanto ſcelere pedem retrahe, manuſque contine, cuius te è veſtigio pœnitebit. Pueruli verbis placatus homo reſtitit, fugienti parcit inimico, cœlitus miſſum puerum exiſtimat, quem homo tollens oſculatur, agnitoque errore, quò ſe bilis inſana præcipitem ferret, & in quas dæmonum fauces inciderat, niſi diuina illum pueri vox retardauiſſet, ingenuè confitetur.

Ex lit. Soc. P. Bonifac.

§. 15. *Pueri paſſim errata reprehendunt.*

DIci non poteſt quanto vel Gaſparis Belgæ gaudio, vel ciuium Armuzianorum approbatione,

Nicol. Trigautius in vita Gaſparis l. 2. c. 5.

batione, vel Dei gloria parentes à filijs suis ad saniora salutis consilia adducebātur. Nam Gaspar, quæ ab omnib. damnari vellet, artificiosè puerili suffragio, calculoq; dānabat, quę cuperet emēdari, pueris, vt admonerent, vel deferrent, imperabat. Itaque ne domus quidē ipsa satis patrifamiliâs tuta erat ad peccandum, qui filium haberet vel admonitorem, vel etiam delatorem: cuius rei acerbitatem ipsa puerilis ętas, patrisq́ue facilitas molliebat.

§. 16. *Infans hæretica matri Missam inclamat.*

Osorius to. 4 cōcio. de Missæ sacrificio ex lit. Socie. prou. Franc, anni 1583.

IN Biturica infantulus erat tenerrimus in matris hæreticæ brachijs vbera sugens, qui clara voce clamauit: *Missam, Missam*: eamq́ue rem admirata mater hæretica puerum ad Catholicorum tēplum detulit, & concioni, quę habebatur, interfuit, & mox reiecta hæresi fidē Catholicam suscepit. Verè, *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.*

Psal. 8.

§. 17. *Puer matrem baptizari curat, eiusq́ue funus latus prosequitur.*

Ex lit. Soc. prou India Oriēt. Colleg. Salset. 1 5

PVer quidam annos natus quatuordecim in Collegio Goensi olim nostrorum disciplinâ institutus, ad matrem seruitute eximendam clam omnibus in Maurorum regionem profectus, paucis pòst diebus eam in patriam perduxit: vbi cùm anus in grauem morbum incidisset, filius Christianis pręceptionibus (gentilis enim erat) instituit, vnumq́ue de nostris accersiuit, qui eam baptizaret; quæ baptismo suscepto, postero die vita functa est, matrisq́ue funus secutus est non lacrymans, vt ceteri, sed Dei Optim. Maxim. in matrem misericordiam pietatemq́ue prædicans.

§. 18. *Puer*

§. 18. *Puer parentes ad baptismum adducit.*

PVerulus quidam nondum ad cœtum Christianorum adiunctus adijt Gasparem Vilela baptismum magnopere efflagitans; quem Gaspar id ætatis puerulum patre Ethnico, cùm priùs perdiscere iuberet doctrinæ Christianæ capita; respondit ille, nequaquam se inde abiturum, quoad baptismo lustratus esset. Denique domum ad suos regressus, ita efficacibus apud parentes monitis egit, vt patrem matremque, fratres ac sorores ad baptismum adduxerit. *Maffeius l. 2. epis. Ind.*

§. 19. *Puer decennis parentes conuertit.*

CVm iter haberem (inquit Pater quidam) idque circiter annum 1596. ab vno propugnaculo ad aliud, multi Christiani ad excipiendum me obuiam prodiere, & inter eos puer decennis, eques eleganti vestitu, sic vt suspicarer esse filium Præfecti propugnaculi; cumque propiùs mei salutandi causâ accessisset, dixit se esse gentilem, venisse autem rogatum vt possit fieri Christianus. Vt ventum est ad propugnaculum, cognoui parentes eius esse Ethnicos, & colēdis dijs Chami & Fotochi impensè addictos; itaq; dissimulater puero respondi. quod ille aduertens, mox primarios quosque propugnaculi Christianos sibi adsciuit intercessores. sed ego respondi illis; quandoquidem parentes sint gentiles, facile ex eorum indignatione puerum adigi posse ad palinodiam. Itaque puer magno cum dolore à me recessit: verùm ille non conquieuit, sed adiunxit sibi aduocatum filium Toni, eiusque matrem & alios, omniumque tot fuere preces, & sigillatim vxoris Præfecti, ipsiusque Toni, qui in se recipiebant noxam dubij euentûs, vt necesse fuerit post breuem aliquam fidei doctrinam eum admittere ad baptismum. A baptismo petijt à me *Agnum Dei*, sed veritus ne in *Ioã Hayus de Residentia Vosana.*

parentum manus veniret, negaui; ille sua arte & industria postea ab alio Christiano quendam extorsit, & inde se contulit ad oppidum, vbi parẽtes eius habebant suos redditus; ipsisque inscijs fana Chami exussit, & statuas Fotochi comminui mandauit, & in ignem conijci. Parentes rei nouitate vehementer obstupefacti, in puero decenni, percunctati sunt ab eo, sciretne quid egisset, & quàm grauiter deliquisset in Chami & Fotochi. Puer animo admodum tranquillo, iussit eos omni vacuos esse metu, nihil à se mali factum: Fotochi, quos adorarant, esse dęmones, & pro talibus habendos, rogare se vt aurem præbeant Euangelicæ veritati, & baptismum suscipiant. Hæc flilioli concio tam efficax fuit, vt responderint, se euãgelium audituros: cumque puer illis ostenderet *Agnum Dei* obtectum, & è collo suspensum, valde admirati sunt, & ambo subiecerunt: Causâ filij hactenus pepercimus nostris facultatibus: & Bonzijs, vt suos Chami & Fotochi precarẽtur pro illo, annuos redditus attribuimus: Verùm cùm ille nunc sit factus Christianus, cura illa opus non erit. Itaque Bonzijs illico mercedem illam ademere, magno deinceps desiderio anhelãtes ad baptismum, quem paulò pòst sunt consecuti.

§. 20. *Pueri quadrimi responsio prudens, & parentibus salutaris.*

Ioã. Rodriguez Girano in litt. Iapon. anni 1609.

PVer quidam annum ætatis vix quartum attigerat, cùm inuitatis à Bonzo quodam parentibus alioquin Christianis familiari, nõ pro puero se gessit in ea domo, sed senilem quandam prę se tulit prudentiam: oblatam enim orizam à Bonzo cùm repudiasset, quòd eam idolis paulò antè dicatam obseruasset, adiecit: Nescio, inquit, Domine, an perspectum tibi sit me esse Christianum, cui nefas sit vesci dapibus immundis, quæque dijs

tuis

tuis fuerint oblatæ? Quæ responsio & Bonzum confudit, & parentes sanctè pupugit, qui paulò antè eas esse sibi non duxerant religioni.

§. 21. *Puer parentibus est salutis author.*

SPiræ puer vnus puerili quadam morositate, vt parentes hæretici toto Quadragesimæ tempore carnibus abstinerent effecit. Idem matrem induxit, vt nostras conciones audiret. Quòd affirmaret fore, vt æternis inferorũ ignibus addiceretur, ni maturè ad Catholicam fidem reuerteretur.

Ex lit. Soc. prou. Rhenana anno 1581.

§. 22. *Puella superstitiosos ritus detestatur, parentes conuertit.*

PVella quædam octennis, cuius parens cum tota familia erat gentilis, suopte nixtu à Christiano quodam petiuit duci ad Ecclesiam, in quã Pater noster se cum Christianis recipiebat: optabat enim cognoscere ritus eorum, & obseruare quidnam agerent. Christianus ille (quòd pater esset gentilis) operam suam puellę renuit, immo patri eius indicauit: verùm is, vti à natura bonus, impedire noluit pium eius desiderium. Igitur ad templum adducta, cùm visa omnino auditaque comprobasset, aquis salutaribus tincta est. Morabatur id temporis in ijsdem ædibus Bonzius quidam è secta Amydę, puellę consanguineus, qui ritu superstitioso suæ sectæ cum aliquo magnam noctis partem consumeret in pulsanda pelui, & inuocando nomine sui Amydæ; puella sacri baptismi virtute roborata, se illi applicuit, & voce clara ei dixit: Probè nosti patrue, me esse Christianã, & Patres abhorrere ab istis ritibus diabolicis; rogo itaq; vt abstineas ab isto pulsu, & alijs similibus cærimonijs in hac domo: si nolis, hac tãtum nocte licebit: sed vt inde hinc aliò te conferas, nec amplius reuertaris. respondit patruus: Quia tu Christiana es, sonumq́ue istum molestè fers, non pulsa-

Ioã. Hayus in Missione Bungensi.

pulſabimus ampliùs,& mox inde abſceſſit. Parentes verò admiratione eorum quæ à puella fiebant capti, conſilium iniere de imitando eius exemplo:& verbo Dei audito, ambo aquis ſacri baptiſmi capita ſubmiſerunt. ita puella, quæ certas iam didicerat orationes, facta eſt parentum ſuorum magiſtra. Cùm verò poſt menſes paucos Patres eò reuertiſſent, deprehenderunt & Bonzium patruum à puella conuerſum, eumque baptizarunt.

§. 23. *Pueri duo multos ad fidem adducunt.*

Ludouicus Froësiu liter. Iapon. ann. 1592.

PVer quidam gentilis, dum cum alijs pueris Chriſtianis perdiſcendæ artis ſcribendi & legendi causâ ad templum, in quo erat Pater, accedit, ita ad Chriſtianam religionem affici cœpit, vt domum regreſſus, à parentibus ſuis peteret, vt liceret ſibi eſſe Chriſtianum: quod non ſolùm impetrauit, ſed baptizatus author fuit vtrique parenti, vt idem facerent; quorum partim exemplo, partim colloquio permoti duo, conſanguineus alter, alter vicinus, tandem 30.& eo plures, illius pueri beneficio, deſertis idolis, ad verum Deum baptiſmo ſuſcepto conuerſi ſunt.

§. 24. *Puer Quadrimus patri baptiſmum ſuadet.*

Ex lit. Soc. de Philipp. inſulis anno 1596.

PVer in Inſula Ogmus (eſt ex Philippinis vna) viri primarij filius, non plus quatuor natus annos, tam viuido fuit ingenio, tamque in puerili importunitate feſtiuus, vt tantula ætate & infans parenti baptiſmum ſuaſerit.

§. 25. *Cæmentarius à pueris, quibus ſcholas conſtruxerat, conuertitur.*

P. du Iarric hiſt. Indiæ Orient. l. 5. c. 2.

CÆmentarius aliquot quà Goanis, quà Salſetanis erexerat ędes ſacras, cuius ſalutem plurimi ſpectabant vnicè, tum Prorex Indiæ, tum Salſetæ

ſetę Tribunus, Patreſque noſtri; ſed irrita hactenus vota; non procerum aliorúmve ſedulâ quamuis operâ, ſed puerorum ſcilicet monitis conuertendum præuiderat Deus. Poſtquam enim extruxiſſet ſcholas iunioribus erudiendis, pueri, quòd pecuniæ ad ſoluendum deeſſent, Societatis Patres adeunt, enixe rogãt, vt virum illum in mercedem ſalutaribus verbis adiungant Chriſto: Aſſenſere Patres candida ſinceraque puerorum voluntate recreati, iniungere tamen ne quo modo moleſtiùs agant. Accedunt ad Cæmentarium, quibus ſacris, quibúſve ritibus vtatur (vel abutatur potiùs Ethnicorum idololatria) ex illo ſciſcitantur: varias deinde annectunt quæſtiones; hæret ſtupetque Cæmentarius, nec à ſe reſponſum impetrat, ſed annuit ſubinde, & ad Orthodoxam fidem ſeſe pronum aperit. Hi lętabundi parentes ſuos acerſere, inſtare quo Ethnico iteratis ſermonibus fidei Catholicę ardorem ingerant: Probant id puerorum parentes, eò concedunt, virum ad capeſſendam fidem hortantur, donec victas dederit manus. ſub hæc vocatur vnus è noſtris: (Curionem vel templi moderatorem nuncupant.) Patrem vt conſpexit ille; Quonam impellar, inquit, Numine, vix capio; Primores Indiæ crebriùs mihi auctores fuerunt, vt Gentiliſmum exuerem, nec obſecrantibus acquieui, primis autem iuniorum iſtorum congreſſibus ita commotus ſum, vt non aſſentiri non poſſim. Itaque faxo poſthac intelligant omnes, me magis tuendæ Religionis Chriſtianæ, quàm fuerim hactenus paganiſmi, fore ſtudioſum.

Celſus matrem conuertit *p. 3. c. 4. §. 5. Vide etiam p. 3. c. 13. §. 9.*

CAPVT XXII.

PVERORVM IN HÆRETICOS ODIVM; ET *cum eis certamen.*



CELEBRE omnibus satis innotuit Hannibalis adhuc pueri, parentis Amilcaris iussu in Romanorum maius odium initum ante aras sacramentum, quo velut præstitæ religionis stimulo excitatus perenni odio Romanos lacesseret, & terrâ marique continuâ bellorum dimicatione infestaret. cuius initi sacramenti vim Thrasymenus lacus multis Romanorum millibus cęsis testatur; Cannæ Italorum sanguine redundantes meminerunt; Italia suorum ciuium internecione obruta sæpius perhorruit. Puerorum, quos hîc referam, in hæreticos odium, me facilè adduceret, vt non nisi ex pręuio quodam in cunis inito sacramento enatum, & magis magisque cum ętate inueteratum arbitrarer: ea enim animi constantia eos commoueri videas in Ecclesiæ perduelles, qui mendaciorum prętigijs à Christo æternę vitę semina emissa vel ex mentibus humanis eruere ac dissipare, vel contrarijs seminibus occultè dispersis adulterare conaretur, vt non nisi ex inito primis ab annis sacramento tantum odium oriri potuisse videatur. Quorum quidem mens fide firmata longè maiorem meretur laudem, quàm Hannibali decreuit vnquam antiquitas: non enim (vt ille) ad alienorum bonorum expilationem prædámve excitarunt; sed ad auitæ religionis splendorem retinendum induxerunt: non ad infernale barathrum iter maturarunt; sed in cælos rectũ iter adaperuerunt: non humanę societatis iura viola-

violarunt; ſed Diuina humanaque impiorum hominum mendacijs ventilata conſeruarunt.

§. 1. *Puerorum Samoſatenſium in Arianos odium.*

LVdebant Pila in foro pueri, delectationis gratiâ; per forum autem Lucio Vrbis Samoſatæ Epiſcopo Ariano iter faciente, accidit, vt vni elapſa pila per aſini illius pedes pelleretur: tum exclamauerunt pueri, contaminatam eſſe pilam arbitrantes. At ipſe re animaduerſa iubet vnum ex ſequente numero reſiſtere, & recognoſcere quid facerent; ibi pueri igne accenſo, traiecere per flammas pilam, ita credentes luſtrari: nec me fugit factum hoc cùm puerile eſſe, tum de reliquijs rituum priſcorum; facilè tamen hinc coniectura fieri poterit de odio, quo ciuitas illa Arianam factionem proſecuta fuit.

Theodoret. hiſt. li. 4. c. 15. Niceph. li. 11. c. 21. Baron. to. 4 anno Chriſti 370.

§. 2. *S. Petri Martyris cum patruo hæretico congreſſus.*

VErona Petrus fuit oriundus ex parentibus hæreticis, qui hæreſim Manichæorum ſectabantur, ponentium duo principia rerum creatarum; vnum, creatorem inuiſibilium, alterum creatorem viſibilium, ſcil. Diabolum; neſcientes diſtinguere malum culpæ (cuius Deus non eſt author, ſed diabolus ſuggeſtor, & homo vel Angelus patrator) à malo pœnæ: quod in quantum pœna eſt, & iuſta eſt & bona, & Deus eſt eius mali auctor. Cùm autem adhuc puer eſſet ſeptem annorum, & vna dierum à ſcholis rediret, à Patruo, qui hęreſim ſapiebat, quidnam in ſcholis didicerit, percunctatur. Qui reſpondit ſe didiciſſe: *Credo in vnum Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium.* Et patruus; Noli, inquit, fili, dicere: *Creatorem cæli & terræ*, quia ipſe iſta viſibilia, vbi ſunt tot defectus,

Antoninus 3. p. hiſtor. tit. 23. c. 6 §. 2. Thom. Lëtinus Patriarcha Hier. in eius vita apud Sur.

fectus, non creauit, sed diabolus. Et puerulus, se potiùs velle dicere sicut didicerat in scholis, & se potiùs quod scriptum erat, continuare, asseruit. Tunc ille Patruus cœpit per rationes hoc ei suadere, prout poterat, quas omnes puer Spiritu sancto plenus, sic contra eum conuertit, vt eum proprio gladio rationum interemerit, errorémque eius coufutârit, ita vt ille quò diuerteret, non haberet. Qui indigne ferens se à puero confusum, quæ gesta erant inter eum & puerum, patri significauit, & vt Petrum omnino à scholis remoueret, suasit: Timeo enim, ait, ne Petrus, quando fuerit eruditus, ad meretricem illam se conferat, & sic fidem nostram destruat, & confundat. Qui nesciens (vt alter Caiphas) verum dixit, dum Petrum destructurum perfidiam hæreticorum prenunciauit. Sed quia res à Deo fiebat, pater fratris monitis assensum non dedit, sperans quod per aliquem hæresiarcham ad suam sectam cum trahi faceret, cùm fuerit in Grammaticalibus eruditus. Martyrio coronatus est anno 1252. & anno insequenti relatus in numerum Sanctorum ab Innocentio IIII.

§. 3. *Duæ apud Hollandos puellæ.*

Ex literis Soc. 1598.

VXori cuiusdam sectarij acerrimi fixum ratumque cum prolibus potiùs mendicato viuere, viro, parentibus, amicis in se bacchantibus, quàm Dei religionísve iura violare, aut à promouenda pietate desistere. Paruulæ ei sunt filiæ duæ; tertia viro data est: hæc in aduersis forti animo pro religione perferendis, si matrem non vincit, certè exequat. Maior è paruulis ornatum corporis docta spernere, Cur, inquit, multis vtar, cùm Christus vno habitu contentus sit? Iussa à patre hæretico templum adire, Ibo, inquit, dum is concionabitur, cuius vsibus templum extructum est.

Minor

Minor verò, quæ ſexennis eſt, ſi ad templum trahatur, Non ſum, inquit, non ſum hæretica.

§. 4. *Puer miniſtros hæreticorum, diſputatione ſuperat.*

PVerum è longinquo oppido ad noſtrum gymnaſium miſerat hæreticus pater: ſed ea interminatione, ne ſe ſineret à Ieſuitis papiſmo infatuari. Hic diſcipulorum conſuetudine ita ſenſim profecit, vt & ad fidem Catholicam, & ſacramentorum vſum traduceretur; demum in Sodalitium etiam B. Virginis admitteretur. Non fefellit ea res parentem: Mittit qui filium domum reducat. Data ſunt homini verba; & cum literis ſine puero remiſſus eſt ad patrem. Pater (quod tunc erat in promptu) negat filio ſe in ſumptum ſuppeditaturum: Interim puer qua erat conſtantia, accuratè ſcriptis literis omnem conſilij ſui à Luthero diſcedendi rationem exponit. Pater, qui conceptam opinionem mordicus tenuerat, rationes verò altè non cõſiderauerat, percepto ſenſu filij ex literis, quod nunquam antea fecerat, dubitare cœpit, veráne eſſent quæ de Luthero à filio ſcriberentur. Rem igitur defert ad miniſtros, nempe Veſpertiliones: orat vt ſibi ſcrupulum eximant ex animo, & literis ſtudeant filium reducere. Illi rem ſuſcipiunt ſanè confidenter: ſed nec Patri dubitationem planè abſterſerunt, & ipſorum literas filius copioſè confutauit. Cœpit igitur Pater filium laceſſere, ſæpius ea de re vt ſcriberet. is è libris Coſteri & Eckij petitis argumentis, egregiè paterno ſtudio ſatisfecit. Euocat tandem filium pater, nec detrectat iam imperium puer, fretus bonitate cauſæ, & patris iam ex literis cognita propenſione. Pater porrò veritus, ne ſi ſolum cum filio, iam noſtrorum conſuetudine exercitato, congrederetur, facilè diſputationum pedicis irretiretur, quatuor

Ex lit. Soc. ann. 1594. Prou. Rhenana.

tuor hęreſeos doctores adhibet ad conuiuium, & ex arce vicina virum nobilem Catholicum, qui puero pręſidio ſit, inuitat, ne authoritate quatuor Sophorum tenera pueri ætas obteratur. Illi poſtquam vino caluerunt, animoſiùs quàm ſapientiùs rem adoriuntur: Quæſtiones puero proponunt: ille admirabili promptitudine ita reſpondet, vt omnem exhauſerit difficultatem, viciſſimque illos de numero Sacramentorum interrogat. reſpondent tanquam ex adyto prolatum oraculum, eſſe duo tantum. Tum ille prolato in medium Lutheri Catechiſmo, eorum doctrinâ oſtendit eſſe tria. Ita primâ pueri velitatione aduerſarij proſtrati. Rurſus paulò pòſt vrget eandem quæſtionem. illi, cùm iam de priori ſententia conclamatum eſſet, ad quem ſcopulum tempeſtate delati erant, ad eum adhæreſcunt; reſpondent confidenter illud eſſe tuendum, tria eſſe ſacramenta. Atqui, puer inquit, hic Lutheri liber (& profert librum alterum) duo tantum eſſe aſſeuerat. Hic proclamatores egregij inconſtantiâ victi, & rerum ſuarum inſcitiâ deprehenſi, quamquam alioqui verbis abundantes, & audacia, ſtatua taciturniores hæſerunt. Pueri pater & Nobilis ille aduocatus, qui huc vſque quieti ſpectatores certaminis ſteterant, continere ſe non potuerunt, quin vaniſſimos nugatores, tam facilè à puero conuictos, exploſos, irriſoſque domo exigerent. Ita victor certaminis puer non modò de aduerſarijs proſtratis, ſed & de patris ad fidem Catholicam adiuncti ſalute triumphauit.

§. 5. *Pueri Germani multa ſuſtinent; hæreticum ſuâ modeſtiâ ad fidem Catholicam reducunt.*

Ex lit. Soc. P. Bonifac. de pueritia

DIctu profectò eſt mirabile, quo animo in Germania, quamque medullis totis auitam fidem puſilli tueantur: certant officijs inter ſe, cum

cum deprauatis hominibus de religione dimicant, cōtingitque sæpe vt Goliam prodigiosè celsum, & Colossæa mole metuēdum pusillus Dauid & saxo tundat,& gladio trucidet. Quoties parens ipse filij carnifex fuit? quoties filius patrem quasi regenerauit,& ad suam mentem reduxit? Vapulasse se commemorat alius, quòd carnibus tum vetitis vesci nollet. Narrat alius imaginem sanctam impia flamma à se ereptam fuisse: Est qui dicat precatorios calculos in honorem Sanctissimę Virginis & Matris Dei,cingulo admotos circumferre se quoquo iuerit, idque parentibus inuitis, quorum minas non magnopere pertimescat.

Monachij ingens erat adolescentum numerus, qui religiosam scholam frequentabant,quibus ea lex inter ceteras pręscripta fuit,vt singulis diebus rei diuinæ velut auspicatissimo rerum gerendarū initio interessent: & cùm mane die quodam omnes sacrum audirent, vt eo peracto literarum studijs nauarent operam,vir non infimæ sortis,vt exteriori quidem ęstimatione videbatur (re autē vera erat hæreticus) diuino instinctu religiosorū sacellū ingreditur,& puerorū tum cōcursum tum maximè pietatē & mentis attentionem,quam ipso vultu testificabantur,admirans,secum tacitus reputare cœpit,quanto in errore versaretur ipse,qui rem despiceret, cuius veneratio ne pueros quidem lateret. ponderat acuto vir ingenio, tantam illā mentis attentionem nulla humana arte excitari in pueris potuisse, qui rem nullam seriam diligenter attendere soleant,& fixis oculis intueri. Concludit tandem,& ratiocinatur, Dei opus esse illud,qui ex ore infantium perfectam sibi laudem depromit. quid multa? Sanctissimam Eucharistiam totis visceribus complectendam esse censet, tremendumque illud Missæ sacrificium constātissimo suauissimoque animo colendum, susci-

 piendum,

piendum, venerandum, arbitratur. Poſt quæ palinodiam canit in omnibus quæ à noſtra fide diſſentiunt, emergenſque ex Lutheranis tenebris, in matris Eccleſiæ fulgore verſari cœpit.

§. 6. *Hæreticum conuertit puer.*

Ex litteris Soc. Coll. Monach. prò. Germ. ſup anno 1596.

PVer ciuem ſuum iam adultum, multos annos in hæreſi hærentem, precibus adhortationibuſque adortus multa de virtutibus B. Virginis, deque eius erga ſuos clientes patrocinio, multa de miſero ſtatu hęreticorum, multa de pœnis inferorum edifferens, eò adduxit, vt ipſius victus perſuaſionibus in viam rediret, & abiurata hæreſi totius vitæ noxas pœnitentiæ ſacramento perpurgaret.

§. 7. *Alius hæreticorum eludit argumenta.*


Ex literis Socie. anni 1596 prou. Rherana Reſid Embric.

PVer feriarum tempore in patriam reuerſus, ſextâ feriâ illatis menſæ carnibus abſtinebat; cùm ad eas inuitaretur; Minimè, inquit ille; non enim à meis hoc didici magiſtris. Atqui ſubijciũt, Caro res mala non eſt. Certè reſpondet puer, ſed neque pomum malum erat, quod Adamo totique hominum generi mortem attulit. quo reſponſo victi tacuerunt.

Alius ſimili argumento non modò ancillæ ad idem genus epularum inuitantis procacitatem fregit, ſed eam quoque ad Catholicam religionem cõuertit. Vnum non prætereibo. Angli milites aliqui noſtrum templum ingreſſi pueros vident precationi operam dantes: fortè vnum ex eis iubent orationem Dominicam pronunciare; cùm ille dixiſſet, *Pater noſter qui es in cælis*, interpellant illi: Cur ego eum adoras in altari, ſi fateris in cęlo eſſe? Et tu (ſubijcit feſtiuè puer) pronuncia mihi viciſſim ſymbolum Apoſtolorum. Dicente, *Credo in Deum patrem omnipotentem*; ſubiungit puer: Tu quoque ſi fateris Deum eſſe Omnipotentem, cur negas

negas eodem tempore & in cælis esse, & in altari? Hoc inopinato responso attoniti, abiere.

Vide etiam p. 3. c. 15. §. 7.



CAPVT XXIII.

AVSTERITAS VITÆ, IEIVNIA, DISCIPLINÆ.

QVò laudabilior eorum puerorum est virtus, qui nûlla peccati labe inquinati, tot interim ieiunijs teneram ætatem confecerunt, totque cilicijs & flagellis carnem fatigarunt; eò maiori pœna dignos eos censeo, qui post longam scelerum commissorum seriem nullo austerioris vitę desiderio tenentur. Videor mihi eos pueros à mortuis excitatos præsentes intueri, flagella, verberaque intentare, hisque vel similibus verbis hominem delicatum, & mollem alloqui: Quo vsque tandem infelix obdormiscis? quo vsque licet acediæ volutabro immersus plenis alis in cælum adspirabis? itáne oblitus originis tuæ, oblitus beneficiorum, propter fluxam voluptatis illecebram, propter leuem austerioris vitæ metum è tanto te dignitatis fastigio in tantam miseriam conijcies? itâne nostro etiam exemplo excitatus diutius languesces? itâne tam nobili indignus patre molli & delicata vita diuinos natales obfuscabis? fierine potest, vt huius vitæ lux sit tibi iucunda in vano epularum apparatu, in fragili deliciarum luxu? cùm ipse Dei filius ex augustissimo cæli throno in hāc calamitatum aream descendens, summis se dolo-

ribus expoſuerit, infinitis cruciatibus fregerit? teſtantur manus expanſę, loquuntur transfixi pedes, clamant transfoſſa latera, ex quibus ceu riuis quinque flumina (ſanguinisne dicam, an amoris?) deriuauit, & abluendis ſceleribus tuis piſcinam pręparauit. Ergo age, Chriſti, & tot Sanctorum, immo puerorum prouocatus exemplo, Quid nî dicas tibimetipſi cum Auguſtino: *Tu non poteris quod iſti, & iſtæ? an verò iſti, & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo?* Hæc eſſet, vel ſimilis omnino eorum puerorum oratio: quam ſi fortè ceruicis durioris homines non attendunt, vitam ſaltem eorum auſtero calle tranſactam animaduertant.

S. Aug. Cōfeſ. l. 8. c. 11.

§. 1. Pueri quatuor tenui cibo contenti, formoſiores.

Daniel. 1.

Conſtituit Rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vnde bibebat ipſe, vt enutriti tribus annis poſtea ſtarent in conſpectu Regis. Fuerunt ergo inter eos Daniel, Ananias, Miſaël, & Azarias. Propoſuit autem Daniel in corde ſuo ne pollueretur de menſa Regis, & de vino potus eius, & rogauit Eunuchorum Præpoſitum, ne contaminaretur. Dedit autem Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu Principis Eunuchorū: & ait Princeps Eunuchorum ad Danielem: Timeo ego Dominum meum Regem, qui conſtituit vobis cibum & potum, qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meum Regi. & dixit Daniel ad Malaſar, quem cōſtituerat Princeps Eunuchorum ſuper Danielem, Ananiam, Miſaëlem, & Azariam: Tenta nos obſecro ſeruos tuos, diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum; & contemplare vultus noſtros, & vultus puerorum qui veſcuntur cibo regio, & ſicut videris, facies cum ſeruis tuis. Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus qui veſcebantur cibo regio.

§. 2.

§. 2. *Ioannes Baptist. speleum infans petit.*

ALterum cum dimidio annum agebat Ioannes, cùm vnà cum matre Elizabetha in spelunca quadam ad religionem montanam saluus conseruabatur, fortasse Herodis sanguinariam effugiens manum, atque inde in solis locis libēter versari solitus, Angeloq; duce vsus, in remotiores syluarum recessus secessit, ibi tenerioribus arborum frondiumque summitatibus, pro cibo; cameli pilis pro tegumento; pelliceáque insuper zona vtebatur: quoad vsque inde progressus Israëli se exhibuit. *Niceph. l. 1. c. 14.*

§. 3. *Catharina Senensis exercitationes asceticæ.*

HÆc annorum sex puellula quærebat latibula, & clam corpusculum chordula quadam cædebat, precibus ac meditationibus perpetuò vacabat, in dies magis operam dabat silētio contra morem puerorum, & cùm ea ętas increscens multò egeat alimento, illa sibi potiùs aliquid detrahebat. Septennis vouit virginitatem, petijt desertum, à carnibus abstinuit. Multæ puellę ad eam confluebant, vt salutiferis eius sermonibus fruerentur, & pia studia imitarētur; à quibus cùm vellet, nunc orationem Dominicam, nunc salutationem Angelicam exigebat. Cumque in secretum domus conuenissent, in corpuscula funiculis sæuiebant. *Surius. 29. Apri.*

§. 4. *Cilicio vtitur S. Clara.*

S. Clara sub vestibus pretiosis ac mollibus ciliciolum gestabat absconditum, & dum mundo exteriùs florere videbatur, Christum induisse videri poterat. *Surius in eius vita.*

§. 5. *De S. Simeone ſtylita.*

Menæa 24. May Raderus in Viridario.

SImeon ſexto ætatis anno, quo tempore propter imbecillitatem pueritia adhuc à ſerijs negotijs vacat, & temere obuia conſectatur; hic tamen omnibus præſentibus ac humanis rebus contemptis montem conſcendit, & breui tempore ad vitæ aſperitatem, & omnia incommoda aſſueuit; vnde frequentibus, dignatus Dei cælitumque aſpectu & conſuetudine, à quibus propoſitis quæ ſequenda eſſent, ſtudijs, quid agendum foret, docebatur. Hinc quod ſupra naturæ conditionem eſt, non ampliùs humanis viuebat alimentis, ſed cæleſti paſcebatur ambroſia, quoad vitę modum faceret, atque ad Chriſtum abiret.

§. 6. *S. Edmundus carnis petulantiam coërcere à pia matre docetur.*

Sur. 16. Nouemb.

MAbilia Edmundi mater, vt ei ſalutaris parcimoniæ ſtudium à teneris vnguiculis inſtillaret, quibus munuſculis puerilem ætatem facilè capi, ea promittere & largiri ſolebat pia mater, vt his inuitatus, ſextas ferias pane & aqua contentus ſponte tranſigeret: Cùm autem ſtudiorum cauſa Pariſios eum cum fratre mitteret, verita ne per abrupta inſanarum libidinum præcipitia agerentur, duo ei cilicia dedit, mandauitque vt bis terue quot hebdomadis ijs carnis petulantiam coërcerent; nominatim verò Edmundo, quem præ ceteris impenſiùs amabat, ſatis virtutum eius conſcia: nunquam deinceps linea mittebat indumenta, quin ſetaceam veſtem adiungeret.

§. 7. *S. Margareta Rauennatis dura viuendi ratio.*

Hieron. Rubeus apud Sur. to. 7. 23. Ian.

S. Margareta ſeptem annos vix expleuerat, cùm carne & ouis abſtinens extra dies Dominicos & feſtos in die ſemel comedebat, quem viuendi

modum

modum per totum vitæ spatium non modò seruauit, sed & maximam partem confecit, solo pane & aquâ contenta; quod eò durius videri potest, cùm nudis semper incesserit pedibus, & nunquã in lecto, sed vel humi, aut in sarmentorum fascibus cubuerit.

§. 8. *Stupendus Ioannis de Firmo alias de Aluerna in se sæuiendi modus.*

IOannes de Firmo factus annorum septem, duris per totum corpus se disciplinis mactabat, quod de carne eius mundissima & candidissima riuuli sanguinis defluebant: & priusquam domum reuerteretur, cõsuebat circa collũ, & corpus suũ, vrticas; & postea cooperiebat superioribus indumẽtis. Factus verò annorum decẽ, cùm esset Canonicus Ecclesiæ maioris terræ suæ, loricã triginta librarum ad carnem nudam portauit, cuius manicarum longitudinem de nocte decurtauit: sed hanc quidam homo spiritualis sibi deuotus, aliam corpori suo congruam procurauit, cuius annuli velut in ceram liquefactam, sic in eius carnem teneram intrauerunt: Tunc temporis se abstinentia sic stringebat, vt in die vna, quarta parte panis esset contentus. Fuit homo maximæ rigiditatis in corpore suo: aliquando enim portauit loricam, aliquando corium porcinum, aliquãdo tunicam de pilis equinis nodosam, & aliquãdo habuit ad carnem circulum ferreum, quem prolixitate temporis carni sic habuit insertum, quod in amotione & depositione eius, caro circumcirca à corpore est euulsa.

Author libri Conformitatum l. 1 p. 1. Sedulius l. 3. Apologetici. c. 8. Grets. de disciplinis l. 1. c. 14.

§. 9. *Admiranda vitæ austeritas in S. Margareta Hungarica.*

AQuarto anno ætatis Margareta semper in die Parasceues ieiunauit, toto verò triduo ante Pascha singulis annis non se reponebat in lectum,

Surius 28 Ian. in [illegible] Traditur vita su[illegible] pa- scha.

lectum, nec dormiebat, nec comedebat, vel bibebat; sed continuò vel stans erecta, oculis eleuatis in cælum, vel ante altare S. Crucis iacens prostrata, nisi quando Diuinum persoluebatur officium, orabat: legebat psalterium, flebat, & corpus diutius solito, vsque ad largam effusioné sanguinis verberabat; & quidem corpusculum eius propter abstinentias, vigilias & afflictiones alias adeo fuit macilentum & pallidum, vt intuentibus admirationem adferret.

Circa septimum ætatis annum, asperum cilicium ad carnem ferre cœpit, & deinceps per totam vitam in Aduentu Domini, & Quadragesima, ieiunijs Quatuor temporum, Vigilijs Christi, & B. Virginis, Apostolorum & præcipuorum Sanctorum: alijs verò temporibus à die Iouis, vsque ad Completorium Sabbathi sequentis, eo vtebatur. A duodecimo verò anno, in quo professionem expressam fecit, Confessarius, ei occultè tradidit cilicium asperrimum, è pilis equorum, & setis porcorum, cum multis intextum nodis, instar retis; occultabat verò virgo quantum poterat, cilicium suum, & vt à nullo videretur, manicas de panno veteri assuebat cilicio à cubito vsque ad manus. Hortabatur etiam socias sorores secretè induere cilicium ad nudam carnem. Præter hoc habebat sub cilicio circulum ferreum, quo caro eius nuda fortiter stringebatur. & ad iacendum nocte habebat cingulum è pellibus hericij, spinis horridum. Crebrò etiam voluit ligari brachia sua nuda funibus cannabinis, & in tantum stringi, vt funes carni inhærentes eam rumperent & lacerarent. Habebat etiam in calceis suis clauiculos quosdam ferreos, quorũ acumina ita erant dispofita, vt quandocunque ambularet, vel subsisteret, plantas pedum eius pungerent, atque cruentarent. Corpus quoque suum

Humilitas.

Cingulo ferreo se stringit.

Clauiculi in calceis.

ſuum multis ictibus flagellabat: nocte qualibet, poſt diſciplinam (vt vocant communiter) acceptam, ſecedentibus ceteris rurſus ipſa ſe cædebat virgis, vel virgultis ſpinoſis, vel cum virgulis circumpoſitis pellibus aculeatis hericij iubebat ſe ab alijs verberari, vſque ad ſanguinis effuſionem: quæ licet horrerent, attamen contradicere non audentes, obediebant inuitæ, & inter cædendum plorabant. Ducebat autem eas ad loca ſecreta, vt clam verberarent, ne ab alijs poſſet animaduerti. Tantum verò fatigabantur quædam verberando eam, vt vix poſſent reſpirare. & quamuis eiuſmodi verbera quotidie perferret, ſpecialiter tamen die S. Cœnę, & duobus alijs ante Paſcha, ſingulis horis diurnis & nocturnis tantis ſe afficiebat verberibus & flagellis, vt ſanguis ex eius corpore vbertim emanaret. Quadam nocte cùm eſsēt denſiſſimæ tenebræ, duxit quandam ſororem ad locum admodum ſecretè, vt ibi manibus eius verberaretur: vbi verò cùm ſe ſpoliaſſet, & carnem nudam expoſuiſſet, lux copioſa de cęlo ſuper eam deſcendit, & totam illuſtrans domum, tam diu durauit, donec completâ verberatione veſtes reſumpſit. Quibus vt ſe induit, lux euanuit, & duæ ſorores quæ hoc viderant accurrerunt; & ſe precibus eius commendarunt. obijt anno 1270, ætatis ſuæ 28.

§. 10. *Aſperitas vitæ mira in S. Claræ de Monte-Falco.*

STupenda in primis eſt S. Claræ virgunculæ ſeptennis in edomando corpuſculo ſeueritas: nodoſa chorda circa renes nudos cingebatur, flagello ſic in tergum ſuum ſæuiebat, vt ſanguis copioſus emanaret: cibi erat parciſſimi, ſolo pane & aqua contenta, niſi fortè ad recreationem ſubinde vel feſti ſolennitatem, crudas herbas præterea adiun-

Ex Chron. S. Franc. l. 5. c. 41.

adiungeret. humus illi nuda lectum sternebat, licet non rarò stramen subijcere ob ęgritudinem cogeretur.

§. 11. S. *Honorati abstinentia miraculo decoratur.*

Petrus de Natalibus l. 2. c. 88. & D. Greg. l. 1. dial. c. 1.

HOnoratus in Samnij partibus claruit, coloni cuiusdam in villa Venantij patricij filius. Hic ab annis puerilibus Deo deditus, etiam ab otioso sermone abstinebat, carnemque ieiunijs macerabat. Cùm verò die quadam parentes eius conuiuium fecissent, & carnes ad prandium parassent, ipseque ieiunans, à carnibus abstinere vellet, irrisus est à parentibus & discumbentibus cunctis, interrogantibus an vellet sibi de montibus pisces afferri; qui in loco ipso audiri poterant, non videri. Post modicum, aquâ in conuiuio deficiente, accessit minister ad fontem, vt hauriret, & dum aqua de situla lignea coram discumbentibus effunderetur, piscem, qui diuinitus aquam intrauerat, simul effudit, qui victu vnius diei Honorato sufficere potuit; propter quod in veneratione haberi cœpit.

§. 12. *De S. Catharina Genuensi.*

Antonius Flamininius in eius vita.

CAtharina Genuensis licet Vice-regis Neapolitani filia, iam annorum dumtaxat octo, diuinitus edocta vitæ asperitatem consectari, stramine pro cubili vtebatur, duroque trunco pro ceruicali.

§. 13. *De S. Luca.*

Ex Menæis 7. Febr.

S. Lucas à puero non tantùm carne, sed etiam ouis, & caseo abstinuit: panis verò hordeaceus, aqua & legumen, in cibum & potum satis fuit: omnis generis vexatione & asperitate corpus suum macerabat.

§. 14. *Ho-*

§. 14. *Horridis modis carnem domat S. Beatrix.*

IMmane quantum Beatrix in suum ipsa corpusculum sæuiret. Nam plerumque ramis agrifolij siue echinatis syluestris lauri folijs carnem flagellare, ijsque lectum suum vniuersum persper- gere consueuerat. Vltra nocturnos illos cruciatus ne dies à pœna immunis excurreret, spinosiora folia cuti admota, in sinum abdebat, quę diurno motu corporis agitata cutem continuò cruentarent: Non hisce terminis stetit virtus: seque funiculis quibusdam nodatim intextis cingebat, lineis indusijs procul amandatis. Puluillum ei præbebat truncus ligneus, aut silex, reiectâ, vt plurimùm, culcitrâ. Auctis post annum ætatis 15. viribus, pœnas auxit: spinis velut triplicato fune implexis carnem præcingere aggressa est, quæ renes vndique aculeato dente penetrarent.

D'Assignies to. 2. Annal. Cister. in eius vita, sec. 3.

§. 15. *S. Mariæ Oigniacensis rigor.*

FÆlicibus Marię actibus parentes inuidentes ipsam cùm esset annorum 14. cuidam iuueni, Ioanni nomine, matrimonio coniunxerant. Tunc verò à parentibus remota in tantum feruoris excessum accensa est, tantaque pugna corpus suum castigabat, quod frequenter, cùm magna parte noctis proprijs manibus laborasset, post laborem diutissime orabat, residuum verò noctis, quoties ei licebat, super furtiuos asseres, quos in extremitate lecti absconderat, cum modico somno transibat, & quia potestatem corporis proprij non habebat apertè, chordam asperrimam, qua vehementer stringebatur, sub camisia clàm portabat; nec hoc dixerim vt excessum commendem, sed vt feruorem ostendam.

D. Antonius, 3. p. t. 19. c. 12.

§. 16. S.

§. 16. *S. Theodori miræ vitæ seueritas.*

Surius 22. April. S. Theodorus exemplo viri cuiusdam pij (Stephano nomen erat) permotus, miram abstinentiæ rationem inijt; cuius ignara primùm mater cùm e ludo literario domum hora prandij rediret, cogebat eum vt secum ederet: at ille ampliùs non reuertebatur, sed ad vesperam vsque ieiunans, in ludo literario manebat, & vesperi cùm esset domi suę, nihil aliud nisi parua panis frustula, & aquam sumebat: orauit autem mater magistrum ipsius, vt horâ prandij puerum dimitteret, volebat enim illi persuadere, vt saltem exiguum leguminū cibum sumeret, quoniā propter inediā nimium gracilis euadebat: ipse verò cùm è scholis dimitteretur, in asperum montem vicinum se conferebat, vbi S. Martyris Georgij templum erat, & in oratorium ingressus, diuinarum scripturarum lectioni vacabat: Vesperi à matre rogatus, cur hora prandij ad se non venisset, ipse se excusans respōdebat, coactum esse in scholis manere, quoniam quæ oportebat, non didicisset, & quia languente stomacho ita fuisset, vt nulla edendi cupiditate teneretur. Porrò cęlesti quadam visione à Deo collustratus, cœpit ad præstantiora, salutique coniunctiora contendere, seque in vna domus suæ cellula continere. Ab Epiphania vsque ad ramos oliuarum (agebat tum annum ætatis 12.) & duabus quadragesimæ hebdomadibus, prima nimirùm & media, neminem prorsus alloquebatur, sed soli Deo vacabat, abstinentia autem pristina vtebatur.

Sed decimumquartum iam agens ętatis annum decreuit omnino matri suę renunciare, & in Oratorio viuere. Verùm mater eius, ceteræque mulieres cùm beatam eius institutę vitę rationem ignorarent, à qua ille, quamuis opus adhuc esset, nullo modo

modo recedebat, ei panes duros & varias volucrum carnes tum elixas, tum assas offerebant: quæ ipse quidem omnia suscipiebat, ne pium ipsarum animum videretur aspernari: sed quia ieiunium eius erat in abscondito, eis non vescebatur, sed illis discedentibus, omnia foris super petram collocabat: veniebant autem aues, & feræ, atque etiam homines iter facientes, & comedebant: cibus verò pueri ex ijs quæ in oratorio offerebantur, constabat. quod si nihil offerretur, panis illi solus satis erat.

Cùm autem audisset locum aliquem octo inde passuum millibus distantem, qui dicitur Area, sic à Diana & multis dæmonibus occupari, vt nemo illuc præsertim meridie sine certo mortis periculo posset accedere: ipse Iulij Augustique diebus, posteaquam horæ tertiæ preces absoluerat, ad eum locum celeriter contendebat, & toto meridie illic morabatur; vbi Dianæ domicilium esse dicebant: sed cùm auxilio Dei nihil aduersi reperiret, ad oratorium redibat, vbi sub altaris gradu specum sibi defodit. Ea verò nocte qua Christi ortus celebratur, cùm ad eum Clerici quidam & laici conuenissent, cum illis ab Oratorio ad flumẽ transeundum descendit; ipse autem solus in aquam ingressus, tamdiu in ea stetit, quoad omnis Prophetica, Apostolica & Euangelica lectio cum toto sacrificio fuit absoluta. Post autem vix poterat pedes extrahere, sic erant cum luto glacieque compacti; atque ita psalmos concinens ad oratorium redijt, & cùm dies aduenisset, celebritatem peregit, & in specum descendit, ibique ad Ramos vsque palmarum conquieuit.

Mater eius Elpidia vehementer eius miserebatur; itaque veniens ad oratorium, ei, dum quietem silentiumque seruaret, cibum ministrabat, fructus nimirum aut olera, idque Sabbatho & die Dominica:

nica: nam reliquis diebus nihil omnino gustabat. Christi quoque Præcursorem & Baptistam Ioannem in hoc imitatus est; superiorem montis partem ascendit, & petram intuitus ad se tegendum idoneam, suffodiens sibi speluncam amplam fecit, obstructoque aditu in ea latitabat. Mater pueri cum alijs mulieribus cùm eum non inuenirent in Oratorio diu quæsitum, putant eum à militibus, qui illac tum forte transierant, ablatum esse; commouerunt ergo Principem, vt milites comprehendendos curaret, quo puerum restituerent: verùm cùm nec sic quidem inuentus esset, à feris deuoratum esse existimauit, & luxit eum cum propinquis, vti iam mortuum. Duos in ea spelunca Christi puer Theodorus annos transegit, & clericus quidam religiosus Diaconus solus rem nouerat, qui & proprium illi vestimentum asperum dedit (nam antea vestibus lineis vtebatur) & paululùm cibi ex oleribus, & aquæ pusillùm (sic enim inter illos conuenerat) subministrabat. Promiserat autem eum se nemini indicaturum. sed cùm propinquæ ipsius mulieres animaduertissent pium diaconum super montem frequentiùs ascendere, suspicatæ id quod erat, eum domi suæ iureiurando obtestatæ sunt, vt quidquid de puero sciret sibi significaret: ille verò tum iureiurando coactus, tum aspero pueri vitæ instituto commotus, & metuens ne moreretur, rem aperit, & locum vbi morabatur, indicat. Tum lætitia plenæ accedentes reperiunt illum pene mortuum, & ad S. Georgij oratorium deducunt; qui aëre conspecto, sine voce diu mansit: caput autem eius sordibus scatebat, & ossa eius erāt nuda, & coma vincta, nec ad eum quispiam prę fœtore, vermibusque scatentibus poterat appropinquare, & aspectus eius erat tanquam mortui. Quod cùm Anastasiopolis Episcopus Theodosius eius certior factus

ctus coràm conspexisset, contremuit, & cùm illum salutasset Lectorem declarauit.

§. 17. *S. Dominicus infans humi cubat.*

CVm esset infans Dominicus, deprehensus est sæpe lectulum dimittere, quasi carnis iam delicias abhorreret, & elegit potius super terram accumbere, quàm in lectulo corporali quodãmodo quiete resolutus iacere; & ex tunc duxit in consuetudinem declinare strati mollitiem, & frequentissimè super terram dormire. *Antoninus p. 3. tit. 23. Surius 4. Augusti & Pet. de Natal.*

§. 18. *Simile quid de S. Ludouico Caroli. II. Regis Siciliæ filio ex ordine Minorum, Episcopo Tolosano.*

MIrum sanè est quod à Serenissima matre eius Regina MARIA accepi (inquit author) & quibus erat illum cura educandi: nempe septenni, cùm adhuc delicatè ac molliter veluti Regis filius haberetur, inuentum esse sæpius spreto lecto humi cubuisse in tapetibus. *F. Henricus Sedulius in eius vita. c. 1.*

§. 19. *S. Iuliani ieiunia.*

IVlianus Episcopus corpus suum ab infantia domare cœpit; ter quothebdomadis ieiunabat, multasque precationes in singulos dies assignârat. *Ribadenei. in eius vita*

§. 20. *Franciscus de Paula adit desertum.*

FRrancifcus de Paula cùm esset annorum tredecim, secessit in desertum. vbi sex annos trãsegit maximas subeundo austeritates. *Ribade. in eius vita*

§. 21. *De S. Colletta.*

HÆc in ætate admodum tenera corpusculum magna austeritate iam tum edomabat. sarmenta vitium ei lectum præbebant: vix corpus, per hyemis asperitatem, trito stragulo contegebat, renes nudos chordâ nodis durissimis implexâ cingebat. *Ex chronicis S. Francisci to. 3. l. 2. c. 3.*

§. 22. De

§. 22. *De B. Archippo.*

Habetur in narratione miraculi facti in regione Chonensi à B. Michaële Archangelo, apud Metaphr. 5. Sept. apud Sur. 29. Sept.

ARchippus Puer Hieropolitanus, cùm pij seminis & verè bonę radicis esset bonum germen, tanquam quoddam lilium in medio hæresum spirans pietatis suauitatem, decimo anno ętatis venit ad ædem D. Michaëlis, vt qui à diuina duceretur prouidentia; factusque eius templi æditiuus, diuinâ gratiâ inuentus est dignus: carnis enim voluptatem tam pulchrè superauit, & tam pulchra fuerunt eius vitæ proœmia, vt neque pane vesceretur, neque aliquo eorum, quibus homines necessariò vescuntur. Non vtebatur balneis, neque corporis sui vllam curam gerebat, sed semper spirituali viuendi rationi vacabat, idque cùm puer esset, & necdum perfectiorem attigisset ętatem. Quod quidem pene esset incredibile, nisi magnitudo virtutis, & spectaculorum, quibus dignus est habitus, isthoc redderent probabile: nam herbas quidem coquens comedebat, easque agrestes, & quæ ne tãtillo quidem salis aspersæ erant. Id verò cibi genus semel quothebdomadis capiebat. Indumentum autem erant duo sacci; vnus quidem pro tegumento corporis, alter verò pro stragulo, quos per vices annorum commutabat, stragulo eum destinans, quo per annum fuerat antè amictus. Et si quando eum necessarius somnus opprimeret, cubili acutis lapibus strato, suppositisque capiti sentibus sacco obductis vtebatur. Ad hanc verò laboriosam asperamque vitam incessanter tuendam, hisce semet vocibus excitabat: Ne bona huius vitę oculos meos irretiant, néve mens pręsenti implicetur vanitati, imple Domine oculos meos lacrymis spiritualibus. Contere cor meum, & dirige gressus meos.

§. 23. *Robertus Malatesta cibis abstinet.*

SOlenni quodam ritu Carolus Roberti auunculus S. Martini Quadragesimam (vt vocant) sacris Christi natalibus ieiunando præmittebat, & Roberto, ne hic vitæ modus ob ætatem imbecillam noceret (erat enim tum annorum decem, nec ampliùs) carnes apponi mandârat: sed illas ipse tam ingeniosè ex intuentium oculis suffurabatur, & sub mensam abijciebat, prorsus vt nemine animaduertente assumptum ieiunij tempus cum alijs austerè transigeret, solo pane & aqua contentus; & ne vel sic corpus insolesceret, cilicio non rarò induebatur. Ex Chron. S. Fräc. to. 3 l. 1. c. 55.

§. 24. *Ioanna à Cruce ieiunia, disciplinæ, cilicia.*

VIdens Ioanna, annorum septem puellula vtroque se orbatam parente, monasterium communi omnium parenti Deo seruiendi causâ ingreditur, vbi non mediocria dedit ea ætate austeritatis exempla; semel dumtaxat per diem capiebat cibum, & quidem solo pane & aqua non rarò contenta, quibus sibi diebus ieiunium indixerat. immo totos aliquando dies tres, nihil prorsus admittebat alimenti. Ieiunijs adijciebat disciplinas, quibus corpusculum cædebat frequentissimè, non sine copioso sanguine, & asperrimum vestis setaceæ vsum quam ipsa sibi manibus suis contexuerat, eaque quòd crebriùs vteretur, & vltro duros labores, qui cilicij memoriam refricarent, susciperet, tergum habebat vlceribus plenum; sed mentem voluptate pleniorem. Ex ijsdem to. 4. lib. 2. c. 28.

§. 25. *Petrus Nicolai frequenter ieiunat.*

B. Petrus Nicolai (natus est anno 1520.) vix quartum attigerat annum, cùm ter quotheb- domadis tanto ardore ieiunare cœpit, vt aliquis à Ex ijsdē to. 4. p. 2 l. 1. c. 1.

parentibus modus adhiberi debuerit, perexiguâ appositâ cœnulâ, quam vt attingeret sabbatho, vti & feria secunda, & quarta, nulla vnquam via potuit induci.

§. 26. *Pia S. Aiberti exercitia.*

Surius 7. April.

NOn literâ, sed Spiritu sancto docente S. Aibertus solitus erat clàm noctibus e lecto surgere, flexis genibus, & membris humi prostratis, orare, terramque innumeris exosculando vicibus, tenerum corpusculum fatigare; verùm cùm deprehensum se à famulis (quod maxime metuebat) animaduertisset, in ouile secessit, sed hic quoque inuentus est, cùm præ nimia genuum curuatione prostratus humi iaceret. Alia ergo quærit rursus diuerticula, & opportunos suis studijs recessus sapiens puer, ne quid scilicet popularis auræ fauor de immarcessibili illa corona quam contexere cœperat, decerperet. quoties verò sibi ieiunium indixisset (quod non rarò accidebat) de pomo aliquid degustare solitus erat, vt patri sciscitanti citra mendacium respondere posset, cibum se sumpsisse.

§. 27. *S. Mederici austeritas.*

Petrus de Natalibus l. 8. c. 25.

MEdericus Abbas apud Euensem ciuitatem claruit: hic cùm esset annorum tredecim, inuitis parentibus ad monasterium ipsius vrbis fugit, & Monachus effectus, pœnitentiæ mirabili operam dedit: nam vix in hebdomada solùm cibum sumebat, & cilicio asperrimo carnem domabat.

§. 28. *S. Nicolai Tolentinatis ieiunia.*

Ibidem.

NIcolaus cùm ad septennium peruenisset ter in hebdomada cœpit ieiunare.

§. 29. S.

§. 29. S. Luciani abstinentia.

LVcianus religionem puer ingressus statuit à vino & obsoniorum esu prorsus abstinere, assumpsitque firmam consuetudinem semel tantùm in die vescendi, silentio, meditationi, lacrymis valde deditus. *Surius 7. Iunij.*

§. 30. S. Bernardini abstinentia.

BErnardinus, etsi puerulus esse tener, in honorem B. Virginis diebus sabbathinis ieiunabat: & quamdiu laicus fuit, nunquam ieiunium illud intermisit. *Surius 20. Maij.*

§. 31. B. Petri Luxemburgensis austeritas, & vita reliqua.

B. Petrus valde teneræ erat ætatis cùm mortificationis fuit amantissimus: nam vel leuissima peccata non solùm confessionis sacramento, sed lacrymis, maceratione corporis, ieiunijs, verberibus, & cilicio expiare non desistebat. Singulis autem diebus priuatim se verberibus rigidè excipiebat, ciliciúmque gestabat asperrimum, & funiculum insuper nodis durissimis cōtortum corpori circumdabat, adeoque arctè carnem stringebat, vt sanguis emanaret. *Excerpta ex eius vita, à R. P. Ludouico De lingendes, Rectore Col le. Aueniomensis, ad me transmissa.*

Plura de eodem vide in indice; adiungam tamen hic quæ de eius vita ac morte accepi, licet annis planè puerilibus non contineantur. Ad Episcopatum Metensem, annum agens 15. euectus est, immo & ad Cardinalatum paulo post, Auenione, quo tempore eandem vitæ superioris austeritatē non retinuit modo sed etiam auxit. Toto enim Aduentus tempore abstinebat à carnibus, & ter hebdomadis singulis ieiunabat, die Mercurij scilicet, quòd eo die Iudas Christum Iudæis prodidisset, die Veneris in memoriam Passionis Christi; & die Sabbathi in honorem B. MARIÆ Virg. Totam vero Quadragesimam ceteraq; ieiunia per annum ab Ecclesia indicta,

dicta, inuiolata seruabat. Ætatis suæ anno 17. cum dimidio sub initium Aduentus Domini, in morbum incidit, cum quo sex integris mensibus conflictatus, diem denique clausit extremum 2. Iulij 1387. Atque in hoc extremo vitæ articulo humilitatem, quam semper vnicè adamabat, ostendit; præcepit enim vt si extra ditionem Auenionensem moreretur, deferretur eius corpus Parisios, & in cæmiterio pauperum (quod vulgo S. Innocentij dicitur) vilissimis pannis contectum sepeliretur: si verò mori contingeret intra ditionem Auenionensem in cæmiterio quod iuxta hospitale S. Michaëlis tunc erat. Prohibuit insuper ne plures quam tres cerei in funere accenderentur: victus tandem suorum precibus duodecim dumtaxat adhiberi permisit. Factus est magnus concursus hominum in eius funere, ita vt quisque vel ex eius vestibus, vel ex alijs rebus quibus corpus tegebatur aliquid secum auferre conaretur. Facta sunt etiam, & fiunt quotidie, ad eius reliquias innumera & vota, & miracula, quorum extant apud Cælestinos Auenione præclara monumenta. hactenus ibi.

In hist. Eccl. Belgij. Addit M. Guil. Gazæus D. Magdalenæ apud Atrebatenses Pastor, Sacellum exstructum in oppidulo Espinoy in honorem S. Drogonis & B. Petri à Luxemburgo qui etiam ibi colitur 2. Iulij. fuisse item Guidonis à Luxemburgo, Comitis Paulipolitani filium, Parisijs à prima pueritia studuisse, à Clemente VII. creatum Canonicum Parisiensem, deinde Archidiaconum Carnotensem, & ante annum 20. Episcopum Metensem, postea Cardinalem tituli S. Georgij, obiisse anno ætatis circiter 23. sepultum in cæmiterio S. Michaëlis Auenione, ibique fundatum ab eo Monasterium Cælestinorum Luxemburgensium: & facta duobus dumtaxat post mortem annis 964. miracula: Præclarum de ipso extare testimonium in actis Concilij Basileensis à quo Bruxellis petierit instanter Philippus Burgundiæ, & Brabantiæ Dux, canonizationem B. P. à Luxemburgo Cardinalis & affinis sui, id eius satis exigere sanctitatem & nota miracula.

cula. Eius effigies peruetusta visitur in ęde Cathedrali B. Virginis Cameraci.

§. 32. *B. Margaretæ de Ipris disciplina.*

NEcdum Margareta septennem ætatem attigerat, & manum suam misit ad fortia, punctionemque Christi sedulò recordata, vrticas, & aculeos foliculorum seminis lini in sinu suo ponebat ad carnem. Annorum postea decem animaduertit in Ecclesia, Christum in figura imaginis crucifixum, & dixit: O vere salutis nostræ author IESV Christe, pro te nihil in rependenda vice hactenus feci; & hoc dicens plorauit vberrimè, & statim sola syluam intrauit, exutisque vestibus admodum sese hulso spinisque vsque ad effusionem sanguinis verberauit. Nec hoc semel aut bis, sed sæpissime in recordationem vulnerum Christi cum lacrymis faciebat. Quod cùm aliquando animaduerterent nutritores, & dicerent. Quid te ipsam affligis cùm sis puellula, ac tenera? respondit: Iam parata sum omne genus tormentorum pro Christo pati, si se tempus, vel locus offerret.

Ex MS. vbi Thom. à Cātic eius vita est auctor, repertum in biblio-theca d'Auberti Myræi Canonici Antuerp.

§. 33. *Felicis Virginis durus viuendi modus.*

HÆc annorum erat vix amplius quinque, cùm ex assiduo orandi studio genua haberet camelorum instar (quod de B. Iacobo legitur) indurata. annorum verò vndecim facta, duro renes fune præcingebat, sacco vili ac rigido induebatur: sed funis ille lenior visus est: ferrea catena eius in vicem subijt: triennio toto nonnisi vestibus indutа somnum cepit, saxo ceruical præbente.

R. P. Coociaguerre in Catechismo uitæ spiritualis de eius vita.

§. 34. *Franciscus Borgias pro matre defuncta se flagellis cædit.*

Petrus Ribadeneir. l. 1. vitæ c. 1.

MAtrem decennio maior Franciscus morte amisit.ægro tantis salutem à Deo (si ita placitum esset) postulare, lacrymas fundere, obtestari: ad hęc in cubiculum sine arbitris secedere, flagellis in se ipse ſęuire; suáne sponte, an à pijs hominibus edoctus, non habeo dicere: illud tantùm, præclare iam tum iecisse fundamenta, initiumque fecisse austerioris viæ, quam deinde ad exitum perduxit.

§. 35. *Mira B. Aloysij abstinentia.*

Virgil. Cepartus vita l. 1. c. 6.

QVothebdomadibus Aloysius anno decimotertiò minimum tria seruabat statuta ieiunia, nempe sabbatho honori B. M. Virginis, feriâ sextâ, neci Christi seruatoris nostri recolendæ, quo die solo pane & aqua contentus, manè tribus panis segmentis in aquam intinctis; nulla re præterea: vesperi autem in esurialem cœnam, vno item panis modicè tosti & aqua macerati segmēto victitabat. Feria denique quarta interdum ceteris præter panem & aquam sibi interdicebat. interdum præceptum in Ecclesia ieiunij morem tenebat: accedebant alia extraordinaria ieiunia quæ sponte sibi imperabat, quoties vel tempus admoneret, vel ad ea diuini amoris & pietatis ardore raperetur. prętereа cibi adeo erat modici, vt nonnulli è patris cohorte mirati quînam vitam tueri posset, decreuerint ipso insciente quantum cibi vnâ mensâ caperet, appendere: postquam panem vnà cum obsonio staterâ examinarunt, iureiurando confirmant quod ille prandere soleret vel cœnare, vnciam totam non pependisse, quod pondus adeo non suppeditat consuetę naturæ necessitati, vt fateri necesse sit, quod de

alijs

alijs Diuis accepimus, vitam illi quadam vi diuina esse sustentatam.

§. 36. *Eiusdem corporis afflictiones horridæ.*

TAm seueræ abstinentię, qualem supra commemoraui aliàs, adiungebat Aloysius inflictas corpori pœnarum acerbitates. Singulis hebdomadis minimum ter se flagris excipiebat: pauco pòst tempore quotidie ac tandem intra noctis & diei spatium, vsque eo dum suo se sanguine perfunderet. quia verò principiò contexto in hunc vsum flagello carebat, loris quibus canes alligari solent, quæ fortè domi receperat, aut funium frustis, aut (vt nonnulli asseuerant) catena ferrea vapulabat, qui obsequij causa præ foribus eius excubabant, sæpe se illum nixum genibus, seque ipsum cædentem offendisse, testantur. item dum lectum sternerent, reperiebant sub ceruicali abstrusa flagella funiculis contexta, quibus in se animaduertebat. Matri etiam non semel ostensa sunt eius indusia, sanguine, flagrorum ictibus expresso, penitus imbuta. Horum certior factus Marchio tum aliàs frequenter, vehementer in eum inuectus est, tum aliquando ad coniugem conuersus, hoc etiam mœstus adiecit. Hic puer manus sibi ipsi violentas videtur inferre velle. *Ibidem.*


Faciebat & illud crebrò, vt fragmen aliquod tabulæ, aut alterius ligni, linteis lecticarijs tegeret, quo ipse sibi dormienti molestiam facesseret, ne verò interdiu perpetuo dolore corpus vacaret, pro cilicio quod illi deerat, calcaria (ô rem nouam & inauditam?) ad fodienda equorum latera comparata, nudo corpori admota gestabat, & in mollem suam carnem ferreos illorum radiolos sic defigebat, vt acerbo eam cruciatu torquerent. Hęc ipse annorum tredecim & dimidiati, in

ti, in tam florente & delicata fortuna natus, nullo præceptore.

§. 37. *Germanorum puerorum ieiunium.*

Ex literis Societ. sub Germ. Coll Monachiẽsi anno 1596.

Nonnulli adoleſcentuli in Germania ex eo die quo ſupremam Chriſti cum diſcipulis initam cœnam annua memoria recolimus, adeo ſeuerum indixere ſibi ieiunium, vt quod in adultis ac grandibus mirere, nihil omnino deguſtarint, donec optatiſſima lux aduenit, quam Chriſti excepit reſurgentis gratulatio.



CAPVT XXIIII.

ORATIONIS ET PIETATIS STVDIVM.

CVM inter omnium armorum genera quibus contra communem humani generis hoſtem quotidie nobis confligendum, nullus ſit aries ad tentationum aggeres diruendos oratione fortior, nulla ad eminus iaculandum catapulta vehementior, nullus ad ſui defenſionem, telorumque propulſationem clypeus tutior, nullus ad terrorẽ enſis ſplẽdidior, iure optimo Chriſtianę militię tyrones (triariósne potiùs dicam?) hoc armorum genus ſuo ὁπλοφυλακείῳ paratum ſemper aſſeruarunt, & ſiue tentationum aggerem exſtrueret hoſtis impiiſſimus, exſtructum hoc ariete deſtruebant; ſiue furtiuis inſidiarum cuniculis viam molirentur, latentes dolos hac machina facilè deprehendebant; ſiue aperto Marte, irruentem velut tutiſſimo clypeo propulſabant. Quid enim oratione fortius?

fortius? hac armatus carnis illecebras retundis, periculosas mundi Charybdes euitas dęmonis infestissimi insultus propulsas; quam ego si Herculis clauę comparauero, cuius robore tot leones occubuerunt, tot feræ domitæ iacuerunt, tot vrbes dirutæ ac prostratæ ceciderunt, non tam illustrasse orationis vim hac comparatione, quam eleuasse videbor. Vtantur hoc nobili telo adolescentes, puerorum, quos mox subijciam, imitatione, ad sui defensionem, vtantur grandiores ad hostis propulsationem, vtantur senes ad initæ virtutis confirmationem.

§. 1. Deuotio Samuelis.

SAmuel adhuc puer, erat minister in conspectu Domini, & dormiebat in templo Domini vbi erat arca Dei. 1. Regum 2. & 3.

§. 2. *S. Bernardini propensus in Religionem animus.*

ARas sibi Bernardinus, in teneriori ętate solitus erat domi extruere, & qua poterat exornare: singulis item diebus sabbathinis in honorem D. Virginis, cui erat addictissimus, ieiunabat. *Surius 20. Maij.*

§. 3. *Orationis studium in S. Guidone.*

SVffurabatur adhuc puerulus parentum oculis certas horas, quibus templum oraturus adiret, & infirmis quicquid ex facultatibus suis habere poterat, impertiebat, nec eum hilarem vlla vidit dies, qua non priùs aut in preces incubuisset, aut eleemosynam fuisset elargitus. *Surius 27. Septemb. Melanus de Natal. SS. Belgij.*

§. 4. *S. Thomas quinquennis duas orat horas.*

PVer quinque annorum S. Thomas, cùm in Monasterio Cassinensi traditus esset magistro imbuendus, ab eo importunis precibus extorquere solebat, vt ipsi diceret quid sit Deus? quæ *Surius 7. Martij.*

verò

verò ab illo dicebantur, auidissimè arripiebat: & licet ea esset ætate, iam tum duas & amplius horas quotidie orationi incumbebat.

§. 5. *Psalmis noctes traducit Emericus.*

Surius 4 Nouemb. Emericus somni parcissimus, alijs dormientibus, à secunda ferè noctis vigilia ad lucem vsque Dauidicos psalmos solebat lectitare, lucernis tenebras vincentibus, vt regiam decebat prolem, & ad finem cuiusque psalmi, corde contrito veniam à Deo postulare: quod sanctus eius parens per rimam parietis sępius obseruauit, non sine ingenti de filio spe concepta.

§. 6. *Longa S. Edmundi oratio.*

Surius 16. Nouemb. S. Edmundus Dominicis & festis diebus, ante sumptum cibum, vt erat à matre edoctus, totú puer legebat psalterium.

§. 7. *S. Claræ pietas innata.*

Ex Chron. S. Franc. l. 5. c. 40. S. Clara 4. annos nata nec ampliùs, iam tum non parua pietatis in Deum signa præbebat, nudis genibus cora Christi imagine cruci affixi in preces diurnas profusa.

§. 8. *S. Robertus Malatesta primis ab annis orationi addictissimus.*

Ex ijsdem to. 3. lib. 1. c 53. Qvinquennis erat B. Robertus Malatesta, cùm partem noctis maiorem oratione Dominica percurrenda transigeret, alijsque precatiunculis, quas haud dubiè Spiritu sancto docente didicerat: quam quidem orandi assiduitatem, nec somnus ipse interrumpebat: non rarò enim nutrix dormiēti labella moueri cum animaduertisset, orationem Dominicam cum repetere audiuit, manibus ad pectusculum in crucis formam applicitis; iuxta illud. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* *Cantic. 5.*

§. 9. *Item*

§. 9. *Item S. Malachias.*

HIc, quod templum per diem frequentiùs adire non posset, siue propter assiduam studiorum occupationem, siue ad vulgi laudes vitandas (vanam enim gloriam vt virtutum virus iam tũ detestabatur) statim atque in loco ab arbitris remoto esset, expansis brachijs, in genua se, Deum precaturus, conijciebat. Vicus est ad quem non rarò præceptori suo comes ire solitus, inter eundum sistebat gradum, & expansis in cælum manibus, furtim orationem velut eiaculatoriam emittebat, ac deinde magistrum nihil aduertentem assequebatur. *S. Bernard. apud Suriũ 5. Nouemb.*

§. 10. *S. Martinus, adhuc ethnicus licet, pietati deditus.*

ETsi parentes habuit dæmonolatras Martinus, à primis tamen annis, insitam diuinitus spirabat pietatem. Decem erat annorum, cùm parentibus inuitis, ad Catholicorum cœtum confugit, & cathecumenus fieri postulauit. Mox mirum in modum cælesti amore succensus eremum cõcupiuit; fecissetque suis desiderijs satis, nisi ætatis imbecillitas obstitisset: animo interim aut circa templa aut monasteria occupatus, meditabatur in ętate puerili, quod robusta ætate vir egregiè adimpleuit. Sed cùm edicto Regum iuberentur veteranorum militum filij militiæ nomen dare, prodente patre qui tribunitia potestate auctus erat, quiq; felicibus eius actibus inuidebat, rapitur annum agens 15. & sacramento militari adstringitur, vno tantùm seruo comite contentus, cui tamen versa vice Dominus seruiebat, adeo vt plerumque ei calceamenta ipse detraheret, ipseque detergeret, cibum vnà caperent, hic sæpius ministraret. *Sulpitius eius discipulus 11. Nouemb.*

§. 11. *S. Elizabetha Regis Hungariæ filia S. Ioannem Euangelistam patronum deligit, colitque.*

Surius 19 *Nouemb.* HÆc basilicas Sāctorum ingressa, ante quodlibet altare nunc genua flectere, nunc puellari decentia prosterni solebat, nunc oculos manusque attollere; & si quando inter ludendum (vt fert ætas illa) proximè clausas templi fores accessisset, humi procumbere, & sacra limina crebriùs osculari. Diuum Ioannem Apostolum præ ceteris charum sibi patroni loco delegerat: Ne tamen electionis euentu, vt assolet, incerto, quia sorte agebatur, alium quam Ioannē nancisceretur, præmissa ad Deum prece effecit, vt quem summopere volebat, semel iterumq; ac ter sortiretur: cuius voti compos effecta adeo dilexit coluitque adeptum, vt nihil interposito ipsius nomine, autoritate, meritis, petenti denegandum putaret.

§. 12. *S. Margaretæ admodum pia infantia.*

Surius 28. *Ian.* MArgareta Regis Hungariæ Belę, ac reginæ Mariæ filia, vbi annos tres & sex menses habuit, à parentibus in Monasterium Vesprimiense oblata est, eiusque amore Domina Olympias Comes, quę eius fuerat nutrix, monasticum induit habitum in eodem cœnobio, vt & Deo seruiret, & puellam nobilem custodiret.

Margareta verò in tantilla ætate statim se deuotioni dedit, & preces horarias B. MARIÆ Virginis, intra annum dimidium perfectè didicit, & cum alijs persoluit. Ludos verò pueriles quibus illa solet gaudere ętas, respuens, alijs ludentibus orationi vacabat, immo etiam illas ludere volentes ad precandum pertrahebat. Cùm verò magistra illius à precibus retrahere illam vellet, ne corpusculum grauaret, tamdiu permansit in fletu, donec magistra lacrymis eius victa, liberam ei faceret in precibus perseuerandi po-

di poteſtatem. à ſeptimo ętatis anno, vbicunque videbat ſorores orantes, accurrebat, & orabat cum eis.

§. 13. *B. Petrus Damianus inuento nummo ſacrum fieri curat.*

PEtrus Damianus vtroque iam orbus parente ita malè à fratribus acceptus fuit, vt pane cibiſque corruptis aleretur. perpetuò nudatis pedibus, pannoſus incederet, multis exciperetur verberibus, alendis ſuibus pręficeretur: quā quidem ſeruitutem ſanctus puer ſeruiens, cùm die quadam argenteum nummum reperiſſet, & perinde ac diues repētè factus gratulabundus ac geſtiens quid eo nummo poſſet aptiùs mercari, dulci appetitu puerilem animum ſuauium rerum omnium expertem, per mollia trahente, anceps cogitaret, tandem cælitus afflatus, Quid hæc, inquit, mente reuoluo? horum certè voluptas nequaquam fuerit diuturna. hoc præſtabit tradere ſacerdoti vt ſacra Deo faciat. *Ex l. 5. annal. Hieronymi Rub. hiſtor. Ravennatis.*

§. 14. *Beatricis longæ preces.*

BEatrix (fuit hæc olim Abbatiſſa) ſolebat quotidie annum agens octauum, roſarium integrum, id eſt, 150. Aue maria, flexis genibus euoluere. Verùm id eius domina cum deprehendiſſet, verita ne ob corpuſculi debilitatem morbum ſibi adſciſceret, grauiter eam reprehendit, ſicque quod ore & poſitis genibus factitare ei non licebat, mente tamen agitare non deſtitit. *D'Aſſignies to. 2. in eius vita, ſec. 2.*

§. 15. *B. Thereſiæ pij gemitus, vota.*

INgentem futuræ pietatis ſpem iam faciebat vix ſex annos nata B. Thereſia. æternitatem ſiue pœnarum, ſiue gloriæ proſpiciens, ſæpe repetere hæc verba cōſueuerat: *In æternum, In æternum, In æternum.* Diuæ Virgini fuit addictiſſima, Martyrij cupidiſſima. & annum deinde agens duodecimum, *Ribera in eius vita.*

mum, cùm imaginem Samaritanæ cum Christo colloquentis intueretur in paterna domo depictam, in qua ſcriptum viſebatur: *Domine; da mihi hanc aquam*: vt Dominus ei viuam illam aquam ſpiritûs & gratię præbere dignaretur crebrò efflagitabat: quę poſtea copioſè illi admodum eſt affuſa.

§. 16. *Pietatis ſtudium in Felice Virgine.*

R. P. Caeciaguerre in Catechiſmo, ſeu dialogo ſuper vita eius.

HÆc cùm quinque eſſet annorum delicias ſuas omnes in altariolis inſtruendis ponebat, nihilque priùs habebat, quàm in orationem incumbere, adeoque vt etſi infirma eſſet ætate, tamen iam tum genua haberet camelorum more (quod de D. Iacobo legitur) indurata. Annorum poſtea vndecim eo pietatis ſenſu afficiebatur, vt in auditione verbi Diuini per ſummam voluptatem acquieſceret, ſacros Euangelij codices, Sanctorumque hiſtorias lectitaret; vbi cùm virgines obſeruaret procos omnes ſponſo ſuo IESV poſtpoſuiſſe, & ipſa imitandi ſtudio exarſit, pudoriſq; florem Chriſto côſecrauit: voto nuncupato adeo impensè adamauit cæleſtem hunc ſponſum, vt inter comedendum, aut dormiendum, nihil animo niſi de eo volutaret.

§. 17. *Aſſiduæ orationis ſtudium in B. Aloyſio Gonzaga ſingulare.*

Virgil. Ceparius vita l. 1. c. 1.

VIxdum fari poterat, cùm & ipſamet illum mater manus in ſpeciem crucis ducere, ſanctiſſimum IESV & MARIÆ nomen pronunciare, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, aliaſque preces de memoria dicere condocefaceret. quibus piæ matris ſtudijs factum eſt, vt tantam aduerſus Deum Sanctoſque reuerentiam metumque indueret, vt teſtatæ ſint ancillæ, quibus eum veſtire & exuere negotium erat, ſingularem ſe in eo etiam tum infante religionem

nem, Deique timorem comperisse. neque desunt qui iurati affirmant solo se eius amplexu perinde intimo pietatis sensu affectos esse, quasi cælestem Angelum aliquem brachijs sustinerent: Duo in primis in moribus illi tum fuisse ad memoriam præclara referunt; Alterum quod pauperum egestate moueri se misericordia, & sicubi eos vidisset, benignè eis faciendi cupiditatem ostendebat. Alterum quod vbi primùm solus domum perreptare potuit, non rarò abdebat se in latebras, ac diu quæsitus tandem in solo aliquo loco precibus intentus reperiebatur. quibus ex rebus futuram eius vitæ, sanctimoniam iam tum percipiebant animis. Septennis cùm esset, adeo iubebat ei humi inter precandum procumbere, vt puluinum, aut quid simile genibus subijci nunquam sustinuerit, idque deinde in omni vita solẽne tenuit. Per idem tempus febri quartana octodecim ipsos menses vehementer est exercitus: etsi cùm principiò esset ardentior, postmodum minùs eum lecto attinuit: interea sedatè ferebat eius dolorem, neque intermittebat vnquam, quin officium B. Virginis, psalmos qui Graduales, quique Pœnitentiales dicuntur, & alias statutas preces pronũciaret quotidie. Vbi tamen erat interdum solito imbecillior, accersebat è feminis matris administris quæ subleuaret legentem; vt autem omnino cessaret, adduci nunquam potuit.

Anno ætatis 12. post diuinorum mysteriorum commentationem, plerumque diem clausus delitescebat, ne si quoquam prodiret, aut sensum illum pietatis amitteret, aut à quoquam fleuisse compertus, impediretur. id cùm animaduertissent, qui in eius erant famulatu, sæpenumero per ianuarum rimas quid ageret arbitrabantur. sæpe enim illum videbant cùm ante Christi cruci affixi simulachrum intentis in illud oculis plures conti-

continuare horas procumbens, brachijs interdum expanſis, interdum in crucis ſpeciem ante pectus compoſitis tantam vim lacrymarum profundere, vt foris etiam ſingultus ac gemitus audirentur. ſubinde verò quaſi acquieſcentem ex abducto à ſenſibus animo, ad exemplum ſtatuæ ne deiectis quidem vnquam oculis; immotum perſtare cernebant. Quo tempore moderator ceterique cubicularij illum inibi tam alienum ab omni ſenſu fuiſſe confirmant, vt neque cubiculum tranſeuntes, neque perſtrepentes, eius animum poſſent aduertere. non rarò etiam domeſtici inter conſcendendum ſcalas, in ſingulis gradibus Angelicam ſalutationem iterantem audierunt. Iam verò tum domi tum in publico ſiue rheda veheretur, ſiue pedibus ingrederetur, nuſquam animum à meditatione myſteriorum cæleſtium auocabat.

Cùm erat annorum tredecim & dimidiati, tantæ precandi deditus erat aſſiduitati, vt quidam eius aulæ muneribus functi apud acta ſanctè iurati negauerint vnquam ſe in eius conclauia veniſſe, quin orationi intentum occuparint, ac ſępe priuſquam eius finem faceret, diu ſibi præ foribus manendum fuiſſe. Manè in meditationibus rerum cæleſtium horam ipſam conſumebat: ſub hæc, familiares ſuas preces recitabat, rei pręterea diuinę dabat operam quotidie, & ſæpenumero ſacerdoti miniſtrabat, qua re mirificè ducebatur; inſuper religioſorum eius oppidi hominum cum inter eundum publicè Deum comprecarentur atque laudarent, ſingulari exemplo atque ipſorum fructu cœtibus ſe miſcebat, reliquum diem in libris ſacris volutandis, aut in ſacrorum arcanis conſiderandis, animoque penitus contuendis abditus latebat.

Appetente nocte, priuſquam ad quietem ſe conferret,

ferret, vnam & alteram horam orationi impendebat tanto sensu, nullum vt ei modum statuere posse diceres. Cubicularios qui foris opperiebantur, dum cubitum concedenti seruirent, non modò non tædebat eius moræ sed plurimùm etiam eius exemplo proficiebant ad virtutem. Igitur modò per ianuæ rimas introspiciebant quemadmodum se inter precandum gereret, modò Domini æmulatione & ipsi Deo supplices accidebant. Quid plura? tam multus erat in recessu & rebus sacris cogitandis, vt minimè vanus sit, qui eum continuò mentem in Deum intentam habuisse confirmarit. Idcirco sępe querebatur Marchio ægrè posse illum ab se è cubiculo protrahi, ac Patri Prospero Malauoltæ memorauit, locum in quo se prosternebat ad precandum, sępius se lacrymis irrigatum vidisse. Quid quod non satis habebat interdiu, & sero diei in orationem incumbere, sed eius insuper gratia, de multa nocte clam suis omnibus corripiebat è strato corpus, illisque dormientibus, solo indusio opertus, per tenebras & noctis silentium in medio cubiculi, procul semper ab omni fulcro, genua in nuda figebat humo, & cęlestia mente pertractans; bonam noctis partem conficiebat: neque id solum æstate, verùm etiam brumalibus mensibus, quæ anni tempestas in Gallia Cisalpina frigoribus imprimis aspera est, quibus ita toto corpore cohorrescebat, vt paululùm ab instituta cogitatione auerteretur: id ille vitio sibi vertens tam diu summa sibi vi, vt intento in Deum animo esset, impetrare institit, donec mente iam quodammodo à sensibus distracta, nullo ampliùs doloris frigore tãgeretur. Veruntamẽ sic interea omnib. mẽbris calore vitali fugiente, obriguerat, torpebatque, vt corpus genib. vltra niti inualidũ, eũ neq; sedere, neq; vsquã incũbere obstinasset animo, ad nudũ,

rigidumque solum defluere fineret, atque ita iacens cœptam meditationē prosequebatur. Quare mirum mihi videri solet, quomodo non in grauē aliquem morbum delapsus, aut vi frigoris ambustus extinctusque sit. Ex eo conatu quo id egit: vt inter preces omnes semper animi partes collectas haberet, capitis dolor extitit, qui reliquā deinde illam ætatem vehementer exercuit: verùm ille grauia, ac precipuè similem atq; Christus ex consertę spinis coronæ aculeis cepisset, dolorem perferendi studio non modò nullum ei restinguendo remedium, sed varias potiùs eius fouendi inflammādique vias quæsiuit, ratus eum sibi salutarem esse, quando neque ab suis rebus gerendis quicquā fere eum impediebat, & supplicia Christi redigebat in memoriam, & nonnullius in cęlo præmij merendi causam, dabat. Attamen vsu venit aliquando vt illo dolore solito acerbiùs agitatus, citius quàm consuesset, in lectum se reciperet: pòst vbi rediit in memoriam necdum se eo die pro eo ac soleret septem Psalmos Pœnitentiales recitasse, decreuit nonnisi eo penso persoluto oculos ad videndum somnum claudere. Igitur puerum à cubiculis, candelam pone lectum destituere, atque abire iussit, septem illis psalmis absolutis cum dolore capitis tādem somno oppressus cādelam oblitus extinguere: ea ergo tota absumptâ, ignis cùm vnum lecti latus corripuisset, citra flammam eo vsque perrepsit, seque diffudit, dum vela omnia quę lecticę prętensa erant, vnam culcitram stramineam, ac tres laneas exureret. Dum hæc maxime ignis depascitur, experrectus Aloysius, vbi tantum sensit ardorem, cùm præterea dolore illo capitis grauiter conflictaretur, in animum principiò induxit febri se laborare, sed cùm cetera omnia nihilominus æstuare tactu explorasset, vnde illa vis caloris inusitati orta esset

coniectu-

coniecturâ aſſequi nequibat: & nihilo ſecius denuo tentat obdormiſcere, ſed fruſtra; qua propter cùm æſtu & fumo increbreſcente pene ſuffocaretur, deſilit è lecto, atque aperta ianua puerum inclamat. Vix pedem in limine poſuerat, cùm erũpens flamma reliquum lecti hauſit. id ne tota domus igne conflagraret, exciti milites qui erant in arcis præſidio; in ſubiectas foſſas de feneſtra præcipitant: neque dubium eſt quin ſi vel tantillum lecto egredi moratus eſſet, in anguſto præſertim (vti poſtea vidi) atque id temporis occluſo cubiculo, vel igne conſumptus, vel fumo præfocatus interijſſet. Sed quem æterna Dei prouidentia religioni deſignârat, pro eius capite excubias agens, vt ſæpe aliàs, ita nunc ab omni noxa vindicauit.

§. 18. *Pueri Firandini ad ſignum Angelicæ ſalutationis in genua procumbunt.*

CVm eris ſonitu ſignum ad orationem datur, magna alacritate ad orandum in genua ſeſe prouoluunt etiam pueri qui per ętatem rationis vix dum capaces videri poſſint, parentum ſtudiũ imitãtes. Puella quædam Chriſti ſacramento imbuta, cùm ad vinum afferendum emiſſa eſſet, & dum vinum promptum, fortè ad ſalutationẽ Angelicam ſignum ære campano daretur, ſtatim humi deuolutis genibus preces fundere cœpit, nec ſeſe erexit, priuſquam quinque orationes Dominicas, & totidem ſalutationes Angelicas recitaſſet. quæ res circumſtantes gentiles vſque ad ſtuporem commouit: adeoque vt dixerint, non eſſe alium Deum Chriſtianorum ſimilem, quandoquidem quiſque Chriſtianorum vſq; ad infantes ſuis moribus alijs exemplum pręberet.

Ex Epiſtola Iaponica P. Coſma de Torres anno 1561.

CAPVT XXV.

ORATIONIS PVERORVM VIS.



AGNVM fuit orationis semper apud omnes pondus, vis omnino magna; cuius suaui harmonia Deus illectus plura hominibus concessit, quàm quisquam non dicam sperare, sed ne cogitare quidem potuisset. At quemadmodum in cythara vsu venire solet, vt quæ recentioribus adornata fidibus, nullas cæli humidi passa est iniurias, & peritioris magistri plectro tangitur, gratiores longè reddit sonos, suauiorique harmonia blanditur auribus: ita orationis melos eò gratius Deo, quò à puriori cordi organo procedit, & castioris linguæ plectro pulsata resonat: qualis puerorum esse solet, quorum cordis integritatem nulla macula violauit. Suauior Orphei Amphionísve modulamine, quamuis cantus suauitate flumina cohibuisse, syluas attraxisse, leones mitigasse dicantur. Sirenum cantu potentior, licet ad eius suauitatem nihil desiderari potuisse Poëtæ fabulentur. Nihil oratione ad recreandum amœnius, nihil ad attrahendum fortius, nihil ad demulcendum suauius, hęc Deum suauitate afficit, concentu recreat; hęc iratum mitigat, & componit: hæc adeo diuinam bonitatem versat, vt velut dignitatis suę maiestatisque immemor, solis puerorum orantium votis seruire voluisse videatur.

§. 1. *Salomon sapientiam precibus impetrat.*

3. Reg. c. 3. SAlomon cùm 12. esset annorum iuberetur que à Deo quicquid vellet, postulare; non opes,

opes, non victoriam, non vitam longæuam, sed sapientiam populis regendis petijt: dignus ob id, qui quod dormiens elegerat, vigilans consequeretur.

§. 2. S. Bonifacius oratione vulpem ad restitutionem cogit.

CVm in vestibulo domus puer Bonifacius forte staret, vulpes ex more venit, & Gallinam abstulit: ipse autem concitus ad Ecclesiam intrauit, & se in orationem prosternens apertis vocibus, dixit: Placet tibi Domine, vt de nutrimentis matris meæ mãducare nõ possim? ecce enim gallinas quas nutrit, vulpes comedit. qui ab oratione surgens Ecclesiam est egressus: mox autem vulpes redijt, gallinam quam ore tenebat, dimisit, atque ipsa moriens, ante eius oculos in terram cecidit. exauditus verò est puer simplex & sanctus in rebus vilibus, vt in paruis disceret, quantum de Deo præsumere in magnis petitionibus deberet. *D. Greg. l. 1. dial c. 9.*

§. 3. S. Patricius fusa prece dura seruitute liberatur.

SAnctus Patricius cùm esset puer annorum tredecim, cum ceteris alijs multis captus, ad barbarorum insulam deuectus est, & apud quendam inmitem regem gentilem in seruitute detentus: quam captiuitatem sanctus Patricius secundum Psalmistæ pręceptum, cum tremore & timore Domino seruiens, in vigilijs & orationibus multis exegit, centies enim in die & nocte similiter orabat, libenter reddens quę Dei sunt, Deo; & quæ Cęsaris Cæsari, incipiebatque semper in meliùs timere & amare Dominum omnipotentem, vnde & Spiritus sancti gratia feruebat in eo: quotidie autem pascebat pecora cum ceteris seruis Regis, nec tamen quicquam minuit de opere diuino: frequenter enim psalmos *Beda in vita S. Patricij l. 1.*

 & hym-

& hymnos ruminabat, & ad venias faciendas furabatur horas, vnaquaque die laborabat ad opus Dei, & noctibus similiter; proprio non parcens corpori: ita vt in syluis & montibus manēs, ante lucem absconsè surgeret ad orationem: per niuē enim & gelu, per pluuiā & pruinā laborans, nihil mali sentiebat, neq; vlla pigritia erat in eo. In tali ergo labore positus quadam nocte in somnis audiuit vocem dicentem sibi: Bene ieiunas & oras; citò iturus es ad patriam tuam. Deinde post paruum tempus, audiuit vocem dicentem sibi: Ecce nauis tua parata est; & ita inuenit manè, vt dictum est ad eum: cucurrit igitur manè contra mare 200. millia passuum, vt veniret ad nauem; & venit vbi nunquam antea fuerat; nec vbi notum quemquam habebat, relinquens homines cum quibus fuerat captiuus septem annis. Sic ergo currens in virtute Dei, qui viam eius dirigebat, nihil metuebat, donec veniret ad nauem sibi à Deo præparatā. & ipsa die qua venit profecta est nauis de loco suo.

§. 4. *Puer ad matris tumbam orans, eam ex purgatorio educit.*

Speculum ex dist 9. §. 143.

QVidam Episcopus deuotus vidit in somnis puerum piscantem de puteo, cum hamo aureo, & linea argentea, & inde pertrahebat vnam pulchram mulierem. Et Episcopus euigilans, vidit eundem puerum in cæmiterio super vnam tumbam orantem, & quæsiuit ab eo quid faceret. Respondit, Pro anima matris dico. *Pater noster*, & *Miserere*, Intellexit vir sanctus quod anima illius mulieris liberata esset à purgatorio precibus illius pueri, & *Pater noster* esset hamus aureus, & *Miserere*, esset linea argentea.

§. 5. *S. Margareta Hung. in tenebris solem lucentem efficit.*

QVadam die cùm nonnisi decem esset annorum Margareta inueniens iuuenculas virgines ludentes in valetudinario, & propter obscuritatem tenebrosi temporis parum aut nihil videntes, dixit eis: Vultis vt faciam vobis apparere solem? illis desiderantibus, sed impossibile putantibus, indicauit locum quendam digito satis propinquum, & dixit eis: Ibo vsque ad locum illum, & antequam reuertar à vobis videbitis solem clarè lucentem: iuit & orauit; & statim sol apparens, & clare lucens totam domum illuminauit. Quodam tempore cùm circa mediam noctem esset in ambulacro, quod est ante dormitorium sororum, & de cælestibus cogitaret, apparuerunt ei sol & luna, lucentes in medio cęli. *Surius 28 Ianu.*

§. 6. *S. VVinwalocus oratione crus puero fractum restaurat.*

CVm S. Winwaloci condiscipuli (vt solet indomita puerorum ętas) per agros cursitantes sese oblectarent, ecce vnus ex illis sibi crus frangit: at pius puer Winwalocus hortatus est eos ne turbarentur, sed toto pectore in preces ad Deum fundendas incumberent: non enim difficile est, inquit, illi crus fractum reformare qui intra matris viscera, totum hominem formauit. Dãt se precibus cuncti, & sanctus Puer. Domine omnipotens, inquit, qui claudis gressum restituisti, audi preces quas tibi deferimus, & tua inuisibili medicina, huic fratri nostro pristinam restitue incolumitatem. Sic orauit, & salutari crucis signo plagæ locum vndique [illegible]consignans, dextram eius apprehendit [illegible] & dixit clara voce: In nomine Domini [illegible] nostri IESV Christi surge, & Deo gratias age. Ad hanc ille vocem tam surrexit incolumis, vt *Sur. to. 1.*

vt nec veſtigium vllum fracti cruris appareret. rogabat quidem Winwalocus eos qui aderant, vt hanc rem apud ſe tacitam haberent; ſed Deo volente, producta eſt in publicum.

§. 7. *Ventis mutatis rates Oceano demerſas S. Cuthbertus ad littus reuocat.*

V. Beda in eius vita. c. 3.

DEuotus Domino puer Cuthbertus ſicut ipſe familiaribus ſuis atteſtari ſolebat, in anguſtijs ſe vallantibus, orans Dominum Angelica meruit opitulatione defendi: necnon etiam pro alijs in periculo conſtitutis ſæpe exaudiebatur. Eſt monaſterium non longe ab oſtio fluminis Thini ad meridiem ſitum, tunc quidem virorum, nunc mutato (vt ſolet) per tempora, rerum ſtatu, virginum Chriſto ſeruientium nobili examine pollens; qui videlicet famuli Chriſti, dum ligna monaſterij vſibus per memorati alueum fluminis de longè ratibus veherent, iamque è religione eiuſdem monaſterij vehendo aduenirent; ac rates ad terram educere conarentur, ecce ventus ſubitò ab occaſu intempeſtiuus aſſurgens, abripuit rates, atque ad oſtium fluminis trahere cœpit; quod videntes è monaſterio fratres, emiſſis in fluuio nauiculis, eos qui in ratibus laborabant, adiuuare nitebantur; ſed vi fluminis ac ventorum violentia ſuperati, nequaquam valebant: vnde facta deſperatione humani adiutorij, confugerunt ad Diuinum, egreſſi namque de monaſterio, & labentibus in Oceanum ratibus, collecti in proxima abice flectebant genua, ſupplicantes domino pro his quos in tantum mortis diſcrimen iam iamque irruere cernebant: ſed prouiſione diuina ſatis diu precantium vota ſunt dilata, vt videlicet quanta eſſet in Cuthberto virtus precandi, pateſceret, ſtabat enim in altera amnis ripa vulgaris turba non modica

modica, in qua ſtabat & ipſe, quæ cum à ſpectantibus cum triſtitia monachis raptas porrò cerneret rates, adeo vt quaſi qūinque aues paruulæ (quinque enim erant rates) vndis inſidentes, apparerent, cœpit irridere vitam conuerſationis eorum, quaſi meritò talia paterētur, qui communia mortalium iura ſpernentes, noua & ignota darent ſtatuta viuendi. Prohibuit probra deridentium Cuthbertus: Quid agitis, inquiens, fratres, maledicentes his quos in lethum iam trahi videtis? nonne melius eſſet & humanius Dominum pro eorum deprecari ſalute, quàm de illorum gaudere periculis? at illi ruſtico & animo & ore ſtomachantes aduerſus eum, Nullus, inquiunt, hominum pro eis rōget, nullius eorum miſereatur Deus, qui & veteres culturas hominibus tulere, & nouas qualiter obſeruare debeant nemo nouit: quo accepto reſponſo ipſe oraturus Dominum genua flexit, caput in terram declinauit, ſtatimq́ue retorta vis ventorum rates cum his qui ducebant gaudentibus integras ad terram eiecit, & iuxta ipſum monaſterium in loco opportuno, erubeſcētibus de ſua infidelitate ruſticis, & Cuthberti virtutem deprædicantibus, depoſuit.

§. 8. *Procellam ingentem ſedat S. Clarus.*

CVm ſanctus Clarus adhuc puer, vltra Rhodanum matrem ſecutus fuiſſet, vt oſſa B. Ferreoli veneraretur, idq́ue faceret impenſiùs ad plures horas: adeo interea creuit fluuius, vt nocte appetente domum redituris non leue imminēret periculum: vix enim nauem conſcenderant, cum adeo ſæuire tempeſtas cœpit, vt de omnium vita conclamatum eſſe, ipſi nautę faterētur. Sed puer ſanctiſſimus ad baſilicam B. Martyris cōuerſis brachijs has cum lacrymis effudit voces: Deus pro cuius nomine Martyr Ferreolus mortē ſuſcepit, ſubueni nobis in periculo poſitis. *Surius 1. Ian.*

Vix

Vix verba protulerat, & Rhódanus mitior nauim leui impulsu ad littus optatum transmisit; quo periculo erepti, Deo gratias egerunt, pueri fidem mirantes.

§. 9. B. Aloysij preces haud vnquam irritæ.

Virgil. Ceparius vita l. 1. c. 6.

ALoysius Gonzaga cùm annorum esset 13. & dimidiati, tantum diuinæ voluntati confisus est semper, vt ipsemet aliquando non sit veritus profiteri (quod sanè portento simile est) nihil se vnquam magnum, nihil mediocre à Deo irritis precibus poposcisse; neque vllum negotium quãuis implicatum, aliorumque opinione desperatum atque perditum, quod eius prouidentiæ commiserit, non ex animi sui sententia confectum esse; adeo diuina benignitas semper eius orationi paruit.

Simile de S. Dominico legimus.

Vide p. 2. c. 32. §. 3. & §. 7. vide etiam p. 3. c. 9. §. 2. & p. 2. c. 1. §. 5.



CAPVT XXVI.

REVELATIONES, VISIONES, ECSTASES.

NEGABAT Philosophorum princeps Aristoteles cum Dijs vllum esse posse hominibus commercium, Diuinæ naturę dignitatem nobiliorem, quàm vt se abiecto vilique hominum consorcio admisceret: quod idem Poëtam indicare voluisse crediderim cùm caneret, *Non vacat exiguis rebus adesse Ioui.* Sed qùàm cælo toto vterque aberrârit diuinus

nus in homines amor fidem facit, carnis humanę onus à Deo assumptum testatur, innumera singularis bonitatis monumenta comprobant. Spectabat Philosophus sublimem Dei naturam, insertum humilitatis prototypon nesciebat; intuebatur abiectam hominum conditionem, diuinum in homines amorem non aduertebat: qui si hodierno die ab inferis excitatus viueret, eo libentiùs palinodiam caneret, quo frequentioribus vel puerorum cum Deo conuersantium exemplis conuinceretur. Videret enim pueros in hac calamitatum valle, supremo ferè beatitudinis monte considere; inter homines commorantes, medijs Angelorum choris interesse, præuia futurorum cognitione donari, cęlesti conspectu ac diuino amplexu, quotidie honorari, nec tam terræ incolas, quàm cęli alumnos, ob frequentem cælestium conuersationem, nuncupandos.

§. 1. *S. Catharinæ Senen. raptus, reuelationes, ecstases.*

NEcdum sextum ętatis annum expleuerat, Catharina, cùm rediens ab ædibus sororis suæ Bonauenturę, ad quas à matre missa fuerat cum fratre suo Stephano, vidit in aëre supra verticem templi fratrum S. Dominici thalamum elegantissimum, regio splendore compositum, & in illo Christum in throno imperatorio sedentem, indutum Pontificio habitu, & in capite ferentem thiaram qualis est Pontificum Romanorum. Aderant illi Petrus, Paulus, & Ioannes Apostoli. Huc puella defigens oculos, Christum amantissimè contemplabatur, vicissimque Christus suę maiestatis oculis in eam defixis blandissimè subridens, extentâ super eam dextrâ, expressoque crucis signo illi benedixit: mox ipsa spiritu rapta, sui itineris prorsus oblita est; immotaque per- *Surius 29. April.*

mansisset,

mansisset, non modò tunc, sed & aliàs sępissime, in tantilla ætate, in via publica, nisi ab alio tracta fuisset, vt incursantibus cederet: Stephanus autem puerulus aliquo vsque progressus, & sororem non sequi aduertens, regressus, hærentem vocat, inclamat, sed frustra, donec manu trahentis abducta quasi e graui somno euigilans, auocatis parumper oculis,ô si videres, inquit,quæ ego video! ab hac melliflua visione neutiquam me reuocares:referensque oculos ad cęlum nihil deinde vidit eiusmodi.

Per idem etiam tempus vitas SS. Patrum Ægyptiorum, quorundam item aliorum, præcipuè verò S.Dominici,didicit,non ab vllo homine,sed sola reuelatione diuina, tantusque mentem eius cepit ardor illas imitandi, vt nihil aliud posset animo voluere.

Quid ecstases eius commemorem? In ea ipsa tenerrima ætate, cum solitudinem magno Patres Ægyptios imitandi desiderio,valde expeteret,excedit tandem ex vrbe, vnicum tantum asportans panem,& paululum progressa, vt nullas videt illic coniunctas ædes, putat se in deserta recessisse; sub prominentem ergo rupem succedit, non procul inde: mox orat feruentissimè, & ecce sensim à terra vsque ad speluncæ fornicem attollitur,sicque vsque ad horam nonam permanet: verita verò in hoc dæmonis artes & insidias, impetrat à Deo terræ restitui,& simul cum corpusculi imbecillitas itineri non sufficeret conficiendo,Deo se commendans, breui temporis spatio in ipsam ciuitatis portam per aëra se delatam conspicit.

Eleuatur à terra.

§. 2. S. Petrus Cælestinus cælitum consuetudine gaudet.

Surius 19. Maij.

ERat puer iste simplicissimus adhuc, & iam primùm breui in tempore psalterium didicerat le-

rat legere, cùm Beatissimam Virginem & Sanctum Ioannem Euangelistam stantes iuxta crucem IESV sæpe videret. Visus est ad ipsum descendere, eumque consolando, psalmos cum ipso dulcissimè cantare, Angelos quoque de cælo lapsos velut Pædagogos suos eum instruẽdo, vidit in somnis sibi assistere. & si quid fortè puerili more cum coætaneis minùs decens facere cepisset, suaui cum increpatione, piaque castigatione corripere.

§. 3. *S. Brigitta B. V. MARIAM habet sibi familiarem.*

CVm septennis ferè esset Brigitta, vidit quodam tempore euigilans, è regione lectuli sui altare, & super illud Dominam indutam vestibus splendidis, & in manu ferentem coronam magni pretij, ipsique dicentem: Brigitta, veni. surgenti illi, & ad aram properanti, Dixit Domina: Visne habere coronam hanc? illa annuente, imposuit eam capiti eius, ita vt sentiret puella caput suum tanquam circulo quodam ambiri: sed cùm ad lectulum redijsset, visio illa disparuit, cuius tamen nunquam potuit obliuisci. *Surius 23. Iuly.*

Cùm duodennis item esset, cum puellis coætaneis acu pingebat, animo autem anxia, ita vt operi intendere non posset, oculos mentis ad Deum referebat: ecce autem visa est illi assidere virgo quædam ignota, eamque in opere adiuuare, interrogata deinde quænam ipsi assedisset, respondit se neminem vidisse: at matertera eius, opus quod tum præ manibus habuerat non ab illa tam tenera puella, sed diuinitus potiùs elaboratum considerans, inter reliquias fideliter illud asseruauit.

§. 4. In-

§. 4. *Ingens de puero Constantinopolitano in cælum rapto, prodigium.*

Nicephorus l. 14. c. 46. ex quo Rader. in Aula S. Theodosij.

QVo tempore sex totis mensibus assiduo laborauit motu irrequieta tellus, orbemque concussit vniuersum, adeoque vt Constantinopolis metu examinata, & sedibus propè suis conuulsa, Theodosius Imperator priuato schemate, nudus pedes, Patriarcha, populusq; vniuersus deserta vrbe in campum egressi dies noctesque numini flectendo supplices sternerent preces; ecce spectantibus cunctis puer occulta vi Numinis raptus; sublimis abit: trepidant pauentque vniuersi, ingeminantque vnà omnes solenne illud κύριε ἐλέησον. Redditus è cælo post horam puer eâdem qua ascenderat via, audisse dixit à cælestibus musicis hymnum trisagion, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis.* Præcepitque vt nihil adderetur. Proclus Patriarcha odarium auditum statim ab vniuerso populo reuocari iussit, firmauit ea vox trepidam terram. Puer hymno trisagij pronunciato mox defunctus; spiritu ad beatorum sedes rediјt. Corpusculum in S. Irenes æde conditū. Theodos. & Pulcheria tanto attoniti miraculo, edicto sanxere, vti ter Sancta hæc ode vbique terrarum caneretur. recepitque Ecclesia hymnum; sicque Deus per puerum nos hymnum hunc docuit.

§. 5. *S. Clara de Monte-Falco Virginis Matris, & suauissimi IESV fruitur aspectu.*

Ex Chron. S. Franc. l. 5. c. 40.

CLara cùm ardentissimis orationum studijs incumberet, vidit Virginem Matrem cum puerulo IESV, ridente & ludibundo vultu, qualis est infantium inter matrum brachia perreptantium. Tum cæli Regina ad filiolum: Amplectere fili sponsam tuam. Puella ingenti amoris vi propè eum tenebat, sed elapsus sinuosa se ve-

ste matris contexit, & simul visum abijt ex oculis; sed non ex corde Virginis amor cælestis, & sanctioris vitæ desiderium: assiduis enim inde se precibus dare cœpit, atque adeo vt diebus noctes coniungeret, nunc genibus nudis aduoluta, nunc brachijs velut in crucem expansis, nunc etiam ore ad terram applicito. Sexennis tum erat nec eo maior.

§. 6. Pueris duobus facta visio, de translatione corporum SS. Marcellini & Petri facienda.

CVm quidam puer Ratleici, iubente eo, officio vespertino cōpleto, ceteris exeuntibus solus in Ecclesia remansisset, & clausis ianuis iuxta illa sacra corpora in parua cellula quasi vigilaturus consedisset, subitaneo somno depressus vidit quasi duas columbas, per dexteriorem absidæ fenestram intrare, & in culmine tecti supra ipsa Sanctorum corpora considere, quarum altera tota alba, altera cani & albi coloris permixta, varia videbatur, cumque in eodem culmine diutius deambularent, & consuetum columbis gemitum vicissim veluti colloquentes ederent, rursus per eandem fenestram egressæ non comparuerunt, sequutaque vox super caput pueri sonuit: Vade inquit, & dic Ratleico, vt indicet Domino suo, quia isti SS. Martyres nolunt vt eorum corpora in hoc loco requiescant: alium enim elegerunt, ad quem celeriter migrare dispositum habent. Huius vocis author ab eo videri non potuit: qua tamen finita euigilauit, somnoque excitus, reuerso ad Basilicam Ratleico, quid vidisset indicauit. Cuidam item ex pueris Eginhardi nomine Rudlando, per quietem visi sunt duo iuuenes qui ei de transferendis Sanctorum corporibus multa Eginhardo dicenda mandarunt, & ad quem locum, vel qualiter id fieri deberet ostenderunt.

Ex Eginhardo Baron. to. 9. anno 826.

§. 7. S.

§. 7. S. Aldegundis variæ visiones.

Ex historia Hualbaldi Elnonensis, qui ob it anno 930.

ALdegundi regali ex progenie procreatæ in puellari ætate multa sunt ostensa, & patefacta diuinitus: nam Christum vidit formosissimi figurâ pueri, candidam stolam, & palmam sibi afferentem, atque amantissimè tribuentem: quin & vocem audiuit, ne alium sibi quàm Dei vnigenam filium desponderet, suauiter præmonentem: die quodam aspexit, & agnouit Angelum se hortantem, vt in virginitate permaneret; eidem puellæ apparuit iter facientis habitu, quæ se à Deipara missam affirmauit, & illius nomine eorum quæ cuperet, dedit optionem. At virgo sapiens, & de prudentibus vna, id se optare respondit, quod esset Christo gratissimum. Vidit aliquando Apostolorum Principem; vidit Angelos: & quo altiùs se euectam cernebat, tanto semper se gerebat sancta virgo submissiùs.

§. 8. De pueri cuiusdam vigilantis mirabili visione.

Petr. Venerab. l. 2 c. 17.

ANno quo hæc scripsi (inquit Petrus) vigilia natalis Domini, nocte scilicet qua, *Sanctificamini hodie*, cantatur, iacebat puerulus quidam monachus ante sacros matutinos in fratrum dormitorio, & nescio quid meditans, dormire non poterat: & ecce post aliquantum processum noctis, vidit venerabilis vitæ fratrem Aichardum nomine, qui eiusdem Monasterij Prior fuerat, & ante paucos annos vita excesserat, per gradus dormitorij ascendentem sibi appropinquare; erat verò iam dictus puerulus fratris eius filius: venit ergo & in scamno ante lectum pueri constituto resedit: erat cum illo & venerandus ille Dominus Prior Guillelmus, & ipse similiter defūctus, neutrum tamen eorum dum viuerent, puer viderat: sed ex his quæ ab eis audiuit, absque vlla eos, ac si vi-

si vidisset, dubitatione cognouit. morati sunt & collocuti ad inuicem aliquamdiu, puero audiente, quousque Domino Guilielmo recedente, solus frater Aichardus ante illum, vt dictum est, sedens remansit, qui ad puerum conuersus, hortatus est eum vt surgeret, & ad mira quædam videnda vsque ad fratrum cœmiterium cum eo procederet: respondit ille, timore, qui eum inuaserat, Patris sui familiari collocutione iam ex parte sedato, non posse fieri quod monebat; sub custode se esse, timere ne si eum aliquis præter morem egredientem videret, dira flagella subiret, nec ipse inter multiplices plagas sibi adesse valeret. Ad hęc illo dicente nihil sibi esse timendum, credendum esse patruo, optime se ne quid mali ei inde contingeret, prouisurum, saluum & incolumem ducturum ac reducturum: adiunctus est puer in sententiam: surgens ac se regulari more induens, præcedentem sequutus est: duxit autem eum per claustrum maius, in claustrum infirmorum indéque ad cœmiterij ostium; quo aperto, statim vlterius processerunt, & ecce conspicit puer totum cœmiterij ambitum sedibus innumeris refertum, ac supra sedes illas, viros schemate monastico indutos sedere: dixerat autem illi patruus & sibi inter alias sedem seruari, in qua statim aliorum modo veniens resideret. Indicauerat etiam querelam in conuentu illo de se futuram, propter quam necesse esset se exurgere, & ad vocantis iudicium properare. Monuerat insuper, vt in illo examinis interuallo eandem sedem puer occuparet, nihilque metuens sibi vsque ad reditum conseruaret; quod & sic factum: ingressus namque frater Aichardus cum puero conuentum illum, mox in sede sibi parata resedit. Ortus est statim clamor, & à quodam circumsedente querela deposita, quod idem frater tardus illi suo conuentui occurrisset:

Surrexit ille confestim,& ad satisfaciendum more monastico in medium processit, quo facto puer, vt monitus fuerat, surgens constanter in sede eadem resedit. obtinet autem medium cęmiterij locum structura quędam lapidea, habens in summitate sui quantitatem vnius lampadis capacem, quæ ob reuerentiam fidelium ibi quiescentium, totis noctibus fulgore suo locum illum sacrum illustrat. sunt & gradus per quos illuc ascēditur, supraque spatium duobus vel tribus ad standum vel sedendum hominibus sufficiens. ibi sedem cuiusdam magni & reuerendi iudicis, supraque ipsum sedentem puer dum conspiceret, vidit iamdictum fratrem Aichardum ante ipsum velut pro satisfactione prostratum. Quid dixerit, quid ei respōsum fuerit, intelligere, licet multum nisus, non potuit: Clare autem idcirco cuncta videre poterat, quia quædam maxima claritas absq; subsidio humanorum luminum totum illud illius cęmiterij spatium illustrabat: modico temporis interuallo transacto, sæpe nominatus Frater ad locum proprium redijt, & puero sibi cedente, atque ad eius pedes residēte, sedem suam recipit. Parum intercesserat, & ecce puer cōspicit totum conuentum illum de sedibus suis exurgere, & nō ad illam per quam ingressus fuerat portam, sed ad aliam quandam tendentem, ad exitum festinare. Antequam tamen egrederentur, conspexit multum ignem proximè ante ipsam portam accensum, per quem, vt referebant plurimi ex illo agmine transeuntes, alij diu in illo morabātur, alij citò transibant. Hæc tamdiu vidit, quousque portam illam omnes excesserunt. Remansit autem post tantum spectaculum solus puer cum patruo: quem patruus vt promiserat, per viam, qua venerat, reducens, cum eo Fratrum dormitorium ascendit, eumque vsque ad lectum proprium prose-

prosecutus statim disparuit.

§. 9. *S. Theodori visum.*

NEcdum annorum erat 12. Theodorus cùm in S. Martyris Gemelli templo domui suæ propinquo, noctem transigens vidit se quodammodo apud regem adstare, cùm magna interesset militum copia, & mulier adesset purpura ornata: audiuit autem ipsum Regem ita se alloquentem. Strenuè pugna, Theodore, vt perfectam in cælesti militia mercedem accipias. Ego insuper in terra quoque te coram hominibus gloriosum & illustrem reddam. his auditis, somno solutus est, & Christi regis, quem viderat, adhortatione incitatus, cœpit ad præstantiora salutique coniunctiora contendere. *Surius 22. April.*

§. 10. *Puellæ duodenni B. Virgo apparet, sacellumque sibi erigi iubet.*

ANte annos circiter centum iacta fuere fundamenta sacelli Diuæ Virginis Salutiferæ, & quę à curatione nomen habet, vernacule *de Garason*, corrupto Gasconum (à quibus non longè distat) vocabulo, pro *Guerison*, ob multitudinem curationum quę isthic contingunt. Originis hæc causa. Puella quædam duodennis agebat pecudes sedens ad caput fontis, qui deinde fornice tectus est, ad pedem altaris eiusdem sacelli. & ecce Virgo MARIA Virgunculæ apparet, dicens: Adi patrem filia mea, eique meis edicito verbis, vt Consules Montis-leonij admoneat de sacello hic mihi extruendo, id mihi esse in votis. Territa licet puellula, respondit ituram se libentissime, rogare tamen vti frustulum panis quod lineo sacco, ad famem depellendam condiderat, asseruare dignetur, accepta vtrimque conditione patrem de re tota facit certiorem. & hic Consules adit, quid habeat exponit. sed ei (quod puellulę *Ex lib miracul D.V. Salutifera.*

tantùm narrationem afferret) creditum non eſt; donec iterum à Diu. Virgine miſſa puella, cùm rogaretur panem à patre qui tum oppidò eſuriebat, ad fontem accurrit, depoſitum receptura: vbi rurſus de patre ſuo mittendo, vt priùs, admonetur: interea tamen ad marſupium accedens, loco fruſtuli panis atri panem ſimilagineum reperit; ſtupens ergo currit ad patrem, hic ad Conſules, qui vltra nil differendum rati, cruceque illic defixa, ſacellum condiderunt, vbi multa quotidie eduntur miracula.

§. II. *Edmundo IESVS nomine ſuo in fronte inſignitus, apparet.*

Surius 16. Nouemb. IBat apud Oxoniam per prati vernantis planitiem, ſodalium deſiderio vt ſe accomodaret Edmundus, verùm ne nugis puerilibus cordis puritatem vel leuiter inficeret, ab illis ſe ſubduxit, & ecce puer IESVS, *candidus & rubicundus*, qualem deſcribit ſponſa, ei ſe videndum præbet, eumque ſic prior alloquitur: Salue dilecte mi. Admiratus eſt ille ignoti pueri vocem. IESVS tremefactum cernens, rurſus compellat. ſciſcitatur num vel tenuem ſui habeat notitiam: reſpondet ille columbina ſimplicitate, neque ego vllam tui habeo notitiam, neque me tibi eſſe notum puto. Tum puer IESVS: Et quînam, inquit, fieri poteſt, vt tam ego tibi ignotus ſim, cùm in ſcholis ad latus tibi aſſideam, & vbicumque ſis, comes ſemper indiuiduus tibi præſto adſim? addiditque: Reſpice in faciem meam, & vide quid ibi ſcriptum ſit. Reſpexit ille, & vidit cæleſtibus exaratum literis, IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. quod cùm puero IESV, iudicaſſet, ille reſpondit: Hoc eſt nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, eiuſque ardere

Cantic. 5.

deſide-

desiderio, semperque imprimere fronti tuæ, quod tibi alijsque qui idem fecerunt; magno erit aduersus mortem repentinam præsidio. His dictis abijt ex oculis, sed non ex pectore, in quo non parum suauitatis reliquit.

§. 12. *D. Virgo Ioanna indicat ordinis fundationem.*

IOanna filia Ludouici XI. & vxor Ludouici XII. soror Caroli VIII. Regum Franciæ, Ducissa Bituriensis, cùm esset annorum tantùm quinque, & valdè addicta B. Virgini, orauit eam aliquando vt sibi dignaretur indicare quid eius placito gratum facere posset: cumque hanc orationem iteraret, visa est. sibi audire à Matre Dei: Ante mortem tuam fundabis religionem vnam in mei honorem, nihilque eo gratius mihi poterit accidere. Quæ verba tantùm in eius animo pondus habuere, vt nihil aliud deinceps agitaret animo, quàm de medijs inquirendis hoc tandem exequendi, atque ita fundatrix extitit ordinis B. Virginis, quæ ab Annunciatione nomen habet.

Fr. N Gazaus ord. S. Francis in eius vita.

§. 13. *In altum eleuatur S. Lucas.*

S. Lucas quando preces ad Deum transmittebat pedes eius cubitum vnum à terra dissiti, nullique fulcro innixi videbantur.

Ex Menæis 7. Febr.

§. 14. *Bifaria Guilielmi visio, seu Tartarum, seu cælum intuentis.*

GVilielmus puer in Anglia crucifixus est à Iudæis in die Parasceue, in vrbe Norwico, de quo talis visio legitur. Puer quidam nomine Guilielmus annorum 15. dormiens vidit virum splendidum, dicentem sibi: Sequere me; & cœpit mox vmbram videre tetram à læua, sed ex leui visione ductoris sui confortatus est: Dehinc

Vincent. in Spec. histo-riali l. 2[illegible]. Ex Chron. Antoninus 2. p.

vallem vidit tenebrosam, habentem, hinc ignem, illinc aquam frigidissimam, vbi animæ de vno in alium semper transibant: post deduxit ille senior splendidus puerum ad alia tormenta, vbi vidit sedilia infinita ignea, & plebem innumeratam eisdem sedibus impleri; & dæmones monetam flammeam de sacculis proferebant, & in ora singulorum proijciebãt, quam illi per fauces & guttur eijciebant, sed dæmones iterum in ora reingerebant; postea vidit à dæmonibus carnes quæ perfecti hominis formam habere videbantur, in caldarias proijci, & sub momento quasi mox nati infantes, apparebant. Hę fascinulis ignitis à caldarijs extractæ, statim in priorem statum transformari videbantur, & sic sæpius in caldarijs retorquebantur. Ductus inde ad alium ignem vidit innumeros hominesin eum proiectos, in singulis iuncturis dissolui, & iterum eis de flamma ereptis, ad loca sua reuersę sunt iuncturę. postea vidit multos super rotas volubiles affigi, & omnes clamabant: Væ, Væ; post hæc vidit multos super sedes igneas quasi fures in cãpo suspẽsos capitib. deorsum, quorũ alij frigore moriẽtes, vestes subterpositas videbãt, sed tangere non valebant: Alij fame cruciati cibos delectabiles subterpositos tangere non poterant: Et in quacunque necessitate positis alijs non subuenerant, in eadem nullam consolationem recipiebant. Postea vidit tartarum apertum, qui videbatur in descensu profundior quàm sit longitudo vię à Dorobernia in Londoniam: ibi hostis antiquus sedebat in medio flammę in sex partes distentus.

Cùm autem puer staret iuxta oram putei tremens, teter spiritus qui sinistro lateri eius semper ab egressione domus adhærebat cœpit eum accusare dicens: Omnia praua huic puero semper suggessi. ea verò, quæ puer confessus fuerat ante pascha,

cha, (nam post pascha accidit) hoc omnino tacebat. tot tamen & tanta crimina illi obiecit, vt ad æternam damnationem sufficere crederentur. tunc ad admonitionem ductoris, cùm puer signo crucis se muniret. puteus non comparuit. Ductore verò illo recedente, puer diu in tenebris stetit tremens. Reuersus autem ductor puerum ad lucidum splendorem duxit, & statim apparuit murus infinitę longitudinis & latitudinis in quo nullus patebat aditus. venietes illuc in momẽto vltra se raptos inuenerunt. In patria illa desiderabili apparuit domus rotũda, quę duodecim portas habebat, sicut in Apocalypsi est scriptum: Ab oriente portæ tres, ab Aquilone portę tres, & ab Austro portæ tres, & ab occasu portæ tres. Hanc ingressi tam amplam viderunt, vt quotquot in mundo sunt, decimam partem eius implere non possent, ibi multos in magna gloria videbat, sed erant alij alijs gloriosiores. Tunc videt decem beatorum cateruas, veniens autem ad orientalem portam, circa medium ostij vidit altare quoddam circa quod viri splendidi sedebant, qui omnes tanquam vni præstantissimo famulabantur: ille coronã habebat in capite duodecim crucib. aureis insignẽ. Puerum in hac visione lætatem alloquitur ductor suus, dicens: Hic tibi locus erit si benevixeris: sciasque hunc esse puerum Guilielmum quem Iudęi apud Norwicum crucifixerunt. recedẽte ductore mox ad corpus licet renitẽs spiritus reuersus est. In secunda feria circa nonam dormire cœpit, in tertia feria circa tertiam in faciem se erigens signauit se, quando scilicet tartarum vidit apertum, & in quinta feria circa meridiem reuixit. Apoc. c. 21

§. 15. *Puer quidam sanctorum splendorem vidit.*

PRobo Rheatinæ vrbis Episcopo morti iam vicino puerulus fortè solus adstabat, cùm ecce D. Greg. l. 4. dial. c. 12

ſubitò aſpexit intrantes ad virum Dei quoſdam viros ſtolis candidis amictos, qui eundem quoque candorem veſtium vultuum ſuorum luce vincebāt. qua ſplendoris claritate perculſus, quinam illi eſſent, emiſſa voce cœpit clamare, qua voce etiam Probus Epiſcopus commotus intrantes eos aſpexit, & agnouit. atque eundem ſtridentem, vagientemq́ue puerum conſolari cœpit dicens: Noli timere, quia ad me ſanctus Iuuenalis & ſanctus Eleutherius Martyres venerunt. ille autem tantæ viſionis nouitatem non ferens, curſu concito extra fores fugit, atque eos quos viderat, patri ac medicis nunciauit. Qui concitè deſcenderunt, ſed ægrum quem reliquerant, iam defunctum inuenerunt, quia illi eum ſecum tulerunt, quorum viſionem ferre puer non potuit, qui hic remanſit.

§. 16. *Agnetis viſiones & raptus.*

is .i Razij & ex hiſtoria Fernandi Caſtellani de vita S. Dominici p. 2. l. 1. c. 72.

AGnes montis Politiani ciuis, nono ætatis ſuæ anno monaſterium ingreſſa tanto virtutum omnium ſpendore enituit, vt non puellam ſed Angelum ſe videre omnes affirmarent. Aliquando viſa eſt ab ipſis ſororibus ante Chriſti imaginem in cruce confixi, in altum precabunda ſuſtolli, & pedes imaginis oſculari, quę in altum ſublata pendebat: ipſaque Regina cęlorum alio quodam die ſe oſtendit Agneti, treſque gemmas ſeruandas dedit, fore enim, inquit, vt non ſerò templum ędifices nomini meo, quod ſanctiſſimæ confeſſione Triadis, tanquam ſolido fundamento, conſtitues.

Per idem tempus Porcenenſes ciues, nouum ſacris virginibus cœnobium condiderunt. cui ipſamet Agnes annos nata 15. præfuit, Romano Pontifice Hoſtienſis oratu Præſulis (cui cognita Agnetis ſanctitas erat) annorum paucita-

paucitatem legibus eximente. Oranti non semel cælesti rore palla qua tegebatur immaduit, ipséq; locus, vbi preces effuderat, rosis & violis coopertus apparuit. Peruigilio Assumptæ Virginis, tali m Agnes sensit affectum, vt nihil aliud nisi cælum cælique gaudia, atque illius diei triumphum, Angelorumque Deipara ascendente, tripudia cogitaret. Ergo virginem enixè precatur, vt se filij æterni dignetur aspectu. Hac flagitanti Regina cælestis cum filio resplenduit, ea specie, qua tum fuit, cùm eum in Bethleemi porticu peperit. Viso Agnetem defecit animus: sed à cæli Regina confirmatur. ipséq; puer IESVS in manus ei traditur, cuius in amplexu præ dulcedine Agnes, Agno potita cælesti consenescere voluisset; tandem quod acceperat reddidit, ita tamen vt aliquid sibi tanto de munere reseruaret, crucem enim ex Christi collo, serico filo appensam ademit, & manu prehensam retinuit quæ crux fidelibus hodie eò adeuntibus, prima die Maij demonstratur. Cùm autem fama sanctitatis terras multas peruagata esset Agnetis, ciues illam ad se inuitarunt, cunctantem & deliberantem Angelus per visum templi illius admonuit, quod olim cæli Regina condi iussisset, atque constitui; in quem finem ternos pretiosos lapides tribuisset: quin & Deiparæ nomine imperat, vt Patrium natiuumque montis Politiani solum reuisat, & in Diuo vbi erat lupanar fœdissimum, dæmonum diuersorium, templum Deo eiusque Matri constituat, sanctumque Dominicum patronum adoptet. Agnes non recusat imperium, tamque se præbet morigeram, vt breui monasterij pulchra moles extiterit. exturbatisque meretricibus, sacræ virgines vicissitudine admiranda successerint.

§. 17. S. *Elzearij amor ecstaticus.*

Elzearius Comes è Narbonensi Gallia oriundus, cùm ætatis annum ageret 15. ipsis ferijs Assumptæ V. Matris, suscepta piè Eucharistia, sub prandij horam cùm ad mensam patruo suo seruire de- *Surius 27. Septemb. Crôbecius de studio perfectiõn. l. 2. c. 8.*

re deberet, ieiunus id obsequij præstare voluit. Accumbenti deinde vicissim subitò superuenit Spiritus gratiæ, cor eius vehementer inflammans, idque cum multa suauitate diuini amoris. Eius autem flammæ & ardoris tanta vis fuit, vt abscondi non posset: totus enim extrinsecus mutatus fuit, & toto corpore calefactus, atque in vultu rubore perfusus. Quod vt eius sodales aduerterunt, de eius salute solliciti, quòd eum putarent febri correptum, à mensa in cubiculum abduxerunt, vt ille quieti se daret: at illis absentibus humi prostratus, in preces incubuit quales spiritus suggerebat. Atque illic tãtas diuini amoris persensit flammas, vt totus eius colliquesceret animus, atque in Deum transformaretur. Tum verò ostendit ei Deus vitę huius breuitatem, & vt totus hic mundus, bonorum cælestium comparatione, meritò sit contemnendus: tantusque inde in illo natus est rerum omnium mundi huius bonorumque labentium contemptus, vt si totus orbis terrarum, & quicquid in illo est rerum pretiosarum, ei oblatum esset, planè fuerit recusaturus, nec alio quam vilis luti loco habiturus.

§. 18. *Visio S. Idæ.*

D'Assignies to. 2. annal. Cister. c. 17

AGebat annos adhuc pueriles B. Ida Louaniensis virguncula cùm rem diuinam cum matre audiens, vidit sub eleuationem tremendorum mysteriorum, lucidissimam quandam stellã supra altare irradiantem, quę tandem fulguris instar subitò euanuit. Quod quidem visum argumento fuit magnos aliquando Idam diuinæ gratiæ radios experturam quibus per diuina mysteria ad perfectionis culmen subleuaretur.

§. 19. *B. Petrus à Luxemburgo imaginem pietatis raptus contemplatur.*

CVm præcipua religione IESV Christi crucifixi imaginem venerari soleret B. Petrus à Luxemburgo valde teneræ adhuc ętatis, accidit aliquando vt apud castrum nouum tertio ab Auenione milliario, Christum cruci affixum erectis in cælum oculis cerneret: in cuius contemplatione immobilis & in ecstasin raptus, mediam ferme horam permansit.

Ex eius vita qu. Auenione reperitur.

Vide, Prophetiæ dono pollet Iustus p. 3. c. 3. §. 4. & seq. vide etiam p. 3. c. 1. per totum, & p. 2. c. 13. §. 8. item 1. p. c. 8. §. 5. de S. Bernardo.



CAPVT XXVII.

HVMILITAS.

FAcile mihi persuaseram puerorum animos obseruantiæ, similiumque virtutum splendore pellectos in illarum studio posse perfici, ac omino confirmari. Sed vt humilitatis leges sequerentur, hac gauderent, hanc elatis honorum fastigijs præponerent, eò difficiliùs fieri posse existimaueram quò huius virtutis dignitas grandior, & eorum ætas necdum iudicij, & rationis radijs planè illustrata, videtur imbecillior. Nam humilitati assequendę non tantum leuis quædam sui cognitio desideratur, qualem fortè ex leui vulnere olim acquisiuit Alexander cùm insolentem animi impetum quo diuinitatem affectarat, compressisse dicitur; vel qualem fictilium testarum gignat apparatus,

paratus, Agathoclis in elatos animi motus præsens antidotum: accuratiori longè ſcrutinio opus, iudicij rationiſq́; trutinâ: corporis animiq́; infirmitas, rerũ terrenarũ inanis gloria, meliùs examinãda, vtquã animi moderationẽ amore proſequeris, aliquando aſſequaris. Pueris verò quis huius virtutis aſſequendę ſubſidia concedat? Perfectum rationis vſum deſiderabis? non habent annorum longorum ſpatia, quibus ſenſim vel rerum humanarum tædium irrepit, vel ſaltem vilitas innoteſcit? puerilis ætas paucos tantùm annos numerat. quæ ſingula quò magis humilitatis ſtudium promouent, in pueris deſiderata eò laude digniores reddunt, pari profectò cum Hercule gloriâ contendentes, ad cuius triumphos plus honoris & glorię reliquis laboribus draco in cunis interfectus dicitur attuliſſe.

§. 1. *De Dauide.*

1. Reg. 16. QVando Dauid debebat in Regem per Samuelem inungi, erat in agro paruulus, paſcebatque oues tanquam patri obediens, humilis, & abiectus.

§. 2. *De Moyſe.*

Ioſeph. antiq. l. 2. c. 5. MOyſes puer, impoſitum capiti ſuo à Rege Pharaone diadema detraxit, & in terram abiectum pedibus calcauit.

§. 3. *De Chriſto.*

Pelbartus ſer. de Natiuitate. CHriſtus ex humili matre naſci voluit, in vili ſtabulo à Regibus adorari, tanquam ſi peccato fuiſſet obnoxius circumcidi, parentibus ſubijci, ad humilitatis exemplum. Porrò nullus hominũ tam paruus, quàm Chriſtus aliquando fuit: nam tanto fuit alijs infantibus minor, quantum ab inſtanti conceptionis, vſque ad quadrageſimũ diem (quo alij animari ſolent) augeri potuiſſet in
3. Diſt. 4. vtero. Id fecit (inquit D. Bonauent.) Chriſtus potiſſimè,

tiſſimè, ad commendandam nobis humilitatem, quandoquidem de cælo deſcenderat ad ſuperbiam extirpandam; ideoque maximus factus eſt minimus: ô *Verbum breuiatum! Diſce homo obedire, diſce terra ſubdi, diſce puluis obtemperare. De Chriſti humilitate, vſque ad ann. 12. vide Richomiũ in Academia honoris, gradu 5. ſec. 3. vbi pulchrè agitur hac de re.* *Ad Rom 9.* *Bern. hom. 1. ſup. Miſſus.*

§. 4. *De Diua Virgine* MARIA.

PRima virtus (ſi S. Mechtildi credimus) in qua ſe B. Virgo rationis compos exercuit, humilitas fuit, & actio gratiarum, quippe quæ tantis ornata donis, neque ſe vlli diuina hæc Pandora prætulerit, & omnia Deo accepta retulerit, ſummâ cum animi demiſſione: neque bonorũ, quæ accepiſſet vllus vnquam magis ſe memorem præbuit. *l. 1. & Canonſius de B. Virg. l. 1. c. 13.*

§. 5. *Iterum de Chriſti* IESV *humilitate.*

IN Francia virgo quędam Chriſtum in ætate trium annorum, quando iam loqui per naturam poterat, videre deſiderans, hoc vt fieret precibus inſtabat: erat enim tam perfectæ vitę, vt non immerito talia præſumeret, & ſe exaudiri ſperaret à Deo, iuxta vaticinium Prophetæ: *Voluntatem timentium ſe faciet*. Die quadam cùm dictâ miſsâ, ipſa populo omni egreſſo ſola in Eccleſia moram faceret, & oraret, infantem quaſi triennem circa altare deambulantem conſpexit, putans à matre illum ibidem neglectum; erat enim ſpecioſiſſimus, & tantâ gratiâ vultus eius reſplenduit, vt in illius aſpectu delectata, ad ſe eum vocaret, & manibus demulceret, ſic dicens: Dic mihi bone puerule, vbi eſt mater tua? qui cum ei nihil reſponderet, æſtimans illa (vtpote infantem) nondum poſſe fari, ſubiunxit: Noſti dicere *Pater noſter* tuum? ad quod dum non reſponderet, vt priùs, adiecit: Dic poſt me, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecũ*. & dixit poſt eã infantulus eadẽ verba, tã hilariter & tã diſtinctè *Cæſarius l. 8. c. 8.* *Pſal. 144.*

diſtinctè vt illa miraretur. ſimiliter factum eſt de clauſula ſecunda, ſcilicet, *Benedicta tu in mulieribus.* Cùm verò ei prædiceret: *Et benedictus fructus ventris tui*; totius humilitatis magiſter, ſua inſpiratione ſciens ſcriptum; *Laudet te alienus, & non os tuum,* eandem clauſulam dicere noluit, ſed mox illa intuente, per oſtenſam formam cælos penetrauit. Tunc primùm Virgo venerabilis ſe exauditam intelligens, gratias egit Chriſto qui tam celeriter impleuit deſiderium ſuum ex ſemetipſo.

Prou. 27.

§. 6. S. *Cunibertus humilitatis ſe exercet officijs.*

Surius 12. Nouemb.

CVnibertus à parentibus magno Francorum Regi Dagoberto datus eſt nutriendus. Præclaris erat admodum naturę donis inſtructus, clara ſtirpe, forma, præcellenti ingenio vt magiſtros ſuos ſuperaret. Verũ manſuetudinis, patientiæ, comitatis, humilitatis laudibus ornatior. Nec enim Regi tãtùm & maioribus iuxta perſonę cuiuſque dignitatem deſeruire ſtudebat, ſed ipſis etiam non rarò ſeruorũ vice calceamenta detrahere ſolebat, & mundare; quæ quidem officia exercebat, vt per ea inflatos ſæpe Nobilium animos ad humilitatis ſtudium humanæque vitæ cognitionem mira dexteritate prouocaret. Atque hæc vitę comitas agendique demiſſio abundè diuinitus cõpenſata eſt, cùm ipſe à Rege in filium eſt paulò pòſt adoptatus.

§. 7. *Seruorum miniſteria ac pompam refugit Chryſoſtomus.*

Ribadeneira 17. Ian.

S. Chryſoſtomus claris admodum ortus natalibus, nunquam eò adduci potuit, vt magno aſſeclarum ſtrepitu comitatus æqualium ſuorum more ludum literarium frequentaret: Dedecori hoc ſibi vertebat primum pater; at ipſe: Non meminiſti, inquit, ô pater, tres illos pueros Hebræos

ad eam nominis celebritatem modestia sua ac temperantia peruenisse? immo nec eorum vestes ignis vstulauit. Quis, inquit, Christianorum id nobis ignominię ducat, qui norit adeo placere Christo animi demissionem suique despicientiam? His ille rationibus parenti faciebat satis: non potuit tamen vnicum seruum non admittere.

§. 8. *Elizabethæ humilitas insignis, & patientia.*

ELizabetham adhuc lactentem Hermanus Turingiæ maximus Princeps (vulgò Lantgrauium vocant) Ludouico filio infanti desponderi postulauit: cuius petitioni Regina mater non modò libenter annuere est visa sed postea etiam quadrimam enixè id per legatos postulante Hermano magnificentissimo apparatu eò destinauit, & in Turingia maximo illi Principi futurã filij sui sponsam nutriendam commisit. Itaque trienniũ ibi exegerat, cum ecce fœdo rumore percrebuit Reginam insidiosâ procerum quorundam machinatione fato concessisse: vbi autem nonum ætatis annum ingressa est, mox tota mente Deum sibi ob oculos statuens, vestium splendorem, carnis lænocinia, fastumque contempsit, prorsus vt Agnes sponsi soror, eximia pulchritudine virgo, cum matre sua Sophia, moleste interdum ferret Elizabethæ imagendo demissionem, monebatque vt si optatis vellet nuptijs fratris sui potiri, fastum gloriamque sectaretur, & vitam Regio splendore dignam institueret. At illa nihil quotidianis conuitijs quibus eam aulici proscindebant, mota, in virtutum studio persistebat: relictisque nobilibus, pauperum magis & ancillarum gaudebat consortio, & operibus occupabatur, festos dies ita colebat, vt semper aliquid sibi de ornatu corpusculi decerperet; sciens Deo mentem magis quam vestem *Surius 19. Nouemb.*

stem

obtinuit, vt ſpecies omnis in animam transfunderetur, & filiæ Regis eſſet quam ſimillima, cuius decor omnis eſt ab intus.

§. 10. *Rara in B. Petro Nicolai ſui abiectio.*

B. Petrus Nicolai, decennis factus, ad ædiculam quãdam ſacram extra mœnia indulgentiarum conſequendarum cauſa cùm proficiſceretur, vidit ante leproſorum domum, mulierem adeo lepra coopertã, vt vix baculũ quo gradum adiuuabat, manibus tenere poſſet. Hic puer humilis miſerę cõditionis humanæ memor, ad mulierem accedit, in genua prouoluitur, & fœtidas manus prẽſans, humiliter exoſculatur. *Ex Chron. S. Franciſ. to. 4. p. 2. l. 1. c. 2.*

§. 11. *Summa S. Margaretæ Hungariæ humilitas.*

HÆc puellula annorum ſex aut ſeptem, erat ſummâ humilitate prædicta; nec Regis filia dici voluit, ſed quoties ſic appellata fuiſſet, cum lacrymis conquerebatur ſe audiuiſſe vituperium. atque hac de cauſa rarò voluit loqui cum parentibus ſuis ne ex illorum colloquio glorioſior putaretur. Dixit aliquãdo: Vtinam hanc mihi Deus largitus eſſet gratiam, vt nõ Regis eſſem filia, ſed potiùs ruſtici cuiuſdam; non Nobilis, ſed ancilla paupercula: ita enim illi liberiùs poſſẽ inſeruire. *Surius 28. Ian.*

§. 12. *B. Aloyſij Gonzagæ Apophthegma.*

OMnis ferè familiaris eius oratio ad eximium quoddam ſe ſubmiſsè gerendi ſtudium, laudemque eorum ſpectabat, qui ſe ab ijs, qui cæcis mortalibus amplexa atque magnifica videntur, abiungunt. Quondam R. Patri Claudiofino Theologiæ Doctori, & magni nominis concionatori (cum quo de rebus animo ſalutaribus non rarò ſermocinabatur) *Non eſt*, inquit. *quod natales nos inſolenter efferant, quoniam nihil inter principum & mendicorum cineres intereſt, niſi quod illi grauiùs fœteant.* *Virgilius Ceparius vita l. 1. c. 6.*

CAPVT XXVIII.

CHASTITATIS ET PVRITATIS AMOR.



Vò teneræ puerorum mentes naturę deprauatæ vitio ad libidinem propensiores, quò dæmonum pręstigię frequẽtiores; insidiæ occultiores ad castitatis candidissimum lilium surripiendum, eo laude dignior videtur adeo in infirma ætate, tot inter hostes insultusque illibatus flos pudicitiæ: siquidem ea vera laurea censeatur quæ non in vmbra, sed sole; non in otio, sed negotio; non domi, sed in puluere ac sudore, comparata est. Certe vt carnem puritati maximè refragantem silentio inuoluam, quibus artibus pudicitiæ spurcissimus dæmon non insidiatur? quibus eam libidinum flammis, quibus tentationum procellis non concutit? Videt Deo nihil gratius, Angelis similius nihil, nihil vtilius homini; aduertit castitatis florem semel decussum nunquam virescere, virginitatis honores semel direptos nulla pecunia redimi, nulla vi restitui, nullis lacrymis, nulla arte restaurari; vt mirum non sit, tot si tentationum excitet turbines. Id vnum spectabat cùm Theclã leonum rictibus obiecit, Agneti flammas intentauit, Cęciliæ gladium minatus est. Sed felices quos virginei pudoris amor magis tenuit, quã tormentorum apparatus terruit! Felices quibus intemeratum hoc lilium etiam inter spinas illæsum enituit, lilium horti pręcipuum decus; lilium castitatis symbolum, folijs sex niueis conspicuum, totidem granis aureis vernans; illa carnis pudicitiam, hæc mentis munditiem signant: vtraque maximum teneræ ętatis ornamentum.

§. 1. In-

§. 1. *Insignis prærogatiua castitatis in inuentione sacri præput,j Christi.*

INtellectum est ex tribus illustrissimis feminis, anno 1527. quo tempore Roma in hostium direptionem cessit, ex augustissima Lateranensi Basilica, loco, qui Sancta Sanctorum religiosissimè nuncupatur, Præputium Christi Domini cum alijs reliquijs militem quendam sustulisse, qui vrbe discedens à rusticis captus; Calcatam (pagi hoc nomen est, qui Anguillarę familiæ subest, & Roma viginti dumtaxat millibus passuum distat) deductus, in cellariaque pro carcere detrusus, quē subripuerat thesaurum sacrilegus defodit. Non multo post libertate donatus, Romam reuertitur, ac morbo correptus, sese in Xenodochium S. Spiritus in Saxia recepit, vbi morti proximus, in pago Romæ vicino (nominis non meminerat) familiæ Anguillarę sanctissimas reliquias se terra obruisse perhibuit. Id vbi ad Clementem Pontificem V I I. perlatum fuisset, Ioannis Baptistæ Anguillaræ, Calcatę Domino scribi mandauit omnē vt diligentiam in perquirendis reliquijs adhiberet. Fecit ille quod iussus fuerat, nec tamen inuentum quicquam. Mense tandem Octobri 1557. placuit diuinæ bonitati, vt à quodam sacerdote reperirentur cellaria, in quę inclusum fuisse militem diximus: repositæ sanctissimę reliquię in scriniolo ex chalybe erant medij palmi lōgitudinis, quatuor verò digitorum altitudinis, arcuato operculo desuper clausæ. Scriniolum ad Magdalenam Stroiciam loci illius heram, Sacerdos defert. Hæc igitur nobilissima femina vnà cum ipso Sacerdote, Lucretia Vrsina, Clariceq́ue filia, septem vel octo annorum, aperto scriniolo, peruetustis sericis panniculis inuolutas inueniunt reliquias, quibus singulis in perpolita membranula

Toletus in Lucam c. 2 annotat. 31

adiuncta erant nomina, temporis diuturnitate adeo consumpta vt ægrè legi potuerint. Eas ergo vt honorificè componeret, sigillatim euolutas in argenteo pollubro reponebat. Inter cetera tandem inuentus iuglandis instar serico panniculo sacculus confectus, cui nomen IESVS inscriptum erat, eius dum Magdalena primùm filū soluere aggreditur, sentit manus rigere; eas, vt moris est, confricat, & rursus, quod cœperat, soluere filum conatur; sed iterum magis quàm antè stupescunt manus. Quare mente erecta desuper implorandum presidium rata, corde ita Deum alloquitur. Quanquam me peccatricem, ideoque indignissimam, quæ diuina attingam, profitear, animus tamen meus testis mihi est, non arroganter, sed humiliter, non vt sacra contemnam, sed vt honorate conseruem, id muneris me suscepisse. Stupefactis itaque tertiò maiore cum rigore digitis, nodum adeo difficilem soluendi percupida fasciculum sacrum prehensans, binos vtriusque manus admouere molitur digitos, quos extemplo itidem rigore induratos persensit, vt è metallo confecti viderentur. Et quod miraculi magnitudinem auget mirificè, nec digitos coniungere, nec sacrum globulum contingere potuit. Spectaculum stuporem, stupor adstantibus vberrimas elicit lacrymas. Tunc Lucretia veluti diuinans: Crediderim, inquit, Sacrosanctum Christi præputium hic contineri, de quo Clemens Pontifex Maxim. Ioanni Baptist. coniugi meo aliquando scripsit. Hæc vbi solertissima femina prolocuta est, suauissimum repentè ex eodem globulo afflari odorem percipiunt cuius compositionem ne imaginatione quidem consequi potuerunt. Interea timore non mediocri perculsis ac dubijs, quid agant, quò se vertant, Sacerdos, qui aderat,

aderat, rei nouitate & ipse perterritus id offert consilij, vt Claricem tenerrimam virginem supremam perdifficili operi manum imponere sinerent. Consenserunt quę aderant matronę, felicem se mater arbitrata, si in soluendo nodulo à filia superaretur. Accipit igitur, cum reuerentia globulum Clarix, sine mora & difficultate resoluit, ac in pollubro argenteo cum ceteris reliquijs sacrosanctum Christi deponit præputium, & tandem in vasculo argenteo collocat; quod quidem densum ac crispum instar rubri ciceris erat. Tantum apud Deum vitæ semper valuit innocentia, & corporis integritas. Porrò tam matris, quàm filiæ manibus odor ille diuinus ita inspersus fuerat, vt per biduum continuò durauerit.

§. 2. *S. Lyduvinæ de statu virgineo propositum, item de tot ægritudinum eius occasione.*

CVm pueritiæ æuum ageret Lydwina tanta corporis elegantia & animi industria, ac cæteris naturę donis à Deo ipsi collatis cœpit pollere, vt cùm duodennis esset, à multis in coniugium peteretur. Ad quod cùm eam pater ipsius hortaretur, mater nequaquam propter ignorantiam & puerilem ętatem assensit, sed potiùs dissuadens rogauit ne eam molestaret. Tunc ipsa constanter patri respondit, quod ad hoc nullo modò posset eam inducere, immo si aliũ modum euadendi non inueniret, seipsam ita tractaret, quod nullus eam in matrimonium postularet. Quapropter Dominum quotidie rogabat, vt omnem noxium & carnalem amorẽ de corde suo tolleret, quatenus ipsum solum Deum, ac Dominum suum, puro corde & corpore diligere posset, cuius preces & desideria pius & misericors

Thomas à Kempis in eius vita p. 1. c. 3.

Deus, qui eam in sponsam elegit, incunctanter exaudiuit. Cùm enim 15. annū ageret, accidit circa festum Purificationis D. Virginis, vt inuitata à sodalibus virginibus cum eis super glaciem induta sandalijs graderetur, vbi vna de sodalibus eius cursu rapido super glaciem pergendo, nec gressum figere valens, Lydwinam manu apprehendit, moxque super fragmenta glaciei improuisè ipsa cecidit, & grauiter læsa, vnam paruam costam dextri lateris sui confregit, ex qua fractura primò quidem apostema durum, circa locum costæ confractæ, excreuit; pro cuius curatione licet parentes eius multa expósuissent: optatam tamen eius sanitatem consequi non valebant: rupto deinde apostemate, sanies per os eius, cum vomitu profluxit. cuius occasione ita debilitata est, vt quasi mortua putaretur. Exinde iam cœpit continuis infirmitatibus laborare, omnique morborum genere exerceri, quos quidem reliquo vitæ decursu semper sustinuit, hoc est totos triginta octo annos. Verùm dum corpus tabescebat, anima in vase fictili per occultam gratiam ad magnū meritum in futuro seruabatur, vt in ea compleretur quod de B. Iob legitur: *Ecce* (Sathan) *in manu* Iob 2. *tua est, verumtamen animam illius serua.*

§. 3. *Insigne S. Edmundi, pro castitate, stratagema.*

Sur. in vita S. Edmūdi Archiep Cantuar. 16. Nouēb.

EDmundus vt virginitatis integritatem (cuius semper studiosissimus fuit) illabatam semper conseruaret, Deo castitatis votum puer nuncupauit. Non tulit hoc humani generis hostis, obscœnitatis parens, sed puellam hospitis eius filiam illius amore inflammat, illa adolescentem signis, oculis, nutibus, ad turpia prouocat, & cùm nihil proficeret, apertis etiam verbis ad nefarios solicitat amplexûs: horret ille scelus, & velut pestem fugiens,

fugiens, verbis petulantiam acrioribus insectatur: sed cùm improba neque sic absisteret, paululùm secum deliberans quanam posset eam via ad sanam mentem reducere, ad horam condictam adesse iubet: Illa se sperans voti compotem fore, adest, iubetque veste superiore nudari, apprehensam fortis adolescens virgis egregiè cædit, & stultitiam, quę erat alligata in corde eius, virga disciplinæ fugat. Tantum enim virgarum ictus valuerunt, vt, quemadmodum ipsa fassa est, nunquam deinceps eiusmodi tentatione pulsata sit. Sed quem impurissimus dæmon tam aperta mali specie euertere non potest eum per matronam quendam, satis (vt videbatur) honestam, subtiliùs aggreditur: ea enim, officij prętextu, quędam ei munera obtulit, vt ijs eum emolliret, & ad prauæ suæ voluntati assentiendum illiceret: quod cùm ille animaduerteret, quæsiuit ex ea, num cõscio marito suo his ipsum muneribus afficeret? respondit illa nihil tale nouit vir meus, nec eum scire velim adeo me tibi esse officiosam. Tum ille ego vero, inquit, nesciente marito tuo dona tua non recipiam. abijt illa cum muneribus suis, voto frustrata suo, & Adolescens eius insidijs est absolutus.

§. 4. *S. Emericus virginitatem vouet.*

VEsprinij in basilica B. Georgij Martyris vetustissima, cum vnico famulo ante aram precibus incumbens S. Emericus, apud se disquirere cœpit quodnam posset Deo munus offerre gratissimum. Et ecce totâ Ecclesiâ immenso repentè lumine completâ, vox cælitus eiusmodi auditur: Præclara res est virginitas; hãc igitur Deo offerto, & constanti proposito in eo perseuerato. Hac voce mirificè exhilaratus, non suis, sed Dei præfidens viribus virgineam statuit puritatem ad extremum

Bonfinius de rebus Hungaricis dec 2. l. 2. Surius 4. Nouemb.

tremum vitæ spiritū conseruare. etsi autem sponsam deinde admiserit, id fecit tum vt patris volūtati se accomodaret, tum vt sponsam ad eandem vitę castimonium perduceret.

§. 5. S. Emericus variam monachorum puritatem dignoscit.

Ibidem. STephanus Rex sanctus B. Martini monasteriū in monte Pannoniæ ingenti sumptu à se fundatum orandi gratiâ cum filio ingressurus, vbi religiosos honoris causâ sibi obuiam solenni pompa procedere cognouit, præclara filij sui merita non ignorans, eum antecedere iussit fratresque illos salutare, tum vt ea ipsos ratione honestaret, tum vt filio honor ipsi paratus impenderetur. Præambulus igitur Emericus osculatur singulos, non tamen eodem modo omnes; sed pro ratione meritorum, quæ reuelante Dei spiritu cognouerat, alijs duo, alijs tria, plerisque quatuor vel quinque, vni Mauro septem oscula dedit. Quod cùm cerneret pater eius, etsi filium nihil ea in re temere fecisse existimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem non admirari. Itaque peracto sacrificio, familiariter & accuratè ex eo percunctatur: cur non paria sine discrimine singulis oscula impertisset: respondit se pro ratione temporis, quo singuli continenter vixissent, alijs plura, alijs pauciora oscula diuisisse: eum autem quem septies osculatus esset, virginem permansisse.

§. 6. Sanctus Maclouius virginitatem amplectitur.

Sigebertus 15 Nou. apud Sur. COrpori quod necessitas exigebat, non quod curiositas, Maclouius adhuc puer tribuebat, frigus & inediam lubens tolerabat, ne ipsi carnis petulantia dominaretur. vnicè enim quam Angelis esse gratissimam didicerat mentis corporisque

risque castimoniam, diligebat, ideoque etiam tum perpetuam Deo vouit virginitatem, eamque vt minori cum periculo illibatam conseruaret, religionem puer ingressus est.

§. 7. *B. Petrus à Luxemburgo Castitatem amplectitur.*

QVinque tantum aut sex annos natus B. Petrus à Luxemburgo, hortante sorore eiusdem propè ætatis, continentiam & castitatem Deo vouit. *Ex eius vita quæ Auenione reperitur.*

§. 8. *S. Bernardinum reuerentur sodales.*

SVmmâ erat morum honestate Bernardinus, ac mentis integritate præditus, adeoque vt si quid turpiter audisset dici, tanto rubore suffunderetur, atque si colaphum accepisset. Quæ quidem eius indoles condiscipulis ipsius non erat ignota, qui si fortè de rebus parum honestis inter se verba miscerent, eo viso mox dicebant; Missa hæc faciamus: ecce enim Bernardinus adest. *Surius 20. Maij.*

§. 9. *Idem viro impudenti pudicus puer alapam impegit.*

HAnc Bernardini castimoniam comprobarunt duo quę sequuntur memoratu dignissima exempla. Ciuis quidam turpe aliquod verbum illi obiecerat (erat tum fortè annorum 13.) sentiens verò pudicissimus adolescens quorsum ille tenderet, ei alapam infregit, & ita sonantem, vt procul etiam audiretur. ille coram adstantibus pudefactus, suauiter ex eius se conspectu subduxit. Multis verò pòst annis eodem loco concionem habente Bernardino, visus est ille ipse ciuis ita corde compungi & lacrymas fundere, perinde ac si duris fuisset cæsus flagellis. *Ibidem.*

§. 10. Eius-

cem Ausoisij, vbi Elzearius degebat adducta sponsique nocturnum ingressa cubile, animum Elzeario tum tredecenni aperit, seque coactam ad coniugij societatem accessisse, pudoremque & thesaurum virginitatis impulsu Dei, Deo integram statuisse custodire. Nec ab ea animi sententia adhuc discedere. Elzearius nihil dum de corporis seruanda puritate quamuis purissimus deliberârat; virginem tamen sibi nuptam ea nocte non contigit, quam illa insomnem duxit lacrymisque, & precibus totam traduxit. Sequentibus inde noctibus cùm in conclaue rursum concederent, virgo nobilissimum iuuenem castis adorta sermonibus ita occupauit, vt & ipse paulatim animum religiosum indueret, virginemque violare vereretur, nec vnquam contrectaret. Tandem cùm S. Agathæ festo coniugij sacramento se deuinxisset, die Virgini Dei Matri in cælum assumptæ sacro, post sumptam in templo diuinam Eucharistiam dum assidet prandio, cælesti subitò afflatus spiritu, intima animi sensa inusitato pertentari gaudio sensit, quod & in corpus redundauit, vnde cum æstu diuini amoris arderet, vultu rubore perfuso quasi febrientem ad cubiculum deducunt. vbi ille dimissis omnibus, humi prostratus, inflammatus amore diuino, cœpit omnia vitæ humanę commoda fastidire. Quare Deo plenus, decernit, nec tamen adhuc vouet, nullo se feminę contactu corpus polluturum. Vixit ergo deinceps cum sua sposa in eadem domo, cubiculo, lecto, tam purè sanctéque, atque vllus in solitudine anachoreta aut virgo cœnobij claustris circumsepta. Vsque adeo extinctus erat in eo omnis sensus Veneris, vt quo propior esset virgini, hoc se magis remotum ab omni cupiditate sentiret, ac diceret.

§. 12. *Victrix S. Agnetis pudicitia.*

Maurulus l. 4. c. 8. SEd neque te hoc loco tacitus prætermittam celeberrima Agnes virgo: Præfecti vrbis filium nuptias tuas petētem despexisti; diuitias, quę illi affatim suppetebant offerētem neglexisti. patrem quoque eius vt minantē, ita iniuria afficientem risisti: ob quam constantiam Dominus, dum te impij expoliat, capillorum vestiuit incremento. Dum ad prostibulum trahūt, sua tutatus est luce. Infamem locum micantis fulgoris decore honestauit. perculit horrore corruptores, & in fugam conuertit; procum autem illum libidinis furijs actum, nihilque pensi habentem cum ad te irruisset, repentina nece multauit. Tu in medias proiecta flammas non es adusta; neque enim quam in te exureret obscœni rumoris maculam ignis inuenit. Dissipatus ergo ardor crudelitatis appetijt ministros, & insonti parcēs conuersus est contra nocentissimos, Dei voluntati obsequente elemento. Denique suscepto per iugulum gladio intactam virginitatem eidem, cui deuoueras, Christo sponso obtulisti, cuius nunc sequeris vestigia, quocūque ille se verterit, perpetuoque eius frueris consortio, receptâ victoriæ palmâ, quoniam pertinacissimos pudicitiæ tuæ oppugnatores magnificè superasti. O felix victoria cuius merces est Christus!

§. 13. *Virorum occursum euitans S. Catharina per aërem fertur.*

Surius 29. April. S. Catharina Senens. puellula summa castitatis illibatæ dedit indicia: nam hominum cōsortia, & præcipuè diuersi sexus fugiens, ita plerumque gradus ascendendo ac descendendo per aërem vehebatur, vt gradus pedibus non attingeret. Vbi verò Deo reuelante Beatissimam Dei Genitricem primam omnium virginitatis votum didicit nun-

cit nuncupasse, septennis puella in secreto domus angulo, post maturam de voto deliberationem, post ieiunia, preces, corporis flagellationes, Christo immortali sponso suam virginitatem Partheniæ Matris ope inuocatâ, ęternùm consecrauit.

§. 14. *S. Hermelendis pudicitia castra sequitur.*

Hermelendis parentibus nata preclaris, virginitatem suam duodennis Deo consecrauit, quam cùm duo fratres prophanare vellēt, qui in virginis concupiscentiam exarserant, Angeli monitu in Meldricem vicinam insulam secessit, in qua vitam agens eremiticam, Deo placentem animam tandem reddidit. *Molanus 29. Octob.*

§. 15. *S. Mariæ Oigniacensis post nuptias illibata continentia.*

Maria de Oignies puellula duodecim annos nata, parentum (non sua) voluntate cuidam Ioanni nuptui tradita, vitæ districtione ac sanctitate commouit virum vt intactam dimitteret. In virginitate ergo perseuerãs, multâ virtute, multisque miraculis celebris euasit; è vita decedenti, Christus, Angeli, Apostoli in visu apparuerunt. Quorum consolationibus iucundata mortis angustias non sensit. Solutam deinde à corpore animulam à B. Virgine cum Angelorum comitatu in cęlum ferri conspexit Episcopus Tolosanus. Haud immerito tantam consecuta est beatitudinem, quæ ne viro quidem iuncta virilem copulam non admisit, & matrimonij iugo, cui iam subdita fuerat, excusso, incorrupta & corpore & mente permansit. *Maurulus l. 4. c. 8.*

§. 16. *S. Claræ de Monte-Falco constans de virginitate sententia.*

Ex Chron. S. Franc. l. 5. & A. du Val apud Ribad. 17. Aug.

IN hac virguncula tanta erat religiosorum morum venustas vt à nemine vnquam deprehensa sit viri cuiusquam vultum oculis vsurpasse. Si quando ipsi cum quoquam loquendum fuit, faciem velo obnubens, & humi defixis oculis id paucis expediebat, vt citiùs ad suauissima cœlestis sponsi colloquia rediret. Quondam quòd cum fratre suo actura, vultum oculis intuentium adducto velo suffuraretur, succensuit ille, quòd & frater eius esset, & non minùs quàm ipsa religiosus. Quo audito Clara; Non est hic, inquit, frater mi vel faciei meæ, vel oculorum vsus, cùm omnis sermo lingua & auribus, perficiatur. Digna ore virgineo sententia. Demum tanti virginitatis gemmam faciebat, vt inferni pœnas tota vita sua potius perferendas, quàm huius iacturam esse faciendam arbitraretur.

§. 17. *De S. Francisca Romana infantula.*

Andreas Valladerius in eius vita.

FRancisca Castitatis ab infantia ipsa sedula custos fuit, vt ne à parentibus suis fascijs ablatis nudam vnquam videri se permitteret: sed fletu & eiulatibus (si quando contra vellet ire) & digitulis se tuebatur.

§. 18. *De S. Beatrice.*

D'Assignies in annal. Cister to. 2. in eius vita sec. 1.

FVit S. Beatrix Abbatissa in Monasterio quodam iuxta Lyram quod à Nazareth retinet nomen. Hæc cùm adhuc infans esset, vt vix loqui posset, adeo tamẽ honestatis & pudicitiæ tenebatur amore, adeo scurriles sermones detestabatur, vt domesticorum nemo in eius conspectu ausus fuerit vnquam aliquid effutire eiusmodi. si vel minimum alicui elapsum fuisset, id ad patrem statim referebat.

§. 19. *De*

§. 19. *De Petro Fabro piæ memoriæ.*

PEtrus Faber, vir plane admirabilis & vnus è decem primis Societat. nostræ Patribus, tanta iam inde ab ineunte ętate religionis indicia prębuit, vt singulariter à Deo electus esse videretur. Nam & septimo ætatis anno eximios quosdam ad pietatem sensit instinctus: & duodecimo conseruandæ castitatis pręclaro quodam incensus studio, eiusdem votum in agro emisit; & tam ardenti in sapientiæ studium incensus est desiderio, vt contra voluntatem suam pater, à pastoritia illum cura, pecorisq; custodia, ad literarum ludum traducere cogeretur.

Petrus Ribadeneira vit. B. Ignatij li. 3. c. 11.

§. 20. *De B. Aloysio Gonzaga.*

ANnum iam Aloysius omnino nonum expleuerat, quando tanta animum eius erga Beatissimam Virginem obseruantia cepit, vt quoties de ea in sermonem incideret, vitæque eius sanctissima mysteria volueret animo, colliquescere cęlesti gaudio videretur. Fecit eò plurimùm tum communis Florentini populi erga eiusdem Diuę effigiem quę in ea vrbe Annunciatę titulo, colitur, eximia veneratio, tum lectio libelli, quem de Mysterijs Rosarij Gaspar Loartes sacerdos è Societate IESV conscripsit. Inter eum legendum cùm se desiderio sentiret accendi gratum aliquid acceptumque cælorum Reginæ faciendi, venit in mentem, nihil ei iucundius accomodatiusque præstari posse, quàm si eius castimoniæ quantum mortali fas est, imitandæ studio suam illi virginitatem voto obligaret sacraretque. Igitur cùm ante eam, quam dixi imaginem, aliquando precaretur, quod ad eiusdem Diuæ honorem verteret, Deo vouit integram se inuiolatamque virginitatem suam perpetuò seruaturum. Quod votum adeo semper sanctè seruauit, vt qui ei à pę-

Virgil. Cepariue in eius vita l. 1. c. 2.

Vouet virginitatem.

nitentię

da, magni ad eam fierent hominum concursus, Aloysius, qui ne patrem pro imperio hoc iubentem irritaret, facere non potuerat quin accederet; noua arte vsus nunquam abs se impetrari est passus vt in primis subsellijs vnde commodissimè pompa omnis videri poterat, sederet, & quod ampliùs est quantum licuit dedit operam vt oculis semper esset vel clausis vel aliò conuersis.

§. 23. *De quodam Adolescentulo.*

SOlenne erat adolescentulo, cùm ad sacram synaxim esset accessurus, contra fœdas insomniorum species, nocte quæ antecederet, cilicino thorace se munire. Fortè contigit vt nocte quadam diligenter cõquisitum non inuenerit. ita illo omisso se quieti dedit: nocte intempesta inimicæ imagines dormientem incessunt, odio obscœni phantasmatis & vi eius luctæ experrectus, prosilit è strato, vt flagello molestam dispellat infestationem. cumque nec illud quoque reperiret, linteo tantùm indutus (& erat sæua hyems) in hortum domesticum descendit, ibique tamdiu inambulauit, donec nocturno frigore ardor sathanicus extinctus, scelerata phantasmata aboleuit. *Ex literis Soc. Colleg. Mediol. 1594.*

§. 24. *De quodam puero sodalitatis Parthenicæ.*

SIngulare est quod de puero sodali in literis annuis Societatis IESV scribitur. Hic cùm ad luxuriam muneribus, verberibus, catenis, continenti trium dierum inedia, deniq; metu mortis, admotis corpori (nî flagitio consentiret) duobus pugionibus solicitaretur, animo verè Parthenico, castitatem vitæ ipsi prçferẽs, malle se millies mori respondit, quàm scelere luxuriæ se inficere, in qua responsione constans semper permansit. *Franciscus Veron in Manuali Sodalitatis c. 8. p. 8. ex literis Soc. anni 1599.*

CAPVT XXIX.

PAVPERTATIS AMOR ET BONORVM IN PAVPERES *distributio.*

NOn est ea, fateor, in pueris auri pecuniarũque sitis quę in grandioribus esse solet: si enim auri orexis auro excitatur, & *Quò plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ*, penes quos auri vsus rarior, penes eos minor cupiditas sit necesse est. Nemo tamen mihi negabit, pueros, licet tanto diuitiarum amore non inescatos, ex ingenito naturæ quodam vitio, habendi desiderio teneri, vestium ornatu delectari, crepũdijs apprime recreari, harumque rerum iacturâ dolentem animum eiulatu, clamore, lacrymisque testari; cupiditatis innatę euidens argumentum. Iniuriâ profectò silentij tenebris delitescerent quotquot eo excelsiori animo innatam hanc auri cupidatem non suppresserunt modò, sed penitus compresserunt, non quâ olim Aristippus viâ, siue Thebanus ille Philosophus Crates, qui extinguendæ cupiditatis studio magnum auri pondus in medias maris Syrtes coniecisse dicuntur; sed saniori longe consilio in pauperes liberalissime erogarunt, *vnaque fideliâ* (vt communi parremia vtar) *duos parietes dealbarunt*, insitam cupiditatis spinam pectoris horto eruerunt, exporrectâque liberalitatis plantam inseruerunt. O Paradisi nostri cultores egregios!

§. I. *S. Elzearij infantis in pauperes benignitas.*

Surius 27. Septemb. CVm S. Elzearius bajularum brachijs portaretur trimulus, pauperes confidentes benignis intuebatur ocellis, nulloque pacto progredi volebat,

bat, immo verò etiam sine intermissione acerbè plorabat, donec datâ eleemosynâ eos refectos videret: postquam autem ętatis annum quintum excessit, quicquid ex ludis puerilibus, vel aliunde acquirere poterat, in pauperes erogabat, puerosque quibus cum sua interdum captabat solatia, præcipuè verò inopes ad prandium suum inuitabat.

§. 2. *Cuncta erogat in pauperes S. Brigida.*

Sancta Brigida quicquid in domo paterna nacta esset, pauperibus clam elargiebatur, qua re permotus Dustacus pater eius obtulit eam regi emendam. Dixit autem rex Brigidæ: Cur tulisti gladium patris tui, & eum pauperi dedisti? respondit illa, ego verò Christo illum dedi: & certè si & te, Dominum meum Regem, & parentem meum Deus à me peteret, si possem, ambos vos cũ omnibus facultatibus vestris illi darem. tum Rex. Filia tua longè maior est quam quę vel abs te vendi, vel à me emi debeat: deditque virgini gladium quem patri daret loco illius quem abstulerat. *Surius 1. Feb.*

§. 3. *Omnibus se abdicat S. Lucianus.*

Sanctus Lucianus cùm circa annum ætatis suæ duodecimum vtroque parente orbatus esset, nihil inde motus omnes suas diuitias pauperibus erogauit, & ad Macarium se recepit, vt cum eo versaretur. *Surius ex Metaphra. 7. Ianuar.*

§. 4. *Achas pecuniæ contactum perhorrescit.*

Cum habitum Franciscanorum multis lacrymis Achas obtinuisset ita ad omnes ordinis consuetudines sese composuit, vt ex nimio paupertatis amore, argenti aurique vel contactum summopere exhorresceret. Quo audito mercatores qui negotiorum causâ fortè aderant, nummo in imum vasis quo bibebant, latenter immisso, puero modicum vini propinant; exhausto vino *Tho. Cant. l. 2 Apum c. 28. Molanus 11. Iunij.*

vbi fraudem deprehendit, exclamat horrificè, vas abijcit, & oculis manibusque in cælum sublatis: Tu nosti Deus omnipotens, inquit illacrymans, quod inscius ordinem meum violaui; hinc tremebundus expalluit, & quasi ad mortem tendens, nigredo eius faciem occupauit. Expauit pater, & properè sacerdotem accersit, qui puero obsoluto manum imponens, eum à dolore, & pœnitudine mitigauit.

§. 5. *De S. Elizabetha Hungarica.*

Surius 19. Nouemb. Elizabetha decimam quamque partem lucelli quod ipsi ex lusu prouenisset, puellis erogabat pauperioribus, hoc tamen pacto, vt semel Dominicam precationem, & Angelicam salutationem recitarent.

§. 6. *Omnia deserit Hilarion.*

Antoninus 2. p. tit. 15 c. 5. Hilarion prope Gazam Palæstinæ, parentibus idololatriæ deditis ortus, cùm audiret celebre nomen Antonij quod per omnes Ægypti populos ferebatur, studio visendi eum incensus, ad eremum perrexit, & statim vt eum vidit, mutato habitu, duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplans vitæ eius ordinem, & morum grauitatem: porrò frequentiam eorum qui ad eum ob varias infirmitates, & dæmonum impetus veniebant, vltra non ferens, ad patriam redijt, & parentibus defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans: erat autem tunc annorum quindecim; sicque nudus & armatus eremum petijt sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens, id est, subuculam ependyten quem illi B. Antonius proficiscenti dederat.

§. 7. *Torques & monilia abijcit Theodorus vt Deo vacet liberius.*

THeodorũ mater cùm ab oratorio S. Georgij (quod frequentare consueuerat quotidie, & sine cibo diutius ibi orare) conaretur auocare, multis in quodam die blanditijs cohortabatur, vt domum suam reuerteretur, addebatque se amicos expectare: sed puer scripturæ verba non ignorans, quod, *Qui vult huius mundi amicus esse, inimicus Dei constituitur*. noluit illi hac in re obsequi, sed mundi diuitias spernens, easque abijcere cupiens, zonam sibi & torquem atque armillas adimens ea proiecit in conspectu eius. Scio, inquiens, vos vereri ne hæc amittam, & idcirco me obseruatis; accipite igitur, ac discedite: ego enim hinc non recedam. quibus illa sumptis cùm eum flectere non posset, abijt; totus enim animo defixus erat in Domino, cuius vestigia sequens, parentes fugiebat, & ad Deum accurrens diuitias & domos relinquebat, vt cẽtuplum acciperet & vitam ęternam possideret.

Surius 22. April.

Erat tum annorum 12.

Iacobi 4.

§. 8. *Infantis de paupertate vox præmatura.*

ROgatus à Carolo auunculo suo Robertus, quid maximè haberet in votis; Paupertatem amplecti, inquit. Quod quidem responsum ne temere datum ab admodum puero putari posset, tertiò dedit: habebat tum annos omnino quinque.

Chron. S. Francis. to. 3. l. 1. c. 53

§. 9. *De S. Trudone.*

SAnctus Trudo in Hasbania natus est, quæ olim cum Lotharingia censebatur, anno salutis 628. ex parentibus qui multas ditiones habebant in Flandria, Hasbania & Campinia, ob quas dignitate Comitum celebrabantur, sed pietate

Molanus in Indiculo SS. Belgij.

multò erant celebriores. Trudo adhuc puer tam largus fuit in eleemosynis vt boni eius vix modũ nouerit, vereque in eum competat tritum prouerbium; *Largitio fundum non habet*. Mortuis parentibus adijt consilio Remacli S. Clodulphum Episcopum Metensem, ibique quicquid in Hasbania patrimonij habebat, Ecclesię Metensi in hororem S. Stephani resignauit, & postmodum quod puer vouerat, templum construxit in gentilitio agro in honorem S. Quintini Mart. & Remigij Episcopi ad riuulum Cilindriam.

§. 10. *Vestibus se S. Cæsarius spoliat.*

Vincentius Biralus ex Cronologia sanctorum Lerin. insulæ.

SAnctus Cęsarius Arelatensis Episcopus cùm septimum tantum ætatis ageret annum, ex vestibus quas apud se habebat incunctanter pauperibus impertiebatur: sępe autem seminudus domum reuertens à parentibus seuerè examinabatur quid suis fecisset vestibus; quibus ille hoc solùm respondebat, à prætereuntibus, illi fuisse ablatas.

§. 11. *Pauperibus subuenit eosque extollit B. Petrus.*

Ex Chron. S. Francis to. 4. p. 2. l. 2. c. 1.

ANnos fortè octo natus B. Petrus Nicolai cùm ad ludum literarium cum vno è sodalibus tenderet, & anum in platea cadentem vidisset, concurrit ad miserã subleuãdam; & cùm eam socij suivalentioris auxilio erexisset in pedes, misericordia motus etiam ientaculum ei, quod secum deferebat, totum dedit: ridebant eum socij dicebantque: Bene est, quid iam edes pro ientaculo? quibus ipse. Credite, inquit, non potuisset mihi gratius obtingere ientaculum. Quod pauperibus erogatur, magis homini prodest, quam quod in ventrem dimittitur. Ne quæso, ne pauperes habeamus despectui, quia sunt amici Christi, eiusque personam gerunt. Id ætatis etiam nosocomia frequenter

quenter comitibus eodem inuitatis adibat: ibi lectos longo ordine digestos obire, egenis pro modulo ministrare, solari mœstos, de malis vtiliter perferendis verba facere.

§. 12. *De S. Bernardino Senensi.*

Bernardinus Senensis pupillari ætate, Dianæ materteræ commendatus, prandioli partem pauperibus erogare solitus, cùm forte vnicus panis domi esset, prohibereturque infringere, portionem petijt suam, quam precario adeptus, mendico obtulit. *Sabellicus l. 1. exemp. c. 3. Surius 20. Maij.*

§. 13. *De S. Iusto puero 9. annorum.*

Cum S. Iustus cum patre Ambianum proficisceretur ad fratrem suum Iustinianum seruitute liberandum, Meloduni, ad vrbis portas obuium habuit pauperem quemdam pedum officio, & oculorum lumine orbatum; cui stipem enixè petenti pius puer non modo cibum præbuit, sed & nudum cùm cerneret, sua se spolians tunica, contexit. qua re nonnihil commotus pater cœpit eum obiurgare, & illud benignitatis officium dispendium vocare: at ille quibusdam sacræ scripturæ locis probauit quanto cum fœnore apud pauperes beneficium tale collocaretur. *Beda to 3. 18. C Beo ex quo Sur.*

§. 14. *De S. Bernardo.*

S. Bernardus ab ipsis iam puerilibus annis si quos poterat nummos habere, clandestinas eleemosynas faciens, & verecundiæ suæ morem gerebat, & pro ætate, immo supra ætatem, pietatis opera sectabatur. *Surius 20. Aug.*

§. 15. *De S. Luca.*

S. Lucas germen Græciæ & alumnus fuit, dequo legitur quod cùm puer esset adeo in pauperes benignus erat, vt esurienti cibum præbere, atque nudo vestem, delicias & luxum arbitraretur: *Ex Menæis 7. Febru.*

quare ſæpius propriam largitus veſtem, nudus redibat.

Vitam hãc ad me miſit P Eribert. Roſvveyd. quam deſcripſit B. Hildegardis in libro ad congregationem Sororũ ſuarum. refert eandem P. Nic. Serrarius de reb. Moguntiacis l. 2. c. 35 & apud Vſuardũ ſic legitur: Apud Bingã S. Roperti Ducis Palat. Rhent. & Confeſſ vocatur autem nunc Robertus, nũc Ropertus, nunc Rupertus.

§. 16. *Vita S. Ruperti Confeſſoris Bingionum ducis 15. May.*

B. Rupertus cùm ſeptem eſſet annorum defuncto patre Robolao pagano, qui dignitate Ducatus fuerat illuſtris, literas diſcere cupiebat, quibus eum mater ſua Berta nomine inſtrui faciebat, clericum tamen eum eſſe nolebat, ſed loco patris ſui prouinciæ ſuę Ducem eſſe diſponebat: ipſe autem gratia Spiritus ſancti miſericors ſuper pauperes erat: nam vbicunque pauperes pueros inueniebat, eos matri obtulit, dicens: *Mater ecce filij tui*. Quod factum illa benignè ſuſcipiens, reſpondit; *Fili, fratres tui ſunt*; ſicque bonis moribus educatus, mundum deſpiciens, Eccleſias frequentans, & ſtudijs pijs vacãs duodecimum attigit annum. Et dixit mater ad eum: Fili, quoniam plurimas habemus hæreditates & diuitias, oratorium ad honorem Dei, & ſalutem animarum noſtrarum faciamus. & dixit Rupertus: Non, mater, ſed priùs quid euangelium habet, intendamus, quod dicit: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam*. & iterum. *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris*. Quod audiens mater, plurimum gaudebat, quia filius eius tam ſanum conſilium ſibi dederat.

Eſaie 58.

Ibidem.

Viſio eius

Quadam vice quendam in ſomnis ſenem vidit qui pulchram faciem habens quoſdam puerulos in lympida aqua lauit, quos poſtea in quoddam pomerium, omni genere florum & arborum amœniſſimum, ac odore cunctorum aromatum, inducens, candidiſſima veſte induit: At B. Rupertus amœnitate loci eiuſdem allectus, dixit ad ſenem: Hîc manerẽ volo. Cui ſenex reſpondit: Hîc modò non permanebis, quoniam fructuoſam

ſcalam

scalam tibi præparabis in cælis: quapropter quod de pauperibus facere disposuisti, perfice, quatenus per victum & vestitum illorum, cibo vitæ fruaris æternæ: at sæculo mente peregrinus effectus, optimam tibi pertem eligas. Postquam autem B. Puer euigilauit, hęc quę in somnis viderat matri narrauit. Vnde multùm gauisa, Deo gratias agebat. Deinde mater cum filio iuxta ripam defluentium aquarum, quædam domorum habitacula ædificabat, vbi ambo pauperes & nudos conseruabant, quibus etiam victum & amictum per duos sanctos viros ministrabant; Vnus dictus Wichbertus eis in sacerdotio seruiebat; alter verò quidem ministerialium eorum existens indoctus, & sine literis erat. Ipse quoque B. Rupertus teneræ ætatis ac nobilitatis suæ, ob amorem Christi, oblitus, pedes pauperum sæpe lauabat, cibum & potum ipsis apponebat, ac lectos eorum sępe sternebat: & sic ad quintumdecimum ætatis suę annum fideliter Domino seruiebat.

Et quoniam in pompa sæculi per multas diuitias, quibus familia pollebat, ad sæculum se trahi videbat; apud se tandem tractare cœpit quatenus Deo liberiùs in quiete seruire posset. Quod mater eius sentiens cum lacrymis ait: Fili, gemitus matris viduæ attende, familiamq́ue tuam in te solum confidentem considera; & ne nobis intolerabilem miseriam inferas, prouide; nam de facultatibus nostris egentibus secundum quod tibi placuerit erogare poteris: & quid tibi melius & vtilius, quàm Deo semper seruire? Hac matre cum lacrymis loquente, filius in corde suo multùm turbatus est. Eodem etiam tempore Nobiles veniebant ad eum, dicentes: Tu qui tantum honorem ducatus; tantasq́, diuitias habes, cur te tam contemptibilem facis? His atque alijs consimilibus verbis quotidie ipsum lacerabant. Quod ille cernens matri suæ dicebat: Ecce per suggestionem diaboli, qui proposito meo inuidet, sæculo implicor:

implicor: & post vias patris mei, quamuis nolens, ibo: peregrinationem ob hoc desiderabam, vt liberiùs Deo seruire possem. Mater autem eius malens hærede carere, quàm filium sæcularibus implicamentis irretitum diabolo seruire, magno cum dolore, ait: Fili, quoniam video te per multa consilia turbatum inconuenienter ad sæculum trahi, fac quod vis, & peregrinationem diu optatam aggredere. At ille ex voluntate matris suæ peregrinationem accepit, atque ad limina Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli profectus est. eo autem ibi moras faciente, à quibusdam viris religiosis eiusdem regionis interrogâtus, cuius conuersationis aut desiderij foret, ipse omnia quæ in corde suo habebat, aperuit. At ei consilium ei dabant, vt Euangelium attenderet, quod dicit:
Matt. 19. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; *qui consilio eorum se subdidit, ac se ita facturum in animo suo deliberauit. Denique ad matrem suam reuersus, in prædio suo, quod latissimum erat, villas & Ecclesias in locis quibus non erant, ædificari fecit, hominibusque suis eas distribuit, quatenus inibi manentes matri suæ quamdiu viueret, ministrarent. ipse verò ducatum, matrem, familiam, possessiones suas, & omnia quæ habebat, relinquere, ac pro Christo peregrinus fieri cogitabat: post hoc, cùm B. Rupertus vigesimum ferè ageret annum, materq; ipsius Deo in bonis seruiret operibus, nocte vidit costam de latere suo cecidisse; vnde multum perterrita crebros gemitus protulit, sicut postmodum non multo transacto tempore patuit: nam filius eius Rupertus cùm in intentione deuotionis quam Deo vouit, esset constitutus, magnis febribus infirmari cœpit, in qua infirmitate senex quem dudum in somnis viderat, ei apparuit, dicens: Ego sum antiquus dierum qui Danieli in visu noctis apparui, & nunc me tibi manifesto, teq; ad gloriam manifestæ beatitudinis voco. qui de somno euigilauit, tristitia & terrore perterritus, quia libenter complesset, quod Deo in desiderijs suis vouerat, matrique suæ, quem viderat, indicauit. sed & illa maximo mærore perculsa,*

quantos luctus ediderit inenarrabile creditur. Itaque cum Beatus iste in prædicta infirmitate diebus triginta, anno ætatis suæ 20. laborasset, Deus eum de hac vita in bona confessione tulit. In oratorio autem quod ipse & mater sua construxerant in Ciuitate Binga, vbi eorum mansio fuit supra Manam fluuium, est sepultus, vbi Deus meritis suis, infirmis plurima miracula facit. B. vero Berta post mortem filij sui in omni sanctitate per 25. annos viuens, labores suos piè ac iustè consommauit, & post hoc infirmata spiritum Deo reddidit, & in sepulcro filij sui honorificè tumulata fuit. Ciuitas est Moguntinæ diœcesis.

§. 17. Eleemosyna B. Bonifacij pueri miraculo compensata.

QVo tempore puer cum matre habitabat Bonifacius, egressus nonnunquam sine linea, crebro & sine tunica reuertebatur, quia mox vt nudũ quempiam inuenit, vestibat, quẽ mater sua frequenter increpare consueuerat, dicens, quod iustum non esset quod ipse inops pauperibus vestimenta largiretur; quæ die quadam horreum ingressa pene omne triticum quod sibi in stipendium totius anni præparauit, inuenit à filio suo pauperibus erogatum. cumque semetipsam alapis pugnisque tunderet, quòd quasi anni subsidia perdidisset, superuenit Bonifacius puer Dei, eamque verbis quibus valuit cõsolari cœpit, quę cùm nihil consolationis admitteret, hanc rogauit vt ab horreo exire debuisset, in quo ex omni eorum tritico parum quid inuentum est remansisse. Puer autem Dei sese illic protinus in orationem dedit. Qui post paululum egressus ab horreo, matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum est, sicut plenum antè non fuerat, cùm mater illius totius anni sumptus se congregasse gaudebat. *D. Greg. l. 1. dial. c. 9*

§. 18. *Elee-*

§. 18. *Eleemosynæ S. Rosæ vertuntur in rosas.*

Ex Chron. S. Francis. l. 2 c. 15.

SVmmę erat in pauperes benignitatis sācta Rosa, quam etiam Deus insigni hoc miraculo cōprobauit. Cùm inibi admodum grauis esset annona, & pater eius rei domesticæ angustias pertimesceret, inhibuit filiolæ ne panes de cetero pauperibus diuideret. At ipsa pium ignara morem dediscere, frustula quędam non rarò suffurabatur, egenis eroganda, quæ extremo vestis collectæ sinu recōdebat. quod cùm oculis ipse suis seueriùs pater examinaturus deprehendere conatur, adductū vestis sinū medio hyemis tempore purpureis plenū esse rosis non sine admiratione comperit.

§. 19. *Simile de B. Petro Luxemburgensi.*

Excerpta ex eius vita, & à R. P. Ludouic. Delingēdes Recto. Coll. Auenionēsi adme trāsmissa.

SVmmo quoque pauperes studio fuit B. Petrus Luxemburgensis puer, & quicquid habere poterat ad eorum inopiam subleuandam etiam inscijs parentibus largiebatur: vsque adeo vt etiam carnes ex coquina furtim ablatas ad eos deferret. Cumq; à seruis apud patrem accusatus esset, deprehēsusq; ab eo, & interrogatus quid ferret sub pallio respōdissetque puer ferre se rosas ad recreandos pauperes, inusitato miraculo pater cùm pallium detexisset, pro carnibus, rosas inuenit.

§. 20. *De eodem.*

Ibidem.

IDem etiam charitatis in pauperes studiū tenuit reliquo tempore. Vix enim vndecimū annum agens cùm non haberet aliud quod stipem petēti pauperi daret, detractum è manu annulum statim venundari iussit, ne pauperē indonatū dimitteret.

§. 21. *S. Martinus mendicum veste contegit & simul Christum.*

Ex Breuiario Rom. 11. Nouēb.

QVindecim annos natus in militiam profectus, primùm in Constantij, deinde Iuliani, exercitu militauit; qui cùm nihil haberet præter arma, & vestimentum quo tegebatur, Ambiani pau-

pauperi ac nudo ab eo petenti vt Christi nomine sibi eleemosynam tribueret, partem chlamydis dedit, cui sequenti nocte Christus dimidiata illa veste indutus apparuit, hanc mittens vocem: *Martinus Cathecumenus hac me veste contexit.*

§. 22. *Historia non iniucunda de* S. *Medardi equo dato & diuinitus reposito.*

PRæcipuo quodam pauperum alendorum studio tenebatur Medardus, adeoque vt frequenter & cibum & vestitum sibi necessarium detraheret, ac pauperibus beneuole largiretur. Et quãquam non rarò ea propter parentum indignationem incurreret, pius tamen puer, cui pauperũ cura assiduò sub pectore viuebat, nullo modò ab illo bene faciendi studio poterat reuocari. quod satis confirmat quod sequitur. Cùm enim die quodam parens eius ex itinere fessus equos suos in prato viridi custodiendos ei committeret, & fortuitò hominem quendam ephippio onustum pertransire videret, percunctari puer cœpit qua de causa tã graui onere pressus incederet, cum ipsa via satis laboris & sudoris afferret. cumque ille tristi voce responderet, equum suum casu deperijsse, noluisse etiam ephippij iacturam facere faciliusque fore sibi equum, quàm equum & clitellas comparare, puer qua erat benignitate, In nomine Domini, ait: vnum ex his, tolle, quos hic custodiendos suscepi: hesitanti paululùm viatori. Tolle, ait, sicut dixi, & quocunque te pertransire contigerit, me huius cõcessionis auctorem & patronum habebis. Ille deponens onus in equi dorsum, post gratias actas, exhilaratus abscessit. Circa vesperam milites quibus equorum cura incumbebat, recensitis equis, vnum deesse reperiunt. de quo inquirentes, blandè primò paruulum demulcent, deinde instanter ab eo requirũt, si qua fortè via perditum recuperent. Ille vt se à famu-

Surius 8. Iunij. Baro. to. 7.

famulis vrgeri vidit, patri rem totam aperit, qui cognita filij sui tam admiranda sanctitate, damnum illud qualecumque videri poterat, facile tolerauit. Interim Christus qui nulla re magis quàm benefaciendi exercitatione delectatur, ipso eodem momento rem miram edere dignatus est: nam cùm denuo equorum suorum numerum recēserent solicite, nullum desiderari compeiunt, stupent omnes rei nouitate attoniti pater cum matre filium tenerrime amplexatur, & vt ad altiora se surrigat, cum lacrymis cohortatur. Fili, ait, omnia nostra tua sunt, tuo & nostro vt tibi visum fuerit, vtere patrimonio, vt nos tecum consortes perennis vitæ habeas in præmio.

§. 23. *S. Ioannis Eleemosynarij visio.*

In vitis Patrum 1. p de S. Ioan. Eleemosynario.

CVm essem (inquit S. Ioannes Eleemosynarius) adhuc in Cypro quasi annorum quindecim vidi vna noctium in somnis puellam quandam, cuius species supra solem splendebat, ornatam supra omnem humanum sensum, quæ venit & stetit ante lectum meum, & pulsauit me latere: expergefactus verò vidi eam in veritate stantem & adoraui eam esse mulierem. Figurâ igitur crucis signatus, dixi ei: Quę es tu & quomodo ausa es intrare ad me dum dormirem? habebat & coronam de oliuarum ramis super caput. Tunc illa hilari vultu & subridendo dixit mihi: Ego sum prima filiarum regis. Cumque hæc audissem, statim adoraui eam. Tunc dixit mihi. Si me possides amicam, ego te ducā in conspectum Imperatoris; nemo habet potestatem apud eum sicut ego. Ego quippe feci eum hominē in terris fieri, & saluare homines: & hæc dicens, disparuit. Ego verò in me ipsum reuersus, intellexi visionem, & dixi: Credo, Compassio ac Eleemosyna est, & ideo habet in capite

capite ex oliuæ folijs coronam. Etenim veraciter compassio & benignitas erga homines Deum carne vestiri fecit. Statim ergo vestiui me,& nullum domus meę excitans, in ecclesiam abij; erat enim iam aurora, & cùm irem obuiam fratri frigore vexato,expoliaui me indumento caprino,& dedi ei,dixique intra me.Ecce in hoc sciam si vtique est vera visio quam vidi,an dęmoniaca.Et veritate testante,noui, dum Ecclesiam comprehenderam , & subitò obuiat mihi quidam albis indutus vestimentis , qui dat mihi ligaturam centum numismatum;dicens:Accipe hęc, frater,& dispẽsa vt vis . Ego autem præ gaudio statim hæc suscipiens , reuersus sum , volens reddere ei ligaturam illam quasi nihil indigens , & ampliùs non vidi aliquem.Tunc dixi veraciter, non esse phantasiam.Ex illa hora sępe dabam confratri aliquid, & dicebam:Videbo si mittat mihi,vt dixit,centupla;& cum tentassem Dominum male faciens,& satisfactus essem diuersis modis per eas res, dixi: Cessa misera anima tentando intentabilem.

Vide p. 3. c. 3. §. 4.



CAPVT XXX.

IN PARENTES OBSERVANTIA.



NON infitior teneras primoque succo excrescẽtes plantas ad quodlibet cultoris imperium inflecti facilè , dirigique posse, nunc sursum efferri , nunc deorsum demitti , nunc si voluerit in gyrum sinuari, quæ tamen vbi iam trunco firmiore

miore aſſurrexerunt, frangantur citiùs quàm flectantur. Puerorum animos plantis ſimiles diceret quiſpiam, ad omne parentum imperium iuuenili ętatis flore facilè regi poſſe: id certè de omnibus negare non audeam; de omnibus affirmare verear: ea enim hodierno die naturæ corruptio etiam in hanc ætatem teneram irrepſit, vt quam obſequij facilitatem in plantis incorruptam natura reliquit, in pueris pleriſque omnino labefactarit; quorum plurimi vix nati, in parentum luctus iam dati eſſe videntur. *Damnoſa quid non imminuit dies*! Meliùs Philoſophorum ille princeps Ariſtoteles, qui, vt reor, eam parentibus obſeruantiam rependit, quam voce toties extulit, literarumque monumentis commendauit, Nunquã par obſequij genus parentibus referri poſſe. Meliùs Græciæ quondam lumen Antilochus, qui adeo ſingulari in parentem Neſtorem obſeruantia fuit, ac pietate, eum vt telum in parentis caput immiſſum pectore excepiſſe teſtetur Neſtoreo ſepulcro inſcriptum carmen, *Et nati vulnere viuo parens*. Meliùs, inquam, quotquot hæc pagina ſubijciet tenerarum plantarum inſtar flexiles, & ad minimum parentum nutum officioſi obſequenteſque.

§. 1. De Samuele,

1.Reg.c.3. *PVer Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, (& ſermo Domini erat precioſus, in diebus illis non erat viſio manifeſta) factum eſt ergo in die quadam: Heli iacebat in loco ſuo; & oculi eius caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini vbi erat arca Dei, & vocauit Dominus Samuel, qui reſpondens ait: Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocaſti enim me. qui dixit: Non vocaui, reuertere, & dormi, & abijt & dormiuit. & adiecit Dominus rurſum vocare Samue-*

Samuelem, consurgensque Samuel abijt ad Heli, & dixit: ecce ego, quia vocasti me: qui respondit: Non vocaui te fili mi: reuertere & dormi. Porrò Samuel necdum sciebat Dominum, neque reuelatus ei fuerat sermo Domini. Et adiecit Dominus & vocauit adhuc Samuelem tertio; qui consurgens abijt ad Heli, & ait: ecce ego quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum & ait ad Samuelem: Vade & dormi: & si deinceps vocauerit te, dices: Loquere Domine quia audit seruus tuus: Abijt ergo Samuel, & dormiuit in loco suo. Et venit Dominus & stetit, & vocauit sicut vocauerat secūdo, Samuel, Samuel. & ait Samuel: Loquere, Domine, quia audit seruus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel, &c,

§. 2. De puero IESV.

IBant parentes IESV per omnes annos in Ierusalem, in die solenni paschæ. Et cum factus esset ann. 12. ascendentibus illis in Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent remansit puer IESVS in Hierusalem: & non cognouerunt parentes eius, existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum: & factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudētia & responsis eius; & vidētes admirati sunt. & dixit mater eius ad illū: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolētes quærebamus te. & ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? Et non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. & descendit cum eis, & venit Nazaret : Et erat subditus illis. *Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* *Luca 2.*

§. 3. *De S. Maclouio.*

Sigebertus Monachus Gemblacẽsis apud Surium 15. Nouemb.

MOnasticam vitam beatus puer ingressus quàm promptum se in obedientia prę ceteris exhibuerit, vel ex hoc probari potest, quod ob hanc vnam causam coæqualium inuidia carere non potuit. Ioseph polymitâ tunicâ à patre donatus, & ab eo præ ceteris amatus, inuidiam sibi cõflauerat, quia fratrum, vitia damnabat. Hic etiam quia talarem perfectionis tunicam, & virtutum colore variatam à Deo meruit, patuit inuidię. Mos est ordinis illius pueros hebdomadatim Pædagogo lucernam præferre, dum noctu intrant vel exeunt oratorium. Recurrente ergo beati pueri hebdomada, ignem extingunt alij, vt saltem pro hac offensa pœnas luat. Delusus ad furnum currit, verùm & pistori inuidia non defuit; sulphurata durus recusat dare, quibus flammam ex prunis rapiat puer. Quid hîc agat sancta pueri simplicitas? vrgebat parendi libido; ardentes prunas in vestis sinum coniectas defert citus ad lucernæ lychnum accendendum; quò veniens cùm accensum reperisset, vestes excutit, quę ne leuiter quidem vstulatæ sunt. Pędagogus geminato miraculo stupescit, alumni genibus aduoluitur.

§. 4. *De Mutij filio octenni.*

Cassian. de Inst. l. 4. c. 27.

MVtij postea Abbatis, filius monasterium octennis cum patre ingressus, non rarò patri materiam patientiæ ministrauit, obedientiæque. Siquidem Abbas vt vtrumque virtutum studijs exerceret, puerum etiam in parentis conspectu identidem consultò seueriùs excipiebat, minis, clamoribus, verberibus. Verùm nihil horum Mutij animum vel minimum afficere potuit, nedum labefactare. Denique simulata in puerum indignatione Abbas obedientiam Mutij periclitaturus, iussit vt arreptum filium in pręterlabentis flumi-

fluminis gurgitem suffocandum demergeret: paret ille, nihil moratus, superioris voci, haud secùs ac si à Deo proficisceretur fecissetque nisi quibus erat commissa prohibendi cura, ij prohibuissent. Atque ita perfectam obedientis Abrahæ Mutius, obedientis Isaaci filius, similitudinem nobis expressit.

§. 5. *Adolescentuli duo ad mortem vsque obedientes.*

IOannes Abbas, eremique Scyti œconomus, ficus de Marcote Libyę sibi muneri missas duobus adolescentulis ad senem quendam procul in vlteriore deserto manentem deferendas detulit, quos, dum iter agerēt, nubilosa circumfudit caligo, ita vt quò pergerent nescirent. Per vastam igitur errando solitudinem diem noctemque consumpsere. Senis cellulā nusquam inuentā. Cumque diu expectati non redirent, reperti sunt positis genibus animas exhalasse, illibatis ficubus quas secum tulerāt; siquidem inedia perire quam Abbatis præuaricari mandatum maluerunt, qua saltem in re, stupendæ cuiusdam constantię exemplum præbuerunt.

Andreas Eberensis titulo Obedientia.

§. 6. *S. Lambertus prunas veste defert ex obedientia.*

APer S. Lamberti pater cùm S. Landoaldo prędium dedisset, quod Wentershouum dicitur, ad Ecclesiam construendam, dum artifices insistunt operi, & vsui necessariò ignis deesse videretur, accitus à sancto viro puer, ignem inferre iubetur. Cœpit idem imperio reniti, & cur statim imperio non satisfecerit, palam fateri: Vas, inquit, Domine, quo ignis opportune importetur, deesse vides, & quo hunc modo inferri iubes? promptus quidem tibi obtemperare mihi est animus, sed vt votis tuis contraire videar, ipse vasis cogit de-


Nidgerus Ep. s. Leod. vita S Lādoaldi l. 1. apud Suriū 19. Mar.

 fectus.

fectus. At pius pater vbi hæsitantis pueri animum persensit; Placétne, inquit, fili, paternæ iussioni moram fieri, cùm ea qua tegeris veste ignis satis commodè queat inferri? Qua puer motus increpatione, cùm preterea obedientiæ exemplo cogeretur, imperio patris sanè obtemperat, pauloque progressus, ignem requirens properat. Quo tandem inuento, nil adesse videns quocum opportuniùs ferret, gremium prunis ardentibus laxat, easque nihil cunctatus infra collocat, & ita veste illęsa ad patrem vsque deportat. Tunc vir sanctus nouitatem miraculi secum altiùs considerare, felicisque pueri meritum perfectorum etiam non dubitat virtutibus comparare, quo quidem ardens elementum, naturam suam vel ostendere timuit, vel omnino coactum est occultare.


§. 7. Pueri 42. deuorantur quia senem irriserunt.

4 Reg. c. 2. *AScendit Elisæus in Bethel, cumq; ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant, ei dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui cùm respexisset, vidit eos & maledixit eis in nomine Domini. egressique sunt duo vrsi de saltu & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.*



CAPVT XXXI.

FORTITVDO ET PATIENTIA.



FVIT hoc proprium ac familiare Romanis, vt communi hac acclamatione, in publico priuatoque concessu sæpius vterentur, eamque sibi vulgaris instar parœmiæ tribuerēt; *Agere & pati for-*

ti fortia Romanorum est. Quod laudis encomium præclarum sanè, si omnibus Romanis concedendum dixero, me multorum & in agendo ignauia, & in patiendo animi remissio reuocabit; si solis id insigne genus laudis proprium dixero, puerorum quos subijciam præclara facinora dicentē condemnabunt, quorum fueritne maior in agendo animi feruor, an in patiendo fortitudo ac constantia omnino dubitē, immo erit non nemo, qui si legerit quæ tum hoc capite non minùs fortiter, quàm constanter à pueris vitæ decursu tolerata subijciuntur, tum maximè tertia huius operis parte de inuicta eorum in perferendis Martyrij cruciatibus constantia fusè narrantur, bona Romanorum pace iam dicere possit; *Agere & pati fortia, etiam puerorum est.*

§. 1. *Pueri cum Gigante Monomachia.*

CONradi filius Hēricus Germaniæ Imperator vxorem duxerat Anglorum regis filiam, miræ pudicitiæ feminam, quam tamen Imperator ipse instigante diabolo non solùm repudiare verùm etiam necare voluit, mentitus adulterium ab ea commissum. Patrio itaque more, præconis voce publicatum est, vt si quis tutari vellet Augustam cum illo congrederetur quem Imperator delegisset: Cæsaris autem partes agebat impius quidam gladiator visendæ celsitudinis, quo superato Reginæ & salutem & innocentiam maritus tribuebat. Edicti seueritas, causæ obscuritas, & militis robur multos à defensione castæ mulieris retraxerunt; Donec puer quidam cui matronę castitas optimè perspecta fuerat, certamini se libenter opposuit. Quid multa? Goliam immanè procerum puer ad pugnam prouocat; ridenteque inimico rem agit ipse seriò: nam vbi ad campum ventum est spectatoribus vndique refer-

Paul. Diaconus hist. Lōgobard. l 4. ca. 16. Nauclerus l 2. gener. 35. Delrio de Magia l. 4 c. 4. q. 4. sec. 2. P. Bonifac. de Pueritia

tum, arrepto quem ferebat enſe, non ſine valido atque ingenti diuini Numinis adiumento ſuperbum pugnatorem obtruncat, auulſo deinde ex humeris capiti, puluereq; ac ſanguine fœdato victor puerulus inſultauit. Pene deſipiunt qui tãto, non ſpectaculo, ſed miraculo interfuerunt. Sibi mutuò de chariſſimę Auguſtę libertate gratulantes. Verùm integerrima Princeps tanto obligata beneficio religioſarum virginum domum arctioris vitæ gratiâ delegit, ibíque cùm ſanctam egiſſet vitam, felicem obitum impetrauit.

§. 2. *Ingens puerorum agmen ad recuperandam terram ſanctam proficiſcitur.*

Ioan. Nauclerus vol. 2. Chronographiæ, gener. 41.

ANno Domini 1215. Innocentius Papa Romæ in Eccleſia Lateranenſ. Concilium celebrauit, in quo multa pro recuperatione terræ ſanctæ tractata fuerunt. Vnde idem Innocentius, miſſis in omnes Chriſtianorum fines literis & nuncijs, viros doctos prædicare contra fidei Chriſtianæ hoſtes iuſſit, tenores autem literarum inter alia, hæc quidem continebãt. Quod ſingulis menſibus fieret generalis proceſſio ſeorſum viris, & ſeorſum mulieribus conſtitutis, cum orationum deuotâ inſtantiâ. Orationi autem ieiunium & eleemoſynam adiunxit, vt his quaſi alis quibuſdã, faciliùs ad aures Dei volet oratio. Singulis quoque diebus ſub miſſarum ſolennibus, publicam tam virorum quàm mulierum proſtrationem in terram fieri voluit cum pſalmo, Deus venerunt gentes, & verſu & oratione ad hoc diſpoſitis, & inſtitutis. Truncum etiam fieri in Eccleſijs ſub tribus diſtinctis clauibus ordinauit, in quo reponeretur eleemoſyna in ſubſidium terrę. Atque vt homines ad ſumendam crucem exhortentur ſtrictiùs mandat. Audientes autem hęc parui pueri de regno Francorum vſque ad viginti mil-

ti millia, crucem acceperunt, quasi per eos vellet Deus terram sanctam liberare. Nam turmatim diuisi per diuersos portus accesserunt alij Massiliam, Brundusium alij, reliqui Genuam veniētes, quidam tadem ad propria redierunt. Siquidem ad mare venientes plerique à piratis dolose nauibus ducti, quasi ad Ierusalem ducerentur, aut in mari submersi sunt, aut Saracenis venditi.

§. 3. Indorum puerorum feruor ad idola diripienda.

PVeri hìc magnum præ se ferunt legis nostræ amorem, quod testatum faciunt tum auidè audiendi studio, tum & ea abominatione idololatriæ, vt sæpe verbis aduersus Ethnicos atrocissimis digladientur; quę mea spes est & fiducia: De misericordia Dei non ambigo quin suis parentibus longè sint euasuri meliores. Etenim si parentes antiquum videant obtinentes recidere in idolorum cultum, non modò acriter eos corripiunt, sed salutis eorum amore etiam ad me deferunt. Sanè eò res modò spectare videtur, vt metu puerorum, ciuium nemo audeat, in vrbe idolis sacrificare. Nam extra vrbem occultè si quis idolorum cultum sectetur, pro Christianorum diligentia, suspectas omnes perscrutantur latebras, deprehensus illico ad me defertur. Cui malo aliud à me non adhibetur remedium, quàm quod plerisque conuocatis pueris, eos in rem pręsentem mittam, vbi idololatria instaurari videbatur: qui pro singulari, pioque quem erga fidem gerunt, zelo, maiorem diabolo irrogant contumeliam, quàm ipsum parentes dignati fuerant veneratione. Arrepta enim idola per præceps in cautes deturbant, aut certè ignibus exurenda tradunt, aliaque designant, quę quamquam non sit honestum recensere, pueris tamen est honori ita illudere ei qui parentes suos eò dementiæ impulerit,

B. P. Francisc. Xauier B. P. Ignatio de reb. Indicis epist. 1.

lerit, vt lapides & truncos pro Deo habeant, ac venerentur.

§. 4. *Gaſpar Belga feruida puerorum armatus manu crucem ſtatuit in fano Sarracenorum.*

Idem l.2. c.19.

VT Gaſpari ęgrè facerent Sarraceni, in ſuburbanam quæ Gaſparis domui in vicino colle iam habitantis, vt breui dicemus, imminebat, ædiculam ſuam prophanam (Miſquitam vocant) frequentes itare, ibi inconditis clamoribus obſtrepere, blaſphemijs etiam ſæpe crucem ritusque noſtros magis quàm artus ſuos nouaculis lacerare: quibus omnibus de Regis inconſtantia triumphos ducebant: Res viſa Gaſpari non ferenda: itaque ab excelſo animo ſuo conſilium ſumens, rem omnino admirabilem, & periculi plenam, ſi non ille diuiniore, quadam mente ageretur, perficere inſtituit, ſenſitque diuino inſtinctu certamen ſibi, vt olim Dauidi cùm Goliath, ineundum. Ergo in aciem egreditur; copię fuerunt doctrinæ Chriſtianæ auditores pueri ac puellæ, arma, crux vna, quantam duo poſſent ſuſtinere, cum ea cohorte poſtquam noctu (vt feriâ quâque ſextâ ſolebat) de Dominicis tormentis, verba feciſſet, inſpectantibus Mauris, (noctes enim Armuſiæ rebus agendis aptiores, ferè vigilabantur) in montem ſubit, & per otium in Miſquitæ ſummo apice vnde potiſſimùm crucem conſueuerant deteſtari, opere cœmentario crucem figit. Terruit ea res Sarracenos ita vt ne mutire quidem eorum quiſquam auſus fuerit. Matutinis verò horis vbi ex alto patuit vexillum fidei noſtræ, aliquot Mahometanorum millia concurrerunt, & non ſecus ac ſi capta ciuitate hoſtium pro muris vexilla conſpicerent, refugerunt: Mahometem porrò ad iſta cæcum,

ad suos eiulatus surdum, lamẽtabiliter inclamantes, ędiculam Gaspari reliquerunt, qui iam expiatam Virgini MARIÆ victrici à *Monte* cognominatæ, dedicauit. Idem quoque assumptâ ingenti puerorum turmâ crucis trophæum in Corano statuit Mauris (mira vis crucis !) huc illuc diffugientibus.

§. 5. *Origenes adhuc puer expetit fortiter martyrium.*

SEueri temporibus, cùm persecutionis ardor quotidie magis magisque incenderetur, & ferè infiniti coronis decorarentur martyrij, tantus amor, tantaque martyrij cupiditas animam Origenis (cùm valde adhuc tenera esset ætate) occupauit, vt propè se vltro offerret periculis, & alacri ac propenso studio in certamen insiliret irrueretque. Ac parum iam aberat quin per martyrium vitam deseruisset, nisi mater diuina quadam & cælesti prouidentia, quæ illum ad maximam plurimorum vtilitatem seruabat incolumẽ, impulsa enixè eius cupiditati ad necem adeo incitatæ procurrenti obstitisset : Ipsa enim verbis primũ supplex orabat, vt materni erga se amoris misericordiam caperet. vbi autem eum (cum iam intelligeret patrem præhensum carcere custodiri) cupidiùs ad mortem properantem animaduerteret, omni eius vestitu clam ablato, & in interiores quosdam ædium recessus abdito, domi eum manere necessariò coëgit. *Eusebius histor. l. 6. c. 2.*

Iste autem cùm ardens illa præter ætatem ad martyrium propensio magis magisque inflammaretur, adeo vt quiescere non posset, ad patrem (vbi nihil aliud agere liceret) literas, quibus eum ad martyrium impelleret, misit, in quibus his ferè vocibus adhortatus est. Obfirma te Pater, martyrium

tyrium fortiter sustine nec aliud quicquã nostrâ causâ molire. Tale fuit Origenis à puero verissimi erga pietatem amoris specimen.

§. 6. *Mulier cum filiolo feruidè properat ad Martyrium.*

Nauclerus Volumi. 2. gener. 13.

CVm iussisset Valens omnes Catholicos ab Edessa ciuitate expelli, quædã mulier dimissâ domo, filium paruulum in vlnas accipiens, ad Ecclesiam currebat: currenti sic Præfectus. O infelix, ait, quò sic indecenter curris? at illa. Quò alij: ad hæc Præfectus: Nunquid audiuisti occisuros repertos in ecclesia? Audiui, inquit, & ideo festino, vt inueniar inter illos. Et de puero interrogata, respondit: Vt mecum pergat ad Dominum. Ob quod ille recurrens ad Principem, dixit omnes paratos esse ad mortem, imperium verò esse omnes occidere: & sic ab ira reuocauit Principem.

§. 7. *Theresia martyrium expetit.*

Ribera in eius vita.

ANnos septem nata Theresia, cùm Sanctorum legeret martyria & ex consideratione tam ingentis gloriæ breuissimis tormentis acquisitæ, summo martyrij desiderio flagraret, cum fratre suo conuenit, vt ambo mendicantes ad Maurorum regiones proficiscerentur, & capitis abscissione, gloriosam martyrij coronam consequerentur. Iamque ciuitatis portâ, quæ vocatur Adoxa, egressi erant, Verùm non longè ab vrbe obuius illis factus quidam eorum Patruus, ipsos domum reduxit, Cumque à matre obiugarentur de absentia, frater totam culpam in virginem transfudit, dicens se non nisi sororis precibus illud iter fuisse aggressum.

§. 8. *Gra-*

§. 8. *Gratiæ puellæ martyrium exoptantis, ardor.*

DE seuerissimo Taicosamæ edicto in Christianos ad internecionem necādos mulier quędam à Iapone nepote suo certior facta, suis vt rebus prospiceret, nihil hoc nuncio turbata est, sed hilari vultu Deo gratias egit, animoque inuicto se ad tam illustrem coronam comparauit: ac vestes etiam quasdam vnà cum filiola adoptiua decenni nomine Gratia, seposuit, quibus decenter indui posset si quando agenda esset in crucem. Cui quidem desiderio vt effectus responderet, dixit quibusdam Christianis; Ego sum parata mori pro nostra sancta fide, verùm quia femina sum (quæ à natura timidior est) haud scio num animũ sim aspectu nudę crucis abiectura. Quare vos obnixè obtestor, ne lapsum talem in me toleretis, sed & renitentem vi retrahatis ad carnifices, vt cum reliquis martyr hac vita excedam. Eadem Maria (id enim mulieri forti nomen erat) factura deinde periculum, num filiolę Gratię, quæ optabat eandem subire aleam, esset solida, & non puerilis potiùs ardor, dixit ei se velle ipsam ad patrem suum (qui tum in alia quadam vrbe degebat) amandare, vt extra omne periculum esset. Illa autem vberrimè cœpit lacrymare dicens: Quid hoc est? nunquid ego sum baptizata? certè si omnes Christiani moriuntur, egone velim viuere? ex quo responso Maria non solum agnouit Gratię constantiam, sed summam quoque percepit consolationem. At certè cum paulò pòst à suo patre reuocaretur, nunquam à Maria auelli potuit; tantum cælestis gratia efficit in animo etiã tenero, quando semel illum occupauit.

P. Ioannes Hayus in historia 26 crucifixorũ c. 3.

§. 9. Puer

§.9.*Pueri cuiusdam flagrans desiderium martyrij.*

Ibidem c. 12. QVa nocte Nangaſacum perlatum eſt Taicoſamæ Regis mandatũ de quinquaginta crucibus parãndis, in quas Chriſtiani erant paulò pòſt agendi, dici non poteſt quantus ſit obortus ardor in populo, quòd tam glorioſa occumbendi ratio offerretur, Primarius quidam vir, cum vxore ſua, hac illacq́ue diſcurſabat, parans ſe ad martyrium. Decumbebant in eodem cubiculo duo ipſorum filij alter quinquennis vel ſexennis, alter vndecim annorum. Hic maior audito ſtrepitu exiliens è lecto curſu contendit ad patrem, ſciſcitaturus quid rerum ageretur; re breuiter cognitâ, mox percũctari pergit; Vobíſne, inquit, pater mi, moriendum? Cùm pater ſubijceret, omnino. O! inquit, quanto exulto gaudio, ſic enim & mihi licebit vos ſequi! Deinde digito demonſtrans fraterculum dormientem. Quid verò, inquit, de illo fiet? reſpondit parens, nobiſcum vnà erit martyr, Tum puerulus: Iam duplicatum ſentio gaudium, quandoquidem omnes ſimul ab hoc mundo migrabimus in paradiſum.

§. 10. *Item alterius.*

Ibidem. A Quodam alio puero quinquenni in principe domo Nangaſacenſi, quidam è Patribus noſtris percunctatus eſt, quandoquidem iam venirent gentiles, vt ex Regis voluntate interimant Chriſtianos, quid reſpondere cogitet, ſi rogatus fuerit an ſacramentum Baptiſmatis ſuſceperit? Reſpondebo, inquit puer, me eſſe Chriſtianum; ſed ſi, ſubiecit pater, eam ob rẽ te velint occidere, quid facies? reſpondit: Præparabo me ad mortem; at quomodo? inquit pater; reſpondit puer cum admirãda fortitudine, manãtibus inter verba lacrymis, vſque ad mortẽ implorabo IESV miſericordiam: Tantus in eius pectuſculo ardebat ignis Spiritûs S. qui linguas infantium facit diſertas.

§.11.*Pe-*

§. 11. *Petrus Nicolai leprosum magna animi fortitudine osculatur.*

B. Petrus Nicolai nouennis adhuc puer, inter eundum ad scholas vidit leprosum vlceribus plenum pro foribus templi præstolantem; Quem remotior à Comitibus suis factus,tãquam si Christum intuitus esset,veneratur, ad eius genua accidit,pedes ac manus ei summa animi alacritate exosculatur, non sine sodalium id spectantium stupore, quorum vnus cùm se mirari diceret eius animi fortitudinẽ in tangẽdis vlceribus sanie manantibus,à quibus & naturæ abhorreat,respondit nihil esse mirum si non exhorruerit, nõ se homini mẽdico, sed Christo vlceroso dedisse osculum.

Ex Chro. S. Francis. to. 4. part. 2. l. 1. c. 2.

§. 12. *Agnetis puellulæ fortitudo in fide propugnanda.*

IN regione quam Cincim vocant, fuit Agnes quædam, agnino verè candore, quinquennis puellula, quę id ætatis, qua vix nisi semesæ & detrũcatæ voces proferri queunt, cùm Christianam institutionem vniuersam probè calleret, tam scitè tam distinctè pronunciaret,vt pręsentibus nescio quem pietatis gustum instillaret, stimulosque ad Dei laudes deprædicãdas admoueret. Inuitata est à vicinis non rarò, vt propalam fidei præcepta edisserat. Huic porrò si cœnam, quandoque, vel prandium condicant affines idolis dediti (si quidem id feriâ sextâ vel sabbatho) nullis illa machinis adduci poteſt vt cibis ab Ecclesia eo die interdictis vescatur. Rogata demum eiusce rei causam, respondit solitum id ab ijs seruari qui Christianã amplectuntur fidem atq; huius quidem tantę virtutis, quæ in puellula efflorescit, miraculo obstupefactus parens sese filiâ multis partibus inferiorem agnoscit,additque sese in densissimis errorũ tenebris in flagitijs ętatem exegisse,cũ filia Deum priùs,quàm mundum nosse videatur. Hęc egregiũ

Ex literis P. V. lẽtini Caruallij Macaensis Rectoris ex China missis anno 1601.

virtutis,& in fide propugnandâ constantiæ dedit documentum. Agitabant nefarij idolorum cultores, festum quoddam, quo quidem idolum quod Chinchium dictitant,id est, principem tenebrarũ per vrbis vicos & compita, solenni pompa circumgestare consueuerãt, rati scilicet huius monstri ope, cęli pestilitatem atque intemperiem geniosque omnes malos ab ijs locis depelli, in quæ intromissum fuisset. Ecce autem Agnes, dum infame portentum paternis videt ędibus propinquare, in ipso domûs limine consistens, opposito corporis illud arcet procul. Et quid nobis, inquit, Christianis cum tenebrione illo Deo? Apage deastrum informe, apage, tenebrarum principem, qui cęlesti plenus luce irradiat locus, non ille squalentes vmbras, non malignos spiritus admittit.

§. 13. *Præsentem mortem contemnit puer pro fide.*

Petrus du Iarric. hist. Indiæ c. 11 anno 1590.

COchinensis puer scholarum nostrarum quas breui tempore adierat, auditor, à Saracenis captus, manibus pedibusque duro fune constrictis, ad arboris truncum religatur. Iamque eminùs impij lunato arcu, nî fidem Christianam eiuret, destinant vulneri locum: at puer adamantinâ fidei loricâ tectus, respõdit, malle se mortalis huius vitæ quàm IESV Christi (quæ vera est vita) iacturam facere. Illi hoc tam constanti responso attoniti, hoc tantùm; flagris eum atrocibus ceciderunt: quos quidem ictus non tantùm patienter pertulit, verùm & summo cum gaudio, quoniam dignus habitus esset pro nomine IESV contumeliam pati.

§. 14. *Pro fide flagra sustinet puer.*

Ex literis Socie. anni 1598.

TVrocij in Hungaria, adolescentulus loco clarus, domum euocatus, primùm blanditijs, deinde minis ad communicandum hęreticis, exe-

cramentis

cramentis vrgetur: renuit, sed in templum ducitur; constantissimè negat se fore idololatram. Denique raptim se proripiens, manus & oculos parētis effugit. Pater à tēplo reuers', illico expedit scuticas, & sexaginta ampliùs acerbè onerat filiū, quæ quidem filius, sicut & multas alias verberum verborumque ęrumnas patienter tulit. Solatio illi fuit quispiam ex condiscipulis, nobilitate par, nec in dissimili certamine constitutus, qui in cōmuni calamitate illum confirmare studuit per literas, nempe idem sibi à suis ingruere, se tamen ipsos parentes (priusquam fidem) abnegaturum esse. In simili pugna tertij extitit dissimilis euentus, quem parentes à Gymnasio longiùs accitum cum buccinatore verbi in disputationem commiserunt, in qua à puero tale est datū specimen vt exploso Prædicante pater non solùm filijs (duos enim habebat in scholis nostris) nullum religionis causâ negotium facessiuerit, sed & ipse de eadem capessenda seriò in animum induxerit, iamque dicitur Catholico ritu peccata confessus.

§. 15. *Puella in Christianis exercitationibus infracta constantia.*

Ex literis Socie. prou. Mediol. anno 1598

TAurini in prouincia Mediolanensi filia hęretici hominis inuenta est, quæ cùm puella apud parentes viueret, signo se S. Crucis flexis genibus muniebat, pictam effigiem sanctissimę Virginis aliorumque beatorum adorabat, orationem Angeli ad Virginem, quam à femina Catholica didicerat, recitabat. Ex quo palo alligata à patre ad tertium decimum vsque ætatis annū sæpe cæsa est, illita sputis, minis territa, afflicta ieiunijs, vt à Catholico ritu ac fide filia mentem auerteret: ea verò hęc atque alia pro Christi fide patiebatur iucundissimè. Cùm autem vererentur quidam, ne pater filiam aliquando necaret, consuluerunt, vt è patriâ

è patriâ domo, clam mutato nomine in aliud oppidum se conferret.

§. 16. *Puer Iaponius dirè exagitatur à patre, ob fidem Christi susceptam.*

Ioânes Rodrigues Girano Prou. Iaponiæ in liter. anni 1610.

IN regno Cicungi, ciuitate Tanangaua puer annorum tredecim à nostris, vt exoptârat Baptismi tinctus est sacramento, parẽtis ingratijs, quòd sacra nostra cane peius & angue odisset. Dum filius feruide pijs vacat exercitationibus, quibus soliti veteres maiorumque gentium Christiani; re explorata parens ad se accersitum magno iubet supercilio Christi abdicare doctrinam; nî pareat, virgis discissum, velit nolit, facturum. Sed ventis eas ille minas committere, nihilque mutare. Quo grauius etiam filium accepit, nihil vt factum sit propius quàm vt flagris innocens expirârit: accurrunt famuli, brachijsque sublatum lectulo imponunt. Neque hic patris substitit immanitas: exiguntur Rosarij orbiculi; sin tradere recuset, vitâ priuandum. ille parentis cognita amentia, & quàm minaretur, longè facturum immaniùs granis ab amico sumptis, & corollæ in modum colligatis absque crucis signo eos mittit. Irrideri se parens ratus, fustim eum persequitur, cui extorquendi munus mandârat. Sed baculo vi erepto saluus alter euasit. Hanc pueri constantiam Gẽtiles obstupuere, qui hinc de fidei Christianæ præstantia bene existimant, cuius amore tenera etiamnum ætate adolescentulus huiusmodi perpetiatur. Pertæsus tandem sæuitiæ crudelitatisque paternæ filius voluntarium sibi indixit exilium, vt vagus potius oberret, modò inter Christianos, quàm vt patris minis atque iniurijs vel maternis etiam blanditijs à Christianismo desciscceret. Igitur clam omnibus, vno conscio domestico, peregre concessit, domi epistolio ad parentem

Rosarium ab eo exigitur.

tem relicto, huiusmodi fere sensu: Sic non parentis odio in viam se dedisse, sed vt tutò ac tranquille in suscepta semel religione degere posset: ac ne panis quidem fructum ostiatim mendicanti, quo viueret contentus, negaturum Deum Opt. Max. liceret modò viuere suo arbitratu. Parens lecto epistolio commotus, statim illam diritatem cum humanitate cõmutat, luctu plãctuque suam dolens vicem. Misit itaque quoquo versum qui peregrinantem à fuga retraherent. Inuentus tandem redire domum noluit, nisi scriptis tabulis promitteret pater, suo sibi viuere more fineret.

§. 17. *Duorum cum Rege Mogor certamen egregium.*

MIranda quoque eluxit animi constantia in duobus puerulis, patre Armeno, eoque Christiano oriundis. Fuerant ij à pueritia, in aula Regis Mogor, cum ipsius nepotulis educati. Qui cùm propter egregiam animi indolem, tum propter elegantem corporis formam, quâ ceteris, vti pueri illi Babylonij, prestabant, ita in se omnium mentes, atque oculos conuerterant, vt de Proceribus nemo esset, qui de ipsis, & libenter, & honorificè non loqueretur. Quin & Rex ipse in amoribus, & delicijs eos habebat. Sed quã illis prodesse oportuerat Regis, ac Procerum beneuolentiam, humani generis hostis inuidia, damnosam prorsus, peneque exitialem fecit. Cùm enim aliquando in Regis conspectum adducti, miris de more laudibus efferrentur, Sarracenorum illic nescio quis, malo (vt creditur) pulsus genio, exclamare, dolẽdum istos pueros tam eximia indole à Sarracenorum sectâ diuisos. Hinc de cultu Religionis sermone nato, sciscitatur ex pueris Rex, quam ipsi Religionem colant: illi se Christianam & amplecti, & colere. Tum ille:

Petrus du Jarric Hist. Indica to. 3. l. 5. c. 17.

Agite, igitur, si Christiani estis, porcinâ vescimini. Pueri, quòd à Sarracena olim muliere, vna ex defuncti Regis vxoribus educati essent, tantum illius cibi odium cum lacte nutricis suxerant, vt ne vel nomen ipsum audire vellent: potissimùm verò natu maior, quem ipse etiam parens ad ea vescendum adducere nunquam potuerat. Regi itaque respondent, hoc vt faciant, legem suam neque iubere, neque ne faciant, prohibere. quo quidem responso dies ille cum disputatione clauditur. Mane insequenti, ad Societatis IESV Sacerdotes adeunt pueri, rem ipsis exponunt. Illi pueros animant & si deinceps premantur, quo se pacto gerant, edocēt. Futurum enim præuidebant Patres, vt Rex haud quaquam istis acquiesceret, quod & euentus comprobauit. Die namque altero, sub vesperum, eos iterum Rex aggreditur: sed frustra. illis nimirum se acriter, & strenuè defendentibus: quod ægrè ferentes Mahometani, qui aderant, Regem, ab incepto ne desistat, hortantur. Is gratandi illis animo, pueris ab aula egressum interdicit, certo eis loco, tanquam carcere, assignato, quo faciliùs, omni spe destituti, victi manus tradant. Inde aliquo interiecto spatio, ad se Rex, euocat: de porcinâ iterum quærit, velintne vesci. Tum minor natu: Si Patres, ô Rex, hoc in mandato nobis esse dixerint, parebimus. Id de industria scilicet, à Patribus Societatis IESV instructi, responderunt: vt, si Rex illos ad se accersiri iussisset, pueris ea occasione, opem, animosque suggererent. Iamque parabat Rex mittere, qui accerserent: verùm hoc pueri responsum, quidam ex ijs, quos Regius fauor tutabatur, ita molestè grauiterque tulit, vt geminum ei colaphum mox impegerit, dicens: Tun' impudentule quando Rex aliquid iubet, etiam Patres audeas appellare? Hoc facto Rex incitatior, missam faciens

ciens de porcina quæstionẽ, radici securim propiùs admouet. Agedum, inquit; vos nunc oportet Sarracenos fieri: *Calima* igitur (ea est Mahometanæ legis profitendæ formula) actutum edicite. abnuunt pueri. Mox ille virgas afferri iubet, quibus homines facinorosi cædi solent. hoc supplicio territi pueri, quæ sibi verba præibant Sarraceni, voce admodum imperfecta ægrè mussitant. atque ita tristes, mœstique ad cubicula sua dimittuntur. Die postero Chirurgus à Rege mittitur, qui vtrumque circumcîdat: illi quà plorando, quà modis alijs resistendo, rem à se auertunt. Quo Rex audito, pueros sibi sisti imperat: ab his caussam quęrit, cur circumcisionem detrectent. Quia, inquiunt illi, Christiani sumus, neque ad hanc vnquam adduci patiemur. Hoc à pueris accepto responso, ad promissa, & blanditias se conuertit, minatur etiam grauiora supplicia, nisi pareant. Vbi ad hunc modum, se noui Athletæ impugnari vident, suaque sibi nequicquam prodesse responsa; horum alter ad Regem conuersus, Per amorem, inquit, Domini IESV (hoc Regi nomen, gratissimum fuisse acceperant) ne nos circumcidi iusseris. Ob eum verò, inquit Rex, vel maximè. atqui re ista, subijcit puer, non delectatur. Sed Rex nullas admittens, vltra rationes, manibus pedibusque apprehensos, nihil eorum lacrymis, nihil eiulatu commotus, in conspectu suo circumcîdi iubet. Quo peracto: Iam, inquit, agite: quando Sarraceni estis, *Calima* nostrum recitate. His iterum constanter abnuentibus, ad flagra venitur: tenella nudantur corpora, plagę infliguntur adeo duræ, adeo immanes, vt de adstantibus plerique prę innocentium commiseratione, tantùm non lacrymas profunderent. Videbãt siquidem præter effusum in circumcisione sanguinem, eò iam sęuitiæ adductum Regem, vt à

puerulis, & numero & plagarum modo, plus reposceret pœnæ, quàm solcret ab ipsis etiam reis, & facinorosis hominibus. Quare maior natu annum agens ætatis quartum & decimum, verberum atrocitate victus ante decimam quartam plagam, manus tradit. Iunior qui vndecimum nondum excesserat, etsi victum fratrem videt, animosior luctam sustinet; & quos, parendo Regi, frater ictus à se auerterat, in se fortiter recipit, ad quorum singulos, ex ore puelli aliud nihil audires, quàm suauissimas illas voces: Ah! Domine IESV? Mirari omnes pueri constantiam, & iam Rex ipse iram parabat remittere, nisi (proh malum!) furialis Megæræ filius aliquis, plagiarios cohortatus animasset, cuius impulsoris vox nefaria tantum potuit, vt tenello corpusculo plagas triginta creauerit, easque adeo atroces, vt vel robustissimum facilè deijcerent. Hac ergo tandem verberatione fractus puer, quo se tam longo eximeret supplicio, ad quæ ipsi vellent, paratum se, clamitat. sed non nisi adiectis ad priora tribus, quatuórve verberibus dimittitur, quod is nimirum, (vt illi quidem aiebant) seriùs resipisceret: haud multò grauiores pœnas daturus si modicum adhuc sustinuisset, & verò non vulgare magni animi in puero argumentum fuit, tàm longo tempore restitisse, nullo præsertim auxiliãte, nedum animos suggerente, immo circumfrementibus vndique lupis rapacibus, necem & cruorem huius ouiculæ sitientibus. Adde Regis infensum animum, quem si vnicum improbi illi in se cõuersum habuissent, haud ita multis cogendi fuissent verberibus, vt ab Alcorano suo ad Christum se transferrent. Hoc victoriæ simulacro potitus Rex, eos in sua cubicula curandos dimitti iubet. Eâ ipsâ nocte Societatis IESV Sacerdotes, horum ignari, pueros

ros adeuntes, in pauimento stratos, & præter solitum mœrore confectos, sine voce, quasi exanimes reperiunt. Quos vt illi adesse sentiunt, mox clamare iunior, Domine Pater, Christianus sum, Christianus sum: & quamuis illi, quod sibi libuit, de carne nostra præciderint, nobis id tamen reluctatibus & inuitis: sola vis flagrorum animos nostros visa est inflectere, quæ tamen & ipsa lubentes pro Christo tulimus. His puerorum questibus & lamentis commoti Patres, ob infirmam ętatem lapsu condonato consolantur, bono animo esse iubent, ne se, aut victos fateantur, aut pro Sarracenis gerant. Quod sanè ipsi reapse præstiterunt. vt iam in pueris virilem animum cerneres: Nam & Christianos palam se iactare, in Sarracenos inuehi, quę dixissent, retractare; Mullam quoque à Rege missum, qui precandi modum ex Alcorano doceret, à se reijcere: Quin & Mahometem ipsum, eiusque dogmata mille maledictis insectari. Postquam verò à plagis & vulnere conualuissent ad Regem deducti, noua ab eo veste vterque donatus, ad sua se recipere permissus est; ea tamẽ lege, ne Societatis IESV Patres conuenirent, aut vllum post hac cum ijs sermonem haberent. At hoc Regis iussum parui pendentes, magis se, quàm antè Christianos diuulgare; Sarracenos omnes, & sequaces detestari: vt iam diceres, non calcari, sed fræno potiùs indigere. Et maior quidem natu, qui prior in lucta cesserat, nullo instigante, nullo auctore, (ô vim sancti Spiritus mirabilem!) pugionem arripit, eoque sibi in formam crucis, in sinistro brachio carnem diuidit, ad pedis vnius pene longitudinem, cuius figuræ pars transuersa pollicem, immissa verò cubitum interiorem pene contingebat, vt cùm brachium attolleret, cicatricibus nempe remanentibus, esset Crux omnibus conspicua. Quæ res non Christianis modò, sed &

aduerſarijs admirationem magnam conciuit. Ita habet Deus fidei ſuæ Confeſſores etiam paruulos.

§. 18. *Soſtratus de inceſtu accuſationem patienter ſuſtinet.*

Abdias Apoſtolica hiſt.l.3.

PVer quidam, Soſtratus nomine, venit ſecretiùs ad B. Andream conquerens: Mater mea, inquit, concupiuit formam ſpeciei meę, & iugiter me inſectatur: ego infandum execratus fugi, at illa felle commota adijt Proconſulem prouinciæ vt crimen ſuum retorqueat in me. Et ſcio cùm accuſatus fuero, quia nihil habeo quod ad hæc reſpondeam: ſatius autem duco vitam amittere, quã matris detegere crimen. Nunc autem hæc tibi confiteor vt digneris pro me Dominum exorare, ne innocens pręſenti vita priuer. Hæc eo dicente, venerunt miniſtri Proconſulis, accerſentes eum. Beatus verò Apoſtolus facta oratione ſurrexit, & abijt cum puero, mater autem inſtãter accuſabat eum dicens: Hic, Domine Proconſul, oblitus maternę pietatis, ſtuprum mihi inferre voluit, adeo vt vix ab eo me eripere potuerim ne violarer. Atque Proconſul: Dic, inquit, puer, ſi vera ſunt iſta quæ mater tua proſequitur. At ille tacebat. Iterum atque iterum interrogabat Proconſul, & nihil ei quicquam puer reſpondit: Durante autem eo in ſilentio Proconſul habebat cum ſuis conſilium quid eſſet ea de re agendum. Mater autem pueri cœpit flere. Ad quam conuerſus B. Andreas Apoſtolus, inquit: O infelix quę fletus emittis amaritudinis, propter incęſtum quem in filium es meditata; quam adeo conſcientia præcipitauit, vt vnicum amittere filium libidine inflammante non verearis. Hęc eo dicente, mulier ait: Audi Proconſul; poſtquam filius meus hæc in me molitus eſt, homini huic ab eo tempore adhæſit ſemper. Pro-

consul autem super his ira cõmotus puerum iussit in culeum parricidij recludi, & in flumen proijci: Andream autem in carcerem retrudi, donec excogitatis supplicijs & ipsum perderet. Tum verò orante B. Apostolo mox terrę motus magnus cum tonitru graui factus est, & Proconsul de sede cecidit, & omnes terræ decubuerunt. Tum & mater pueri percussa aruit & mortua est. Quæ videns Procõsul, prostratus pedibus S. Apostoli, Miserere, inquit, pereũtibus, famule Dei, ne terra nos deglutiat. Orãte igitur B. Apostolo, cõfestim terræ motus cessauit, ac fulgura & tonitrua quieuere; ipse autem circumiens eos qui turbati iacebant, cunctos sanitati restituit. Vnde Proconsul & multi alij in Christum crediderunt.

§. 19. *S. Othilia indignationem patris modestè fert.*

CVm apud Bauariam ex cęcis vteri materni latebris esset Othilia in lucem hanc cęca effusa, adeo ob corporis vitium illud patri cœpit esse inuisa, vt quâ erat insigni vir immanitate, eam è viuis tollere non semel cogitaret: illa verò tantis in angustijs patientiæ haud immemor, & negatam à Deo lucem æquissimo tolerabat animo, & patris infensum pectus lenire morum suauitate tentabat. Verùm ecce dum immortali Deo grates pro cœcitate oculorum rependit, cælitus meruit inuisam lucem intueri, & in gratiam patris redire. *Ex Iacobo de Voragine Marulus l. 5. c. 3.*

§. 20. *S. Lydwinæ tolerantiæ exemplar singulare.*

HVius mater Petronilla ipsa die Palmarum ingressa Ecclesiam, dum sibi tempus pariendi adesse sentiret, cum celeritate domum intrauit, & vix cum aliquo dolore, quem tamen aliàs pariendo solebat sentire maximum, infra lectionem *Surius 14. April. & Thomas à Kempis in eius vita.*

nem Dominicæ passionis (digna tuis natalibus hora ô virgo patiens') hanc excellentissimam filiolam edidit, quę Lydwina ẽst appellata conuenientissimo nomine, nam Latinè reddi potest, latę patientię. Cui nomini vt conformaretur, in ipsis iacens incunabulis, & in primo vitæ limine, duro salutata est cruciatu: nam post vagitus & lacrymas, non paucos egerebat calculos velut præludens ad eos dolores quos totis triginta octo annis perpessa est grauissimos.

§. 21. *S. Margareta, probra, asperitates vitæ, dæmonis infestationes patitur.*

Sur. to. 7. 23. Ian. S. Margareta virgo Rauennas, tres menses dumtaxat nata, cæca euasit. A teneris vnguiculis, ita se asperioris vitæ studijs exercuit, vt septennis carne & ouis abstineret. Extra dies Dominicos & festos, semel in die comederet, nudis pedibus incederet, humi cubaret. Non tulit tanta vitę incommoda vltro ferentem virginem communis omnium hostis dęmon, sed eam sæpe, de nocte infestans ex cubili surgere cogebat, cum ea dimicabat, reluctantem aliquando capillis trahebat. Accessit etiam cumulo malorum quod morbis assiduè grauissimis afflicta fuerit, præsertim cum & à plerisque eius sanctitas tantis in malis perdurans irrideretur; qua in re illustre dedit patientiæ exemplum. Monebat irrisores & maledicos amanter, vti desisterent, neque sibi noxas congererent: vel si id non dabatur, assiduis apud Deum precibus agebat pro eorum salute: & quod optimum est tantæ asperitatis condimentum, inter tot morbos, egestatem, calumnias, probra, hilari semper vultu perstitit, semper ab omni indignatione sic fuit aliena, vt qui perturbatam illam vnquam viderit, repertus sit nemo.

§. 22. B.

§. 22. *B. Petrus suis accusatoribus gratias agit.*

B. Petrus Nicolai necdum ætatis quintũ expleuerat annũ cùm ludum literariũ frequentans præclaris demissi animi signis sodalibus suis præluceret. Delatus aliquando à socio ad præceptorem ob nescio quam læuis momenti culpam, pœnas dederat. Sub finem egreditur præceptor: ipse ad genua delatoris sui prouolutus, dextram postulat, prolatam exosculatur, & simul gratias agit pro sua accusatione tam salubri. Stupuere omnes non tantùm socij, sed & præceptor ipse tantam in puero virtutem, & iam tum sanctus puer dici cœptus est. *Ex Chro. S. Francis. to. 4. part. 2. l. 1. c. 1.*

§. 23. *Exilium patitur S. VValricus.*

SAnct. Walricus trium dumtaxat erat mensium cùm pulsus est in exilium, felix magistri sui IESV æmulus. *Ribad. 4. Iulij.*

§. 24. *S. Ludouicus Caroli II. Regis Siciliæ filius obses pro patre mittitur.*

CVm attigisset annum ætatis 14. missus est in Cathaloniam pro liberando patre filius Ludouicus obses, cum duobus germanis fratribus, vbi toto septennio constantiam eius tum ipsa captiuitas, tum adhibiti custodes mirum in modum exercuerunt, plures vt confirmaret pijs exẽplis, & salutaribus monitis ad patientiæ virtutem animaret. Aliquando rogatus quî posset illi in tot aduersis tanta esse æquabilitas, idem vultus, eadem frons: Aduersa, inquit, amicis Dei plus conducunt quàm prospera; tunc Deo subditi sumus cùm aduersis vrgemur. Fortuna vt ignarus medicus cęcos eos plerumque efficit quos complectitur, & quem nimium fouet stultum facit. *F. Hĕricus Sedulius in hist. Seraph. c. 2. vita eius.*

§. 25. Pa-

§. 25. *Paphnutius furti postulatus, tanquam reus veniam orat.*

Ex Cassiano Raderus 3. p. Viridarij c.2.


CVm tantę in pueritia sua esset virtutis & gratiæ Paphnutius, vt etiam præclari ac summi id temporis viri grauitatem eius & immobilem constantiam mirarentur, eumque, licet minore esset ætate, pro virtutum tamen merito senioribus exæquarent, suoque ordini ducerent inserendum; liuor ille qui aduersum Ioseph Patriarcham fraternos quondam animos instigauit, quendam de numero fratrum zeli igne succendit, qui nęuo quodam, ac macula puchritudinem eius cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat; vt opportunitatem temporis captaret quo Paphnutius ad ecclesiam die Dominico processurus abesset à cella: in quam furtim irruens, codicē suum inter eius plectas, quas de palmarū folijs solebat intexere, latenter abscondit, ac de concinnata factione securus, ipse quoque velut puræ ac simplicis conscientię ad ecclesiam venit. Cùmque celebrata omnis fuisset ex more solennitas, quærelam S. Isidoro qui ante hunc Paphnutium eiusdem eremi Presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit asserens sibi codicem de cella furto fuisse sublatum. Quæ eius querimonia cum ita cunctorum fratrum, præcipueque presbyteri animos permouisset, vt quid primùm suspicarentur, quidve decernerent non haberent: summa cunctis admiratione perculsis de tam inauditi illic facinoris nouitate; ille qui rem detulerat accusator, vrgebat vt retentis in Ecclesia omnibus, missi electi quique cunctorum sigillatim fratrum cellulas scrutarentur. Quod cùm tribus senioribus à Presbytero fuisset iniunctum, vniuersorum cubilia reuoluentes, ad extremum in Paphnutij cellula abscōditum codicem inter plectas palmarum, quas

quas illi syras vocant, sicut eum insidiator occuluerat, repererunt. Quem cùm inquisitores confestim ad ecclesiam delatum coram omnibus protulissent; Paphnutius, licet de conscientiæ suæ esset sinceritate securus, tamen velut qui furti crimen agnosceret, satisfactioni se totum tradēs, locum pœnitentiæ suppliciter postulauit, hoc verecundiæ suę modestięque prospiciens ne si maculam furti verbis conaretur abluere, insuper etiam mendacij notaretur, nemine scilicet aliud quàm quod inuentum fuerat suspicante. Cumque de Ecclesia non tam mente deiectus quàm iudicio Dei fidens protinus abscessisset profusis in oratione iugiter lacrymis, triplicatisque ieiunijs, summa se, etiam in conspectu hominum, mentis humilitate prostrauit. Sed cùm duabus ferme hebdomadibus ita se omni contritione carnis ac spiritûs subiecisset, vt die Sabbathi vel Dominico non ad percipiendam communionem sacram, sed ad prosternendum se in limine Ecclesiæ atque ad veniam suppliciter postulandam matutinis accurreret, nequaquam passus est eum occultorum omnium testis & cognitor vel à se ampliùs conteri, vel ab alijs infamari: nam quod ille inuentor sceleris, rei suæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teste occulte commiserat per diabolum qui criminis ipsius inuentor fuerat, publicauit: arreptus namque dirissimo dæmone, cunctas factionis occultæ patefecit insidias; criminationumque ac fraudum idem fuit proditor, qui commentor. ita autem spiritu illo immundo grauiter diuque vexatus est, vt ne orationibus quidem sanctorum illic consistentium, qui diuinorum charismatum merito dæmonijs imperabant, potuerit emundari, sed ne ipsius quidem Isidiori Presbyteri gratia singularis, crudelissimum ab eo excluserit veteratorem, cui tanta

rat

nare iubentur qui Christum profitentur, multò magis ab ijsdem alteri inferẽdis sit temperandum, sorori colaphum iratus impegit. At illa totidem erga fratrem verbis vsa quot ille nuper erga collusorem iniuriosum, Veniam, inquit, lubens do, quam Christus flagitijs meis prius dedit. Atque hæc sanè verba in pueri animum, non maiorem modò quàm pœna talionis repensa impressionem fecere; sed & cænodoxiæ antidotum præbuere, ne plus æquo in gloriosa illa qua sese priùs vicerat, victoria triumpharet.

Vide quædam c. 22. Magno animo idola diripiunt incenduntq́; apud Petrum du Iarric c. 5. histor. Indicæ cap. 51. est etiam vnum cap. 21. & p. 3. c. 16. §. 9. de Salaum.



CAPVT XXXII.

MIRACVLA QVÆDAM A PVERIS PATRATA.



NON debuit hic noster puerorum Paradisus tanta virtutum copia ac varietate consitus, hoc insigni miraculorum flore caruisse: quid hoc aliud fuisset, quàm in annulo gemmam, in cęlo solem, in delicijs Thessalicis rosam desiderari? Meliùs horto suo summus ille cultor prouidit Deus, qui postquam illum in areolas & topiaria discriminasset, artifici finxisset manu, fœcundo gratiæ rore irrigasset, etiam virtute miraculorum beauit, vt ipsius vis odoris vbique dispersa eo magis homines detineret, quo ex minore planta dimanaret.

manaret. Sunt in hac ætate puerili miracula, quæ in ſenibus, morum etiam ſanctitate integerrimis deſiderâris; & quamuis diuina vi patrata ſint ad eorũ teſtanda merita,quę quidem pleno fœnore in cęlo compenſantur, ſua tamen hoc in orbe admiratione & laude deſtitui non debuerunt, quò illud ipſis maiori cederet honori, alijs ſubſidio, poſteris ad parem virtutis laureã incitamẽto.

§. 1. *Admiranda paruuli IESV in Ægypto.*

Sozom. l. 5 c. 2. Nicephor l. 10. c. 3. Baron. to. 1.

TRaditum eſt Ioſephum, cùm propter Herodem aſſumptis ſecum *Chriſto, & Maria* ſancta Deipara, fugiſſet, atque veniſſet Hermopolim, ſimul vt portæ appropinquauit, ſtatim arborem licet planè maximam aduentu Chriſti curuatam eſſe, atque ad ſolum vſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe, *&c.*

Iſaia c. 19.

Simulacra quoque Ægypti aduentante Chriſto corruerunt vt olim prędixerat Iſaias?Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem,& ingredietur Ægyptum,& commouebuntur ſimulacra Ægypti à facie eius, *&c.* Vbi S. Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus non tantùm commota eſſe, ſed corruiſſe ſimulacra Ægypti teſtatur, his verbis: *Quis iuſtorum aut Regum in Ægypto deſcendit, & eius deſcenſu idola in Ægypto ceciderunt? Abraham deſcendit, nihilominus tamen idololatria vſque viguit: natus eſt ibi Moyſes; aquè illic hæſit religionis error:* & infrà: *Ægyptiorum ſuperſtitio non quieuiſſet, niſi Dominus omnium in corpore,quaſi in nube vectus,eo deſcendiſſet,& idolorum errores compeſcuiſſet.*

Athana l. de Incarn. Verbi.

In deſcrip. terra ſãcta p. 2. c. 4.

De habitatione Chriſti in Ægypto hoc Burchardus,qui eam ipſe contemplatus eſt. *Inter Heliopolim & Babyloniam, medio ferme loco, eſt balſami hortus.* poſt multa. *Rigatur*, inquit, *hortus ille ex paruulo fonte, ſed vbere; in quo fama eſt Beatam Virginem*

ginem IESVM paruulum pluries lauisse, panniculosque eiusdem mundasse, cum esset in Ægypto, propter metum Herodis. Est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exsiccaße: hæc omnia venerantur à Christianis & Sarracenis. Verùm quia fons IESV paruulus est, non sufficiens irrigationi totius horti, Sarraceni alium profundum foderunt puteum, iuxta illum, ex quo quatuor boues per rotam aquam extrahunt, sperantes ex vicinitate fontis IESV aquam alterius fontis fore virtuosam. At se deceptos animaduertentes, construxerunt canalem per quem transmittunt aquam illam in fontem IESV; vt sic ex eis mixtis fœcundaretur hortus. Nec eos fefellit opinio: nunc enim sufficienter & virtuosè fœcundatur ex aquis sic mixtis: hæc & alia admiranda author oculatus: cui & cęteri, qui eiusdem argumenti libros scripserunt, adstipulantur; adduntque locum illum in quo habitasse ferebatur sancta Deipara, ab ipsis etiam Sarracenis, in magna veneratione haberi, adeo vt ibi lampadem perpetuò ardentem in memoriam IESV illic olim habitantis, conseruent, locumque illum ab incolis Ægyptijs Matuream nominari tradunt.

Vide Corn. Iansenium Concord. Euãg. c. 11

§. 2. *S. Medardus litem miraculo dirimit.*

INter indigenas grauis orta erat de terminis altercatio: cumque post longas contentiones ad inuestiganda agrorum suorum confinia processissent, contigit & Medardum puerum adesse: vbi verò ventum est ad locum, nec lis dirimi posse videretur, puer lapidem terræ defossum & eum pede prodens, Hîc, inquit, est limes, de quo est quęstio: & ecce ad leuissimum eius contactum lapis ille ita subsidit, velut cera à facie candentis ferri liquescit. apparet verò figura plantæ pedis eius in eadem caute (quę etiamnũ est apud omnes maximę venerationi) adeo subtiliter expressa, vt à

Sur. 8. Ap. Baron. to. 7

nullo artificum expreſſiùs potuiſſet inſculpi: atque ita eum qui per paruos magna operatur laudantes, domum redierunt omni ſublata controuerſia.

§. 3. *S. Benedictus puer vas confractum redintegrat.*

Surius 21. Martij ex S.Greg.

SAnctus Benedictus adhuc puer, pius ac religioſus, cùm nutricem ſuam flere vidiſſet, quod capiſterium, quod ad triticum purgandum mutuò acceperat, caſu fractum eſſet, eius vt mœrori mederetur, accepta vtraque vaſculi parte, ſeſe cum lacrymis orationi dedit, & ita integrum reſtituit, vt nullum prorſus rupturę veſtigium appareret. Quæ quidem res cunctos admiratione affecit, & ad poſterorum memoriam ipſum capiſteriũ multis annis pro templi foribus vſque ad Longobardorum tempora pependit.

§. 4. *S. Gregorius Turonenſis patrem ſanat Tobiæ inſtar, Angeli monitu.*

Surius 17. Nouemb.

GRegorius prima characterum diſcebat elementa, cùm pater graui conflictatus ægritudine, lecto affixus iaceret: intimis oſſibus ardor furere, humor foris podagricus intumeſcere, aridus ora vapor perurgere. Verùm ecce puero quidam per viſum apparens, Legiſti, inquit, Librum IESV Naue? ille. Nihil aliud literarum attendo, præter notas, quarum nunc exercitio conſtrictus affligor: vtrum verò ſit hic liber, prorſus ignoro. Vade, inquit ille, fac haſtulam ex ligno, quę poſſit hoc recipere nomen, inſcriptumque afflicti patris ceruicali ſuppones. Prima luce matri viſum narrat, non ſuo ſed matris iudicio rem gerendam ratus; iubet illa diuina impleri monita; & pater repente conualuit. Verùm poſt biennium redijt malum: apparet puero idem qui priùs, ſciſcitatur num Tobiæ librum cognitum habeat. Nequaquam

quam verò, ait puer: tum ille: Noueris hunc fuisse cæcum, & à filio iecore piscis sanatum. Tu ergo fac similiter, & sanitati restitues parentem: mater igitur iterum monitis diuinis parendum rata, seruos piscatum mittit: ingētem hamo adductum piscem exenterant, iecur prunis stillat, & vix nidor depositi parentis nares ferit, quin statim omnis abscedit dolor.

§. 5. *Pueri duo aspidem comprehendunt.*

CVidam solitario, qui nuper ad eremum secesserat, panem Abbas per duos pueros miserat, quorum maior habebat ętatis annos 15. minor 12. His ergo inde redeuntibus, aspis mirę magnitudinis venit obuiam, cuius occursu nihil perterriti, vbi ad pedes eorum peruenit, quasi incantata carminibus cęrulea colla deposuit: minor ex pueris manu eam apprehensam ac pallio inuolutam ferre cœpit, deinde monasterium quasi victor ingressus in occursum fratrum captiuam bestiam resoluto pallio non sine iactantiæ tumore deposuit. Sed cùm infantium fidem atque virtutem ceteri prædicarent, Abbas ille altiori consilio, ne infirmior ętas insolesceret, vtrumque virgis compescuit, multum obiurgatos, cur ipsi quod per eos operatus fuerat Dominus, prodidissent: opus illud non suæ fidei, sed diuinæ fuisse virtutis, discerent potiùs Deo in humilitate seruire, non in signis & virtutibus gloriari, quòd melior esset infirmitatis conscientia virtutum vanitate.
Ex vitis Patrum 3. p. c. 5.

§. 6. *Puer restinguit incendium.*

QVidam puer nobilis dum inuitis parentibus Sancto Andreę Apostolo adhæsisset, parentes eius domum, in qua morabatur cum Apostolo, succenderunt. Cumque iam in altum flamma succresceret, puer accepta ampulla super ignem aquā sparsit, & statim ignem extinxit: illis
Ex Legenda aurea.

autem dicentibus, Filius noster Magus effectus est, dum per scalas vellent ascendere, adeo sunt excœcati, vt ipsas scalas penitus non viderent.

§. 7. *S. VVernerus ex arida fontem euocat.*

Surius 19. April.

VItrici sui infestum sibi animum vt deuitaret Wernerus, fugam inijt, & huc atque illuc vagabundus diuagatus est; cumque fame & siti valde afflictus, inops consilij, nullum omnino suę miseriæ perfugium inueniret, fortè in pastores incidit, qui humanitate ducti panem ei dederunt; quibus ille rursus siti non mediocriter laborantibus, defixo in humum baculo, precibus suis fertur largissimum in Christi nomine fontem elicuisse.

§. 8. *S. Genouefa matri visum restituit.*

Surius in eius vita.

S. Genouefa cùm ad matrem excœcatam, faciei lauandę attulisset aquam, & super eam S. Crucis signum expressisset, idque iterum atque tertiò factum fuisset; matri pristinum oculorum visum restituit.

§. 9. *S. Robertus vlcerosos curat.*

Surius 24. April.

S. Robertus languidorum corpora vlceribus plena, quæ ceteri abhorrebant, ipse manibus contrectabat, manibus lauabat, & creditum est, pio manuum eius attactu, sępe fugatam ægritudinem.

§. 10. *Puer studiosus puellam à dæmone liberat.*

Thomas à Cantipr. l. 2. c. 56.

PVella quædam sacro die Dominico ex tripudijs domum fatigata cùm rediret, ante somnum à dæmone possidetur, vociferatur, tota familia conturbatur, ligant vinculis sæuientem; manè in Hanswyck ad oratorium gloriosę V. MARIÆ extra oppidum deportatur, vbi non rara edebantur miracula. Quod vbi scholares pueri perce-

perceperunt, eò concurrunt; quorum vnus ceteris fidentior, annorum ferme duodecim, dæmonium per Deum & sacra compellare cœpit, & adiurare, vt corpus puellæ desereret. Nec mora, vbi dæmon circa vmbilicum per tumorem se esse patefecit, puer formata in eam partem salutifera cruce, eò dæmonem adegit, vt exitum tentaret, donec eum in specie hirsuti vermis omnis populus intra hiatum oris hærentem vidit. regredi volentem rursus cruce formata eijcit, eiectum audacter manu comprehendit, comprehensum in scrobem aquæ plenum abijcit, & statim ex oculis omnium abiens, nihil præter lætitiæ & laudis materiam reliquit, Innocentis pueri manus ex Stygij vermis contactu nigredine fuerunt notatę, sed aqua lustrali ablutæ statim sunt ab omni prorsus macula expiatę.

§. 11. *Cataldus recens natus matrem mortuam excitat, aliaque stupore plena.*

S. Cataldus Episcopus ex Hiberniæ partibus, insignibus statim miraculis coruscauit: nam statim vt ex vtero matris in lucem prodijt, caput eius in ipsum marmor ac si in ceram mollissimam, intrauit, & signum verticis concauitatem demisit. Et cùm mater ex dolore partus expirasset, infans sine cuiuspiam auxilio se erexit, & matrem brachiolis amplexus ipsam suo tactu Dei gratia mirabiliter suscitauit. Cumque marmor in quo nascens caput defixerat, sub diuo positum esset, & in ipsam eius concauitatem pluuia caderet, omnes ægri ex aqua illa sumentes, à quacunque ægritudine curabantur.

Petrus de Natal. lib. 4. c. 143.

§. 12. *S. Aldetrudis feruentem cacabum apprehendit illæsa.*

Guillelm Gazet hist. Ec

ALdetrudi imperârat matertera sua Aldegondis, vt dissipata ceræ frustula in massam v-

nam conflaret:fecit illa; & vix cacabo cum cera igni impoſito, tanta repente flamma emicuit, vt caminus totus conflagrare videretur. Aldetrudis virtute obedientiæ freta,medio incendio lebetem nudis manibus eximit illæſa.

§. 13. *Prodigioſa Benedicti pueri duodecennis geſta circa pontem Auenionenſem, &c.*

Excerpta fideliter tũ ex vetuſtiſſimis ciuitatis Auenion. monumẽtis, tum ex actis publicis, tum ex lite orta circa pontẽ inter ſummũ Pontificẽ, & Regẽ Galliæ; & ad me tranſmiſſa à R. P. Ludouico Delingendes Rectore Colleg. Auen.

AVenione 14. Aprilis celebris eſt memoria S. Benedicti, vulgò Benezeti ſeu Benedictuli, qui anno ætatis duodecimo,cùm oues paſceret in patria Almilat, ter à Chriſto vocatus, & iuſſus Auenionem ſe conferre, vt inibi pontem in Rhodano faceret, paruit è veſtigio, relictiſque ouibus, Angelo duce, & comite itineris, tertio die in vrbem venit 13.Septemb.anno ſalutis 1177. Ingreſſus recta ad Epiſcopum contendit, qui tum fortè concionem habebat in D. MARIÆ *de Donis:* frequenti hominum coronâ dicentem interpellat, elata voce palam omnibus edicens ſe à Deo miſſum,vt vtrâque Rhodani ripam extructo ponte committat (erat verò, vt notat Baronius, hæc ſtructura perneceſſaria ſuper Rhodanum, non agros tantùm alueo proximos corrodentem, ſed homines plurimos abſorbentem) puerilis audacia riſum alijs, alijs ſtomachum mouit: & à concione ad vrbis Præfectum pertractus, nihil illius dignitate,nihil adſtantium nobilium frequentiâ, nihil populi concurſu motus,puer cetera paſcendis ouibus aſſuetus in ſuo perſtitit inſtituto,ratum eſſe ſibi ex Dei mandato pontem quamprimum extruere. Iamque cœperat pecunias operi inchoando poſtulare, cùm Præfectus puerilem (vti rebatur) petitionem eluſurus, per iocum offert ingentem lapidem, qui pro foribus palatij iacebat, fundamentis iaciendis, modò ſolus impoſitum humeris ad locum animo deſtinatum perferat.

Puer accepta condicione prouolutus in genua, paucis diuinum auxilium implorauit, ac mox populo totius rei exitum suspensis animis operiente, Episcopo, Præfecto, atque adeo vniuersa ciuitate spectante, ac stupente, saxum illud 13. pedes longum, latum septem, quasi lapillum manualem sustulit in humeros, & in locum vsque sibi à Deo designatum, omnibus cum sacro quodam horrore comitantibus, portauit, primum totius operis fundamentum: ibi ad vnum omnes ei ad pedes accidunt, & vt hominem de cælo lapsum suscipientes, suspicientesque, suam quisque operam, industriam, pecuniam ad sumptus faciendos obtulerunt, & re ipsa pro suis quisque opibus eo loci ac temporis ad quinque aureorum millia contulerunt. Cœptum opus alacriter, nec non pauperibus excipiendis Nosocomium perfecit: fuit multis insignis miraculis, per id enim tempus octodecim quà mutos, quà claudos, quà surdos, quà cęcos, sanauit; & in ijs feminam, ea lege, suam vt fabris operam nauaret: & mirum! quoties laboris pertæsa in patriam iter est aggressa, toties oculis capta ad opus suum est redire coacta. In operariorum vsum aquam in vinum conuertit: diuinitus didicit quo loco magna incisorum lapidum congeries ingestâ terra delitescebat. Saxũ immane humeris gestat. Miracula patrat.

His atque alijs id genus perpetratis, anno ætatis 23. Romam ad summũ Pontificem adijt, admissus, dimissusque perhumaniter: dumque in patriam reuertitur, Lugduni supra Rhodanum, pontem & Nosocomiũ extruxit, hisque mira celeritate absolutis domum se recepit. Inter orandum vidit à dęmone ingentem in caput suum lapidem magno conatu impingi; eoque facto intellexit quid ponti à se pridem Auenione excitato factum esset; accurrit, arcũq; vnum dirutũ citò citius restaurauit. Religiosos Fratres de Ponte nominatos instituit,

 ipseque

ipſeque idem vitæ inſtitutum arripuit, ac non ita multò pòſt diem ſuum obijt ſanctiſſimè, ſepultus in ſacello quod in ponte conſtruxerat. ſepulcrum multis miraculis claruit, magno Tranſalpinarum etiam nationum concurſu multis annis frequentatum. *Huius etiam meminit vetus Martyrologium Vſuardi* 18. *Maij, Chronicon Martinianum, Vincentius Baluacenſis l.* 29. *cap.* 21. *anno* 1177. *Paradinus hiſt. Lugdunenſis lib.* 2. *cap.* 43. *vbi multis de de eo, cùm de Ponte ac Noſocomio Lugdunenſi, tandem Baronius to.* 12. *anno* 1177.

§. 14. *S. Theodorus puer dæmonem turpiter à puero exire cogit.*

Surius 22. *April.* POſt ſanctam Paſchæ celebritatem, quidam homo tulit ad eum quodam die filium vnicum à ſpiritu immundo vexatum, & fide ductus orabat ſanctum puerum Theodorum, vt filiolum ſuum curaret. Verùm ipſe neſciebat, quid ei faceret, ſed excuſabat ſe, quod eſſet iuuenis. Pater autē illius vexati lacrymans dedit illi flagellum, & dixit: Hoc accipe, Domine mi, ſerue Dei, & minans filio meo percute eum dicens: Exi, exi, ſpiritus immunde, ab hoc puero in nomine Domini mei. fecit, vt erat edoctus: & turbatus dæmon cœpit eum irridere, & tanquam inſanum prędicare: & ſi quid ab illo audiebat, idem ille reſonabat: & bidui ſpatio nihil ille reſpondit: tertio autem die idem puero fecit Chriſti puer Theodorus. Tunc dæmon rurſus commotus cœpit vociferari: Exeo puer, exeo, nec ampliùs reſiſto; da mihi horam. Illo autem ad altare aſcendente, dæmon clamauit ad hunc modum: O magna vis Nazaræi, hęc aduerſus nos excitantis! ex quo enim in terram deſcendit, homines in nos armauit. Et nunc ſcorti filio conceſſit eijciendi nos poteſtatem. Heu mihi miſero, à quo puero expellor? Neque enim gratiam

gratiam illi de cælo demissam ferre possum. Magna naturę nostræ ab hoc meretricis filio calamitas imminet, multos enim e nostro grege ex hominibus extrudet: doleo autem quod hic in me exercet imperium, nec audeo redire ad patrem meum diabolum, cum à tali puerulo sum expulsus; nam si id mihi à sene aliquo contigisset, haud ita magnum dedecus arbitrarer. Execranda dies, in qua genitus es. Hæc illo dicente, sumens puer Dei Theodorus ex lucernæ oleo, vexati caput vnxit, & signo crucis adhibito, increpuit eum dicens: Exi iam, spiritus impurissime, & noli ampliùs nugari, Et vociferans dæmon proiecit puerum ante pedes eius, & exiuit ab eo. iacebat autem tanquam mortuus. Ex quo turbatus puer, defunctum illum existimabat. Sed dixit ei pater illius: Manum illi porrige, atque iacentem excita. Quo facto statim in se rediês puer ille surrexit; atque ita Dei gratia sanum reddidit patri.

§. 15. *S. Hermannus puer infantem defunctum ad vitam reuocat.*

INfans quidam à matre dormiente oppressus, post compassionem matri lacrymanti exhibitam à B. Hermanno, & orationem in ecclesia fusam ad Dominum IESVM, & ad B. Matrem eius, beati adhuc pueri meritis est suscitatus.

Surius 7. Apr in prologo vitæ.

§. 16. *Pueri à B. Xauerio submissi morbidos curant.*

CVm mille (tametsi gratę) B. Xauerium circumuallarent angustię, siue de pueris baptizandis, siue de explicandis quęstionum nodis, siue denique de iuuandis aliquorum bonis desiderijs; ne vnus fidei adeo inflammatę facere nõ posset satis, pro re nata, suggessit puto Deus consilium, vt omnium voluntati mos gereretur. Pueros enim Christianos callentes orationes in ægrotan-

Ex Epist. 1. Indica 3 Xauerij an 1544.

tium domum ſubmiſit, qui omnibus domeſticis & vicinis conuocatis, frequenter ſymbolum cum nonnullis precationibus pronunciarent: aſſeuerantes fore, vt æger ſi crederet, incolumitatem conſequeretur. Dum ad hunc modum per pueros omnium ſatageret morem gerere voluntati, fit vt ęgri per fidem domeſticorum, vicinorum & ſuam ipſorum, expectatione maiora à Deo Opt. Max. beneficia accipiant; nec ſolùm à graui languore corporis, verùm etiam animæ ægritudine liberentur. Permulti enim Neophytorum in ſuſcepta religione confirmati. Ethnicorum non pauci ad Chriſti fidem, cuius vim experti forent in valetudine recuperanda, perducti. Energumenus quidam miſeris modis à vexatore diabolo exercebatur. Ad quem Franciſcus rogatus, cùm per occupationes ire non poſſet ipſe, pueros aliquot Chriſtianæ doctrinę miniſtros allegauit cum cruce, monitos quid facto opus eſſet. Adeunt ad exagitatum hominem pueri, B. Xauerij crucem, ex eius prę́ſcripto illi oſculandam offerunt, ipſi precationes quaſdã, quas tenebant memoriâ, ſuper eum recitãt: extemplo vexatus liberatur, omnibus qui aderant, admiratione defixis.

Vide p. 2. c. 16. §. 1. p. 1. c. 6. p. 2. c. 31. §. 26. p. 2. cap. 20. §. 22. de S. Amando. item 2. p. c. 30. §. 6. & 2. parte c. 25.

TERTIA





TERTIA PARS

PARADISI PVERORVM, ADYTA PENETRALIA,

VBI DE IIS AGITVR QVÆ pueris circa obitum contigerunt.



QVISQVIS es ſpectator in Paradiſi adyta penetralia intromiſſus, ſiccis, ſi potes, perſta oculis: nam vix dum bene expanſi leguntur flores, hi blandiore, illi ſeuiore manu. Ne quid te remorer, apertè rē eloquar. Cælo maturi vel placidè occidunt puſiones, vel rigente ferro per ſummam immanitatē è medio tolluntur. Siccine viuere deſinunt prima ætate? Cur tam felicibus orſi vitam auſpicijs, ad ſummam vſque ſenectutem, Deo dante, non attingunt? Sed quid aio prima ętate illos abripi? an non ille ſenex qui maturè fit ſenex, & ea quidem ſenectute, quę ab ipſa Sapientia venerabilis prædicatur? *Senectus enim* (inquit illa) *venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata*. Rectè tu quidem, quid ſi hæc longùm perduraſſet & orbis hominiſq; bono? diu profectò vixit, qui Deo, non ſibi orbique vixit: immo & ſibi orbique vixit, qui Deo vixit; ſibi, ad gratiæ, gloriæque incremētum, orbi verò ad illuſtre, quod æmuletur, exemplum. Et verò, túne parum ęſtimes canos in puero ſenſus? in puero vitam omni virtutum genere cumulatam? heroicam mentem? à puero proſtratam impudicitiam, petulantiam peſſunda-

ſundatam, ingluuiem ingulatam, vitia denique omnia procul relegata? Quid? non ſtupendum prima ætate carcerem toleraſſe ſitu pędoreq́; obſitum, candẽtes laminas, fornaces ſuccenſas, prunas ardentes, ignem picatum, equuleos, vncos, rotas? Cerne vt hæc tabella trucidatos, illa in crucem actos exhibet, intuere vt illi lacteola colla prębeant ſicariјs, hi gladiolis per ſummam cutem inciſi marcidam exhalent animam. Hæc Paradiſi noſtri Adyta vocitamus; huc præcipua puerorum virtus receſſit, hîc ſe colligit & velut in vnum cõglomerat: hîc ad paſcendos animos, inuſitatiores deliciæ percipiuntur; quicquid hactenus delibaſti parum eſt; totum illud, viæ inſtar habet, hîc ſtatus eſt. Ergo adi, penetra: horres in puerulis, quæ ipſi ſumma animi ęquabilitate, immo iucunditate ſuſceperunt? Aude, inquam, nihil formida. omnem ipſi tormentorum procellam, omnem ſuppliciorum impetum ipſi ſuſcipiunt lacteo quãuis adhuc corpuſculo, nec vllam te in eorum partem venire patientur. Illa tamen velim ſic expendas, vt imitari non pigeat; ſic imiteris, vt vel doctore puero te iuuet profeciſſe.



CAPVT I.

DIVINITVS DE MORTE PRÆMONITI.



RES mortis nuncios olim Antiqui agnouerunt, Caſum, Infirmitatem, & Senectutem: Caſu mortem latentem, Infirmitate apparentem, Senectute pręſentẽ nunciari dicebant: nec certè

aliud

aliud præuium mortis indicium esse solet; quæcũque enim mors obtigerit, horũ aliquo prȩuio nuncio indicetur necesse est; nisi cui fortè Deus singulari quo fertur amore ipsemet nuncius veniat, futuramque mortem nullo Casu prȩcurrente, nulla Infirmitate prȩuia, nulla Senectute maturante prȩdicat. Quæ gratia vt rarissima paucisque tantùm obtigit, ita maximi æstimanda est: quotus enim quisque est, qui non mortis memoria terreatur, incertitudinis recordatione angatur; quo loco sit moriturus, quando animam exhalaturus, quos inter sepeliendus, qua sit animi compositione stricto Dei tribunali sistendus? Felices vos pueri, quos licet mors nunquam imparatos offendisset, sui tamen recordatione angere non destitisset: felices, inquam, quos Deus super incertitudine futuræ mortis inusitato prorsus nuncio certiores reddidit, neque ex arcto corporis ergastulo priùs euocauit, quàm præparatȩ palmȩ arrham certam præmisso nuncio promiserit.

§. 1. *Puero religioso dies obitus prædicitur.*

CUm *simplicibus sermocinatio eius*: idque probat quod sequitur de obsequẽte religioso & simplici puero, Christo paruulo Matris ac Virginis pectori adherenti analecta ciborum offerente; quȩ forma Christi efficta videbatur absumere, quod Monachus ad imaginem reuersus patinam semper vacuam reperiret. Ratus ergo simplex tyro sensum inesse mutæ figurȩ, cœpit rogare vti secum loqui dignaretur, & se præsente propinata gustaret. Tacuit quidem ficta Christi species, sed animaduersâ sui alumni innocentiâ, Abbas præcepit eidem, vt quicquid effigies ei responderet sibi aperiret. Recepit se imperata facturum. Regressus more suo ad Iconem sacram, eiusmodi vocem ex ea accepit: Puer, quem tantopere complecteris, te ad suas

Raderus p. 2. c. 5. de simplicitate ex histor. exemplorũ.

ad ſuas nuptias inuitat. Negauit nouitius Monachus ſibi veniendi poteſtatem eſſe abſque dato ſui Præfecti commeatu; cui extemplo refert quod audierat: qui illi in mandatis dedit, vti negaret ſe abſque moderatore ſuo venire poſſe. Retulit hæc ad Puerum, quod ſibi præceptum erat; & Chriſtus: Abi, dic religioſo patri tuo, vtrũque ipſo die Pentecoſtes ſub initium hymni *Veni creator Spiritus*, ad nuptias venturum. Dictum, factum, ipſo die, hora, momento vterque in ipſo templo deceſſit, & ad Agni nuptias beatus acceſſit.

§. 2. *Puerum peſtilentia correptum de felici obitu præmonent SS. Apoſtoli Petrus & Paulus.*

Beda hiſt. Angl. li. 4. c. 14.

EOdem ferme tempore quo ipſa prouincia nomen Chriſti ſuſceperat, multas Britanniæ prouincias mortalitas ſæua corripiebat, quæ cùm etiam Monaſterium quoddam (cui tunc regendo Reuerd.^mus ac Religioſ.^mus Chriſti ſacerdos vocabulo Eappa præfuit) nutu diuinæ diſpenſationis attingeret, multique ſiue de his qui cum Antiſtite illo venerant, ſiue de illis qui de eadem prouincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, paſſim de hac vita raperentur; viſum eſt Fratribus triduanum ieiunium agere, & Diuinam ſuppliciter obſecrare clementiam, vt miſericordiam ſibi dignaretur impendere. Erat tunc temporis in eodem Monaſterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cùm ergo ſecunda memorati ieiunij ac ſupplicationum dies ageretur, contigit fortè ipſum puerum hora ferme ſecunda diei, in loco in quo æger iacebat, ſolum inueniri; cui diuina diſpenſatione ſubitò Beatiſſimi Apoſtolorum Principes dignati ſunt apparere. Erat enim puer multùm ſimplicis ac manſueti animi, ſince-

Ieiunium triduanũ eiuſq; efficacia.

Apparent puero Apoſtoli.

ſinceraque deuotione ſacramēta fidei quæ ſuſceperat ſeruans. Salutantes ergo illum verbis piiſſimis Apoſtoli dicebant: Noli timere, fili, mortem pro qua ſolicitus es: nos enim te hodierna die ad cæleſtia regna ſumus perducturi: ſed primùm expectare habes donec Miſſæ celebrentur, ac viaticō Dominici corporis ac ſanguinis accepto, ſic infirmitate ſimul & morte abſolutus, ad æterna in cęlis gaudia ſubleueris. Clama ergo ad te Presbyterum Eappam, & dicito illi, quia exaudiuit Dominus preces veſtras & deuotionem, ac ieiunia propitius aſpexit: neque aliquis de hoc Monaſterio ſiue de adiacentibus ei poſſeſſiunculis hac clade vltrà moriturus eſt; pręter te ſolum, qui hodierna es die liberandus à morte, & ad viſionem Domini Chriſti, cui fideliter ſeruiſti, perducendus in cælum. Quod diuina vobis miſericordia per interceſſionem religioſi ac Deo dilecti Regis Oſuwaldi, qui quondam genti Nordan-humbrorum, & regni temporalis authoritate, & deuotione ſublimiter præfuit, cōferre dignata eſt. Hac etenim die idem Rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad ſempiterna animarum gaudia aſſumptus in cælum, & electorum eſt ſociatus agminibus. Quærant in ſuis codicibus, in quibus defunctorum eſt annotata depoſitio, & inuenięt, illum hac (vt diximus) die raptū eſſe à ſæculo. Celebrēt ergo miſſas per cūcta monaſterij oratoria, ſiue pro gratiarū actione exauditę ſiue deprecationis, ſiue etiam in memoriā pręfati Regis Oſuwaldi, qui quondam ipſorum gēti pręerat, ideoq; pro eis quaſi pro ſuę gentis aduenis ſupplex orabat ad Dominum, & cunctis conuenientibus ad eccleſiam Fratribus, communicent omnes ſacrificijs cæleſtibus, & ita ſoluto ieiunio, corpus quoque ſuis reficiant aliment[illegible] Quæ verba cùm omnia vocato ad ſe Presbytero puer narraſſet, interrogauit

Interceſſio Sāctorum.

Aperit ſacerdoti apparitionem.

uit eum solicitus quales essent habitu vel specie viri, qui sibi apparuissent; respondit: Pręclari omnino habitu & vultu erant, lętissimi ac pulcherrimi, quales nunquã ante videram, neque aliquos hominum tanti decoris & venustatis esse posse credebam: vnus quidem attonsus erat vt Clericus, alius barbam habebat prolixam: dicebantque quod vnus eorum Petrus; alius vocaretur Paulus, & ipsi essent ministri Domini & Saluatoris nostri I.C. ad tuitionem nostri monasterij missi ab ipso de cælis. Credidit ergo verbis pueri Presbyter, & statim egressus requisiuit in annali suo, & inuenit eâdem ipsa die Osuwaldum Regem fuisse peremptum: vocatisque fratribus, parare prandium, missas fieri atque omnes communicare more solito præcepit, simul & infirmanti puero de eodem sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit. Quibus ita gestis non multò pòst, eâdem ipsa die puer defunctus est, suaque morte probauit vera fuisse verba quæ ab Apostolis Christi audiuerat. Sed & hoc verbis eius testimonium perhibuit, quod nemo pręter ipsum, tempore illo, ex eodem monasterio est raptus de mundo.

§. 3. *Musa parua puella inuitatur à D. Virgine.*

Greg. l. 4. dial. c. 17. MVsæ paruę puellæ per visionem Sancta Dei Genitrix Virgo MARIA apparuit, atque coęuas ei in albis vestibus puellas ostendit. Quibus illa cùm admisceri appeteret, sed se eis iungere non auderet, Beatæ M. Virginis est voce requisita, an velit cum eis esse, atque in eius obsequio viuere. cui cùm puella eadem diceret, Volo; ab ea protinus mandatum accepit, vt nihil vltrà leue ac puellare ageret, & à risu & iocis se abstineret, sciens per omnia quod inter easdem virgines quas viderat, ad eius obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis, in cũctis suis moribus

bus puella mutata est, omnemque à se leuitatem puellaris vitæ magna grauitatis detersit manu. Cúque eam parentes eius mutatã esse mirarentur, requisita; rem retulit, quid sibi B. Dei genitrix iusserit; vel qua die itura esset ad obsequium eius, indicauit. Tunc post vigesimum quintum diem febre correpta est, die autem trigesimo cùm hora eius exitus propinquasset; eandem Beatam Dei genitricem, cum puellis quas per visionem viderat, ad se venire conspexit, Cui se iterum vocanti respondere cœpit, & depressis reuerenter oculis aperta voce clamare, *Ecce Domina venio, ecce Domina venio.* in qua etiam voce spiritum tradidit, & ex virgineo corpore habitatura cum sanctis virginibus, exiuit.

§. 4. *Puero cuidam Opilioni S. Nicolaus felicem obitum prædicit.*

IN villa quæ Leiglinge vocatur, & duo circiter milliaria distat Colonia, ante septennium puer quidem simplex, cuiusdam matronę illic pecora pauit. hic Beatum Nicolaum in tantum diligebat, vt singulis diebus medietatem panis sui in honorem illius pauperibus erogaret. orationibus etiam assiduis misericordiam eius interpellabat: cuius deuotis obsequijs beatus Pontifex delectatus, die quadam ei in agro apparens in forma & habitu venerandi senis, ait: Puer bone, mina gregem tuum domum: cui cùm ille responderet; Domine adhuc est nimis manè, si hoc facerem, Domina mea increparet me. subiunxit Sanctus: Fac quod dixi, quia hodie ante solis occubitum morieris. Ad quod puer territus, cùm interrogaret eum, Domine qui es? respondit: Ego sum Nicolaus Episcopus, quem semper exoras, & cui prandiola tua diuidere consueuisti: modò veni remunerare te. vade ergo ad hospitium tuum, & accipe corpus Domini,

Cæsarius l. 8. c. 75.

mini, & prępara te, quia hodie, vt dixi, morieris. ſicq; diſparuit. Cumq; puer cum ouibus reuerſus fuiſſet, & Domina eius interrogaſſet, quare tam mane veniſſet, reſpõdit: Neceſſitas compulit me, ante noctem moriturus ſum. & illa, Deliras, reduc ergo gregem ad paſtum, quia non morieris. ſed is ſe ſtatim in lectum ſuum reclinans, cùm Sacerdotem vocaſſet, & ille veniſſet, ait matrona; Timeo puerum iſtum aliquid phantaſię vidiſſe: inueſtigate ab eo diligenter quid viderit, quid habeat, vel quare talia loquatur. Quod cùm feciſſet Sacerdos, puer ei viſionem per ordinem recitauit: de cuius manibus cùm communicaſſet, hora prædicta expirauit.

§. 5. *Puellæ cuidam ſuus obitus diuinitus reuelatur.*

Granatenſ. de Symbolo fidei l. 2.

ANno 1582. menſe Maio, in noſtra hac Olyſippi ciuitate fuit quędam nobilis puella, ſed admodum tenuis, ſolitaria, humilis, & ſuis parentibus obediens. In morbum hęc incidit, qui ad nouem perdurauit menſes, eumque pertulit maxima cum patientia: & cùm ſola eſſet, audiebatur coram Crucifixo, quem apud ſe habebat, hæc verba repetere: Domine, quando me de hoc carcere érues? quando apparebo corã te? quando pulchritudine tua fruar? *&c.* Quamobrem Chriſtus Dominus, qui innocentis puellulę amator erat, ei apparens promiſit fore, vt ſuæ glorioſę Aſcenſionis die ei perficiat quicquid petijt, vt eam ſecum eo die ad cælum extollat. Huius diei veſper aduenerat, cùm quędam ei valde familiaris, ridens ei dixit: Heu mendax quidem es, noſque decepiſti, cùm diceres fore, vt Aſcẽſionis die ex hac vita migrares. Ad id ęgrota nihil reſpondit, licet id fore quod dictum erat, certò ſciret. Die autem poſtero, neſcio quid ſuo Confeſſario miſit ei valefaciens, antequam

tequam ad ſponſum ſuum proficiſcatur. Statim etiam matrem vocauit,& nonnullas reliquias,quas habebat, matri dedit:iuſſit quoque nutrici,quæ illam educauerat, vt nouum induſium ſibi ferret, duo nummi aurei illi ſoluerentur: quibus dictis, vbi meridiei hora aduenit, Crucifixum altera manu cepit,cereum altera.quibus armis instructa moriendi iter ingreſſa eſt: & deuota Crucifixo verba pronuncians, vix animam efflauerat, cùm horologium horam poſt meridiem ſignificauit, qua Saluator noſter ad cælum aſcendit.

§. 6. *Paruulus quidam puero IESV panem dedit, & paulo poſt obijt.*

SPira locus eſt ſupra Rhenum famoſus,vbi honoratur imago Dei Genitricis, quæ Sancto Bernardo tribus vicibus locuta eſt: vbi quidā paruulus matre in eadem eccleſia orante, inciſuram panis manu tenens acceſſit, frangenſque micam imagini Chriſti porrexit,his verbis,quibus Theutonici venerari ſolent, & plorare cœpit, *Pu. Pu.* Tandem imago cunctipotentis paruuli infantem ſibi ampleċti,& his verbis perhibetur affari,*Pu. Pu.Pe.noli flere,poſt triduum mecum papabis.* Audiuit mater & tremuit,ſuperuenientique ſeniori Canonico miraculum retulit;qui prudenter rem intelligēs, Obſerua, inquit,infantem à die prædicta,& poſt triduum non habebis ipſum.Protinus infans febre correptus, in triduo moritur, & ſic ad Chriſtum peruenit.

Vincentius in Spec.l. 8 c 99.

§. 7. *Pueri duo Luſitani Religioſi à puero IESV inuitati, ipſo die Aſcenſionis.*

CIrca annum Domini 1240. claruit vir vitæ inculpatæ & probatiſſimæ F. Bernardus,qui in Portugallia in conuentu Sancterenenſi agens Sacriſtam, puerulos aliquot noſtræ religionis habitum geſtantes, poſt miſſarum peracta myſteria

M. Anton. Senenſis in Chron. FF. Prædicat.

informabat literis & moribus. Qui ex domibus maternis ientacula ferentes, postquam missis aliquot inseruierant, cõsueuerant ad vnam capellam in eadem ecclesia diuertere, & ientaculum ibi sumere. Porrò in ea erat in altari posita B. Virginis imago, & in sinu eius paruulus IESVS, qui semper paruulorum humilitate delectatur & simplicitate; qui è sinu matris descendens cum illis ientaculum faciebat. Postquam id aliquot vicibus fecit, paruuli queruli rem ad Magistrum deferunt, narrantes quod ille paruulus ad eorum ientaculum semper descendebat, & nihil in symbolum apportabat. Prudens ac religiosus Pater re ista ab ore innocentium percepta eos instruxit, vt si ille iterum more solito ad eos descenderet, eum sic alloquerentur: En Domine, tu semper nobiscum comedis, & nihil symboli conferre soluisti ad ientaculum: inuita ergo nos & magistrum nostrum semel in domo Patris tui. Et sic illi instructi faciunt, cùm paruulus IESVS, more solito ad eos descendit. Qui eorum petitioni annuens, diem certum designauit, quo id præstaret, & erat dies Ascensionis Domini iam iam instans. Id mox illi referunt Magistro, qui se præparans, vt cælesti interesset conuiuio, illa die maturè se ad celebrandum disposuit, paruulis eisdem illi ministrãtibus; & sacrificio peracto, omnes tres ibi simul viuere desierunt. De quibus plura lege c. 16.

§. 8. *Galeazio puero felix obitus prænunciatur.*

Chron. S Franc. to. 3 l. 4. c. 25. NEapoli puer quidam Galeazius nomine Principis Salernitani frater, B. Iacobo (is clarum fuit Anconæ decus) iam defuncto deditissimus, morbo tentari cœpit periculoso, adeoque vt ad extrema Ecclesiæ sacramenta sibi confugiendum putarit. Cumque crebrò à B. Iacobi socio vi-

cio viſeretur, qui eum bono eſſe animo iuberet, ſanitatem omnino impetraturum ei B. Iacobum, à quo, dum viueret inter mortales, tantopere diligeretur, Parcat, inquit, tibi Deus, mi Pater, quod iſthæc mihi verba facis; nihil enim mihi, ad eum modum pręparato, gratius accidat, quàm ſi in terra non morientium, ſed viuentium B. Iacobo liceat occurrere; qua quidem felicitate tanta indignus ſum, fateor, eam tamen Sancti viri meritis me conſequuturum confido. Poſt biduum apparet ei B. Iacobus, hortatur morbi vt moleſtias modeſtè ferat, incumbat ad pietatem, promittitque breui rediturum ſe, vt eum ad cæleſtem patriam deducat. Mirari omnes occultam inſoliti gaudij cauſam. puero omnis mora longa videri: & quia diem, annum putabat, Religioſos omnes ad hymnos, Litanias, & eiuſmodi preces alternãdas inuitabat, donec tandẽ exclamat: En adeſt B. Iacobus opportunè: valete, terras relinquo: & ter SS. IESV nomen inclamans, innocentem animam exhalat. B. Iacobum ſpiritus comitatur, corpus, vt erat habitu Franciſcanorum indutum, communi Fratrum ſepulcro eſt tumulatum.

§. 9. *De Hiſpano quodam puero.*

IN Mexicana prouincia puer Hiſpanus annorum circiter 12. tanta pietate vixit, vt dormientibus ceteris eiuſdem ſeminarij alumnis, intempeſta nocte ad flagellationes piaſque commentationes expergiſceretur. is morbo preſſus, pridie quàm vitam commutauit, vni e noſtris narrauit; candida veſte ſibi viſum, qui nocte proxima, certa hora ſibi moriendum eſſe denunciarit. Denunciationem res ſequuta eſt.

Ex literis Societ. a. 1595. [illegible] Tepozotlano.

Collegij incommodis (Collegium erat conuictorũ) tam grauibus ac diuturnis finem à Deo impetra; & quam, nostras propter noxas, diuinam meremur iram, auerte: recepit & abijt. Mirum dictu, ab eius discessu illo morbi genere nedum mortuus fuit aliquis, ne ęgrotauit quidem.

§. 12. *B. Virgo adolescenti Sodalitatis in morte succurrit, dæmones abigit.*

ROmæ Henricus ab Haidem Canonicus Treuirensis, pari morum elegantiâ & nobilitate adolescens, cùm ab extrema pueritia septem annos in collegio Germanico egisset, instanter requisitus a suis, reditum parabat in patriam, sed veram ei patriam Deo destinante incidit in febrim, quæ octauo die attulit mortem. Monitus à Sacerdote de necessitate vltima (iam ante se generali cõfessione pręmunierat) ad Apostoli Andreę corpus, quod Malphi colitur, pro valetudine peregrinationem vouet, certam dein pecuniam ad crucem argenteam ponendam in æde S. Apollinaris (is est Collegij patronus) itemque ad pallium, quo altare operiretur Deiparæ virginis, in cuius erat Sodalitio, reliquit. His rebus ita dispositis, eum somnus multis præsentibus oppressit. Pòst paulò euigilans, accersito sacerdoti, qui erat ei à confessionibus, O Pater, Pater, inquit, quæ ego vidi! Quæ interrogat ille. Quæ nec oculis, nec auribus, sed nec vllo sensu percipi possunt. Tum cùm mouisset expectationem, & iungerentur omnium preces, subiecit, inter attonitum lętumque, sed lęto propior: Salus mea fuit in angusto, sed benignitas B. MARIÆ Virginis, Sanctorum Andreæ & Apollinaris, & Martyrum nostrorum tutelarium in tempore mihi succurrit. A dęmone sum ductus ad iudicem: magna vis, cùm solus essem, circumstitit accusantium, varia crimina obiectantium:

Bencius in lit. Socie. in hist. Colle. Germanici 1586. Bonif. in hist. Virg. l. 4. c. 18. Franc. Veron in Manuali Sodal. c. 1, p. 1.

tium : iam iamq́ue exactor supplicij me pertrahebat ad gehēnam, & cùm abesset prope nihil quin essem miserrimus, adstitit misericordiæ Parens, ad illos conuersa : Quò vos istū? aut quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea Congregatione seruiuit? Consecutus deinde S. Andreas, idem indignās titulū obtēdebat mei patrocinij, quum voueram ad eius tumulū peregrinationē. Sāctus postremò Apollinaris, cum ceteris Martyribus, quorum sacrosanctæ reliquię sunt in æde nostra, vim inhibuit aduersariorum, memorans crucem, quam proximè mandaui faciendam. Ita, quæ Deo est gratia, periculo simul somnoq́ue solutus sum. Hæc cùm dixisset exultans, quartâ ferè pòst horâ animam reddidit.

§. 13. *Alteri [illegible] cum filio & Angelo custode visendam præbet cumq́ue accersit.*

Bencius in hist. eiusdē Coll. Bonif [illegible] Sod. c. [illegible] p. 1.


ADolescentem è congregatione Collegij Coloniensis in Germania, ornādis, venerandisq́ue Sanctorum imaginibus cubicularibus sedulò dedi[illegible]um acu[illegible] morbu[illegible] lecto affixerat : ipse interea to[illegible]eipa[illegible] cogitatione defixus eam tantum [illegible]bat in ore, quam vnam habebat in mente. [illegible] migraret, matrem appellat, ait visam [illegible] Virginem cum filio, quibus additus erat Angelus minister, ab ijs se accersi; proinde eam hoc supremum orat, vt flosculos quos haberet domi acu pictos opere plumario, ad Cōgregationem Dei Matris mittat. Ipse postri die vultu in eam partem conuerso, vbi cęleste apparuerat visum, ridenti similis decessit.

§. 14. *Puellula septennis haud mortis ignara Eucharistiam efflagitat.*

Ex literis Soc. anni 1587. in Sede Pas[illegible]

PVellula vix septimum annum ingressa, morti proxima, obsecrabat sacerdotem vnum è nostris, vt sibi eius voluntate communicare liceret; illo,

illo, quòd respiceret eius ætatem, siue vt augeret desiderium, aliud agente, preces iterabat, negante, instabat vehementiùs. quærenti causam cur id tantopere flagitaret: Vidi, inquit, superiori nocte mulierem prçcellentissimâ formâ: vnus erat ei comes; magnam ipse quoque maiestatem præ se ferens, tum dignitate alia corporis, tum ipsâ senectâ, ipsa me vt viaticum sumerem admonuit: triduo videlicet meo cum patre (& pater lethifero erat morbo affectus) migraturam. Morem gessit Sacerdos. puella eo ipso quo prçnunciauerat die, eâdem hora cum patre decessit. *cuariensi pro. Mexic.*



CAPVT II.

FELIX PVERORVM OBITVS.

FELICES ô flosculi! qui nascentes priusquam rapidus turbo plãtas discuteret, diuino meruistis carpi pollice, & ad immortalitatis sertum contexendum applicari! pergite animulç, ad stellata cæli spatia magnis passibus contendite. quid enim hoc est aliud quàm à carceribus ad metã, sine vlla loci intercapedine pertigisse? quam è primis Oceani fluctibus ad portũ, ex labore vix suscepto ad requiem, ex primo certamine ad victoriam vocari? non est hoc obijsse, sed abijsse: quare neque lacrymæ nobis nisi gaudij testes, emittẽdæ. Viuunt, viuunt çternum pueri, vitamque mortalẽ immortali commutarũt, quorum omnium sepulcro, Theodosij Imp. imitatione, inscriptum hoc

epitaphium velim, ὑγεία, Sanitatis, vitęque velut per viæ compendium adeptæ monumentum.

§. 1. *De S. Dentlini obitu.*

Molan. 14. Iulij de Natalibus SS. Belgij.

RESSę in Cliuia S. Dentlinus colitur, filius S. Vincentij Hannoniæ Comitis (qui Madalgarius antea dicebatur) inter Palatinos Regis Fracorum Dagoberti non infimi, & sanctæ Waldetrudis, fertur puer septem annorum in albis mortuus. Cuius natalis nusquam (quod sciam) apud Hannones celebratur. Canonicę tamen sanctę Waldetrudis inuocant eum in Litanijs. sed lōge celebrior est apud Canonicos Ressensis oppidi in Cliuia, qui annuè eum celebrant ad diem 14. Iulij, & hebdomadatim ferijs secundis & quartis non impeditis. Embricæ præterea Parochia S. Aldegundis celebrat eum in choro die 16. Martij. Porrò matutinæ lectiones Cleri Ressensis merita eius occultis Dei iudicijs committunt, & magis versantur in laude parentum: Sequentia tamē inde desumpta ipsum concernunt. *Postremò verò genuit S. Vincentius S. Dentlinum, Patronum nostrum gloriosum qui Christo renatus, infans migrauit ad Dominum: vt de eo impleretur sermo Dominicus: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum,* (*Mat. 19.*) *& quod Propheta dicit: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* (*Psal. 8.*) *In huius enim mundi procellarum fluctibus diu quassari nequaquam est permissus, vt de eo verè dicatur: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam eius: placita enim erat Deo anima illius, propterea properauit eum Deus educere de medio iniquitatum.* (*Sap. 4.*) & infrà: *Sepultus est S. Dentlinus honorificè in Cœnobio Sonegiensi, iuxta B. Vincentium genitorem suum, in locello, auro & argento ac lapidibus pretiosis intexto. Quod Cœnobium ipse S. Vincentius eleganti satis construxit opere, & stipendijs ac possessionibus magnificè exornauit.* Hæc Ressenses.

§. 2. De

§. 2. *De puero Achas.*

NEcdum ſeptennium expleuerat Achas, cùm *Thomas à* raptus eſt, ne malitia mutaret intellectũ eius. *Cantiprato* Appropinquans ergo morti, poſt peccatorum ex- *l.2. de Api.* piationem, à Sacerdote ſacramentum corporis *c.28. Meye-* Chriſti poſtulauit. Quod cùm ſibi ob teneram ę- *rus in An-* tatem (vetante id generali Concilio) denegari in- *nal. Fland.* tellexiſſet, puer mira oris gratia extenſis in cælũ *Molanus* manibus: Tu noſti, inquit, Domine IESV, quod *11. Iunij.* ſumma votorum meorum fuit hæc, vt te reciperẽ: petiui te, feci quod potui; ſpero confidentiùs quod tua prę̨ſentia non fruſtrabor. & dum parentes conſolatur, & ad meliora incendit, verba exhortationis inter & laudis, innocentem animã efflat.

§. 3. *De infantuli morientis riſu.*

SAcerdote vno comitatus cùm fortè domum *Thomas à* pauperis mulierculæ ingrederer, aderant ibi- *Cantip. l.2* dem duo Fratres ordinis Prædicatorum infanti *de Apib. c.* ex cunis cum immatura morte luctanti. vultu & *50.* oculis infans ingentem prodebat dolorem, caput irrequietus agitabat; cùm ecce paululùm depreſſis oculis, & iterum adapertis ſuſpicere in cęlum cœpit, & adeo vehementer ridere, vultuque, oculis & membris exultare, vt eius riſus & cachinnus foris audiri potuiſſet, & niſi membra eius faſcia ſtringerentur, extra cunas quaſi tripudians exilijſſet. Nec dubitamus, qui hæc vidimus, vllo modo, quin ad viſionem ineffabilis glorię, & contuitum Angelorum, qui puris & innocentibus oculis apparebant in tali puero tam anxiè morienti, contra naturam talis exultatio cõtingeret.

§. 4. *Regina Matris ſubſidium puer experitur.*

PVer quidam annorum non ampliùs decem in- *Lãſpergius* audierat in ludo literario valde probari eam *in opuſc.* conſuetudinem, qua aliquid in Virginis Deiparæ

hono-

honorem quotidie factitandum susciperetur; eius opem ac fauorem ita facilè hominibus conciliari, hanc esse ad eruditionem, immo ad cælum viã compendiosissimam. Quare decernit breuem saltem precatiunculam, sed magno animi feruore Magnæ Matri, Magnę Virgini identidem recitare, eamque ante quodlibet opus, siue vesperi decumbendum esset, siue manè surgendum; ante cibum, studia, ludum, aut aliud eiusmodi, his verbis salutare: *Salue mater misericordiæ*. Nec pluribus. Contigit verò eũ paulò pòst adeo grauiter morbo premi, vt de eius vita conclamatum esset: iamque vi morbi sensibus velut consopitis iacebat, cùm lãguenti affuit B. Mater; verùm cùm ille nihil inde moueri videretur, Non me, inquit, agnoscis fili? ego sum illa quam toties salutasti; *Ego sum Mater misericordiæ*. ad quæ verba puer velut experrectus, vultu ad hilaritatem composito, brachijs ad cæli Reginam protensis, corporis ergastulum relinquens cum ipsa in cælum iucundissimè euolauit.

§. 5. *Infans Esica moriens virginem, quæ se erat secutura, vocauit.*

Beda hist. Angl. l. 4. c. 8. ERat in Monasterio Berecingensi grassante in Orientalium Saxonum prouincia peste puer circiter trium non ampliùs annorum, Esica nomine, qui propter infantilem adhuc ætatem in Virginum Deo dicatarum solebat cella nutriri, ibique meditari. Hic præfata pestilentia tactus, vbi ad extrema peruenit, clamauit ter vnam de consecratis Christi Virginibus proprio nomine, quasi præsentem alloquens, Eadgit, Eadgit, Eadgit. & sic terminans temporalem vitam, intrauit ęternam. At virgo illa quam moriens vocabat, mox in loco quo erat eâdem attacta infirmitate, ipso quo vocata est die, de hac luce subtracta, & illum qui

qui se vocauit ad regnum cæleste sequuta est.

§. 6. *In morte Benedicti S. Birgittæ filij, auium cantus auditur.*

PRoficiscens quandoque S. Birgitta à Rege Suediæ, venit ad Aluastræ monasterium, inuenitque filium suum, quem iampridem ęgrotum reliquerat in extremis agentem. Luxit igitur multùm; quod tam diuturno ille morbo teneretur, verita propter peccata parentum eius id accidere. Apparuit autem ei Sathan, & dixit: Quorsum attinet mulier, tantam te vim lacrymarum profundere? debilitas ea re aciem oculorum, nec quicquam efficis: putas tu lacrymas tuas cęlos penetraturas? Eadem hora etiam Christus in humana specie ei apparens, dixit: Huius pueri ægritudo non habet causam suam ex astris, vt stulti asserũt, neque à peccatis eius, sed ab ipsius naturæ conditione, & vt insigniùs in cęlis coronetur. sicut ergo huc vsque dictus est Benedictus filius Vlphonis, ita deinceps vocabitur filius lacrymarum & precum, & ego iam finem imponam eius angoribus. Quinto inde die auditus est velut auium cantus gratissimus inter pueri lectum & parietem, & ille felicissimè decessit. dictum est autem diuinitus ad S. Birgittam: En quid possint lacrymæ: Iam filius lacrymarum abijt ab requiem inconcussam & incommutabilem.

Surius 19. Iulij.

Lacrymæ Sãctorum sunt dæmoni molestissimę.

§. 7. *Multitudo Angelorum Iosepho infanti occurrit morienti.*

D. Ioanna editæ in lucem proli Iosephi nomen (quòd Theresia Mater Sanctum hunc pręcipuo honore veneraretur) indidit. Acciditverò aliquando, vt infantẽ baiulans Mater Theresia in hunc precaretur modum: Deum oro, inquit, fili: mi, vt si ab officio boni viri discessurus es aliquãdo, ipse ex hac vita te euocet Angelicis adhuc prędi-

Ribera in vita B. Theresiæ l. 1. c. 15.

ditum ornamẽtis, & priusquam aliqua illum noxa offendas. Post tres septimanas Deo ita volente, incidit in morbum infans, & iam morti vicinum cùm vlnis teneret beata Mater, intueretúrque fixis oculis, vidit D. Ioanna radiantem tenentis vultum non secùs, ac si Angelus fuisset; & hos obtutus inter, efflauit infans animam. Theresia Mater vt mœrentis animum leuaret dolore, vultu hilaritate simul & admiratione pleno, Quantopere, inquit, laudandus est Deus, quòd tot Angelos videre est, cùm è vita excedit vnus ex his paruulis, quorum est regnum cælorum. Vnde colligere licet eam vidisse tum Angelos, qui egredienti animæ infantis occurrerent.

§. 8. *Præclara Helenæ Maximæ vita, morsque Angelorum decorata cantu.*

Antonius Gallonius Congregationis Oratorij Presbyter in vita B. Philipi Nerij anno 1593.

Eucharistiæ frequens & pia susceptio.

Angelorũ cantus in eius morte auditur

FVit hæc virgo in Dei amore mirè feruida: vitam suam arbitrio confessarij moderabatur in omnibus: Christi mortem maximo cum sensu pietatis assiduis propemodum lacrymis deplorabat: ter per hebdomadam sacratissimo Angelorum pane sese reficiebat, & in cõmunicando maximam lacrymarum vim profũdere cernebatur: moribunda vbi sacrũ viaticũ sumpsit (quod Baron. ministrauit) se totam sacratissimo Christi sãguine perfundi proprijs vidit oculis. Demũ diem obitus sui præuidit & prædixit, vt testatus est B. Philippus Nerius, qui in eius obitu Angelos suauissimè concinentes audiuit. Eius corpus exanime ad ecclesiam Oratorij delatum, ibidem arca lignea inclusum, sepulturæ mandatum est. incidit eius mors in diem V. Id. Septemb. anno Christi 1593.

§. 9. *De S. Lusone.*

Molanus in Martyr. 4. Nouemb.

BIturigis depositio S. Lusonis pueri & confessoris celebratur, qui filius cuiusdam Senatoris fertur in albis migrasse, vt scribit Gregorius Turonens.

Turonenſ. de gloria Confeſſorum c. 92. vbi pluribus de eo agit.

§. 10. *Amore IESV Chriſti moritur puellula.*

ERat quędam virgo nobilis quatuordecim annorum, quæ B. Virgini valde erat deuota. Hæc glorioſam Virginem rogabat continuè ſeptem annis, vt ſibi dignaretur oſtendere filium ſuum. Quæ cùm in vigilia Natiuitatis Domini orationis cauſa, ſola capellam intraſſet, apparuit ei virgo pulcherrima, tenens filium in manibus, & alloquuta eſt virginem Dei: Accipe filium meum, & lude cum Deo: quę gaudēs fecit. Cui puer: Diligiſne me? & illa: Omnino. & ille: Quantum? tunc illa: Plus quàm corpus meum. Cui puer: Si diligis me? & illa; Plus quàm cor meum. & IESVS ait; Quãtum plus corde tuo diligis me? & illa: Neſcio dicere, ſed ipſum cor loquatur. Quo dicto ſtatim cor eius præ amore ſciſſum eſt. Tunc B. Virgo accepta anima eius, in concentu Angelorum adduxit in cælum. Ad cantum verò Angelorum familia accurrit, & virginem mortuam inuenientes, odore inenarrabili ſunt repleti. Et Fratres Prædicatores qui aderant, cor eius aperiẽtes, ſciſſum inuenerunt, & in eo ſcriptum aureis literis: *Diligo te plus quàm me, quia tu creaſti, redemiſti, dotaſti me.* *Speculum exẽpl. d. 9. §. 74.*

§. 11. *Puer reuiuiſcit & feliciùs moritur.*

AFflictę matris manibus deferebatur filiolus, vt qui Catechumenus vita priuatus fuerat, glorioſi Stephani meritis (cuius preces efflagitabantur) vitæ reſtitueretur. Cùm igitur ad aures amici Dei pulſaret, duplici orbitatis luctu perculſa mater, quòd duplici filium vita priuatum arbitraretur, ecce luctus inter medios, ſpiritus demortui præcordia reuiſit, lingua nec officij ſui oblita, notos edidit ſonos. continuò accerſitur Sacerdos, aqua ſalutifera abluitur, atque ſic à peccatorum *D. Augu. l. miracul. S. Stephani.*

catorum lethali catena abſolutus, ſtatim etiam mortalis carnis vinculo exuitur, & ad ſpiritales Dei amplexus ſumma celeritate dimittitur.

§. 12. *Puer è ſodalitate Biſuntina feliciter obit.*

Ex literis Socie. prou. Lugd. anni 1598.

SOdalis Adoleſcens præter loci cõſuetudinem ſtatim ac morbo ſe tentari ſenſit, ſacramenta ſuſcepit auidè: & vultu ſemper hilari ſuauiſſimè de Deo dũ verba facit, frequẽter viſitur à multis, quibus imitãdi ſtudium excitabat. Adeſt interea dies vltimus, cùm aduigilantibus ægro Sodalibus quibuſdam, de repente in pugnam cum dæmone deſcendit, ex vocis contentione vt audirentur hæ voces: Non te offendam Domine, non te offendam. Credo, credo. opitulare Virgo MARIA. IESV bone miſerere mei, adiuua me, & ſimiles: manu interim ita crucem vibrabat, vt ſi manus cũ aliquo cõſereret. Tandẽ velut è magna contẽtione reſpirans, ter *victoria* ingeminat. Rogatur quid tandem rei? reſpondet animo quieto, à ſe quoſdã prę euntes videri, quos exoptaret & ſubſequi, ſi non conſequi: Angelos, interrogatus, fuiſſe dixit; ad quę verba placidiſſimè obdormiuit in Domino.

§. 13. *Haud abſimile de puero Dolano.*

Franciſcus Veron in Manuali Sodal. p. 1. c. 1. ex literis Soc.

DOlæ anno 1594. Scholaſticus quidam Congregationi B. Virginis adſcriptus, horâ antequam vitam expirauit, Crucifixi dari ſibi ſignũ poſtulauit; tempus extremi certaminis adeſſe ait, Sodales qui ſibi aderant, enixè orans, ne ſe eo tempore desererent. Tum ad ſe ſuumque rediens certamen, vocem illam iterum & ſępius ingeminans, *Credo*, quantò ad vitæ terminos accedebat propius, tantò à rerum, quæ fiebant, ſenſu longiùs, abducebatur. Itaque totus in ſuum certamen intentus, quod de S. Hieronymo alijſque legitur,

legitur, ſubinde illa poſtmodum & ipſe iterabat, Non eſt ita, mentiris, & quaſi in aduerſum inimicum crucem, quam manu tenebat, tanquam telum intentabat. Ad extremum, quaſi ſedata iam pugna, & parta victoria tranquillo animo: Quam bonum eſt, inquit, B. Matri in eius Sodalitio famulari. abſtractuſque à pręſentium rerum ſenſu diuinæ bonitati gratias agens, animam emiſit.

§. 14. *Placidè mortem excipit puella.*

PVlla quædam, vnica parentum filiola, nullo neque frigore, neque niue, nec fluuioli incremento, qui tranſmittendus erat, deterreri poterat ab audiēda doctrina Chriſtiana, etiamſi æquo longiùs domus eius paterna ab eccleſia diſtaret. Cùm in grauem fortè morbum incidiſſet, & in dies peiùs haberet, domuſque gemitu & lacrymis ob impendentem mortem compleretur, illa tamen omnes ſolabatur, dicens: Nullam cauſam plorandi habetis: nam Deus in hac ętate vult me ad paradiſum ſuum traducere: cumque aliæ puellę ad eam viſendam cōueniſſent, rogauit eas, vt ſicut voce clara preces dicere conſueſſent in Eccleſia; ſic etiam ante ſuum lectum dicerent; ad quarum voces innoxias, ſuauemque harmoniam, felix illa puella animam ſuam reddidit conditori, cum omnium circumſtātium ſtupore, & ſancta quadam inuidia. *Ioannes Hayus in hiſt. Indica de Omurano Coll.*

§. 15. *Infantis mira vox ante mortem.*

XImabaræ Chriſtianorum primitias libauerat Dominus, ſex videlicet trimos aut quadrimos infantes; quorum qui primus ſtatim à baptiſmo exceſſit è vita, Chriſtianę fidei veritatem illuſtri ſanè teſtimonio comprobauit: cùm enim iam ageret animam, ſublatis ad ſydera manibus; *Tem iangate mairo*, id eſt, confeſtim, inquit, ad cęlum migrabo. cuius rei miraculo Neophyti *Maffeius Epiſt. Indic. l. 3.*

phyti magnopere confirmati sunt.

§. 16. *Pueri multi statim post baptismum emoriuntur.*

Ex literis P Hieronymi Xauier, & Emmanuel. Pignetis anni 1598.

IN regno Mogor, extrema anno 1598. fuit fames, sic vt in dies multi inedia absumerentur; & ne infantes deserti, & omni humana ope destituti morerentur, matres è domibus eiectos in plateis exponebant: quorum plurimos baptizauimus, qui statim postea Creatori suo animam reddebant. Cùm igitur ex Mauris quidam abiectos infantes tam piè & humaniter à nobis tractari vidisset, obtulit ex filiolis suis vnum, quem matri restituimus, datâ in alimentum certâ summâ, sed dilato baptismo. Multo manè, & primo velut diluculo exauditus est ad domûs ianuam clamor; accurrens igitur (inquit Xauerius) ad ostium, vt viderem, quid sibi vellet hæc vociferatio, inueni matrem esse infantis, euocantem me, vt in ędes suas me conferrem, puerulum morti proximum baptizaturus; parui, comitantibus me, Lusitanis quibusdam, & consentiente patre, ablui. Volebat pater mortuum circumcidere, sed non passi sumus tantum sacrilegium, sepeliuimusque Christiano ritu. Benedictus Dominus, qui ab hominibus abiectos in vitam ęternam colligit. Idem pusioni trimo accidit, qui ad nos à Maura quadam delatus statim à baptismo mortuus in cęlum conscendit. Hæc illi.

§. 17. *Infans tempestiuè moritur.*

Petrus du Iarric p. 3. l. 5. c. 4.

PLurimos in propugnaculo Syr P. Hieronymus Xauier opportunè salutaribus aquis tinxit, è quibus infans vnus extitit, qui in fimi cumulo ceu rudis quędam carnis massa, repertus fuerat: nam baptismo expiatus cùm ad vnum diem superuixisset, ad Beatorum societatem migrauit. Atque ita in eo expletum est ad literam, quod in psalmo legitur,

legitur, *De stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus.* *Psal. 112.*

Item aliud.

IN India Orientali Ethnica mulier quòd in horam minùs felicem incidiſſe partum augurabatur, ſtultè abiecit ex ædibus. Chriſtiana mulier puerum inuentum ad Patres Societati, attulit baptizandum, quem vt ſalutaris aqua tetigit, quaſi tēpeſtiua mors eſſet, & matura cælo pueri anima, protinus expirauit. *Talium enim eſt regnum cælorum.* *Ex literis Societ. ãno 1584. Coll. Goano.*

Quale eſt illud quod de Galate Socrates ſcribit. Filius Valentis Imper. nomine Galates, qui tenera admodum ætate fuit, grauiter ægrotare cœpit, vt medici de eius vita penitus deſperarent: cuius mater Dominica ad Imperatorem retulit, ſe per quietem ab horrendis viſis valde diuexatam fuiſſe, puerumq́; propter contumeliam, quam Baſilius Epiſcopus fuiſſet ab eo perpeſſus, morbo afflictari. Quæ Imperator animo complectens, accerſit diligenter Baſilium, & quo illius faceret periculum, ſic illum alloquitur: Si vera ſunt tua de fide dogmata, precare vt filius meus non moriatur. Tunc Baſilius: Si, inquit, credis, ô Imperator, quemadmodum ego, & efficies vt Eccleſia ad concordiam reducatur, viuet puer. cui cùm Imperator minimè conſentiret, Idcirco, inquit Baſilius, de puero fiat voluntas Dei. Baſilium, cùm hæc dixiſſet, dimitti iubet. puer ſtatim poſt exijt è vita. *Socrates l. 4. c. 21.*

Sed Theodoretus hæc habet. Magnus Baſilius tum profectus ad regiam, & filium Imperatoris morti vicinũ conſpicatus, pollicetur eum ad vitam reuerſurum, modo ſacro-ſancto baptiſmate à pijs hominibus donaretur. quæ cum dixiſſet, exiuit. Imperator vero iureiurando, more dementis Herodis, obſtrictus (nimirum dato olim Eudoxio iuramento, ſe nunquam receſſurum ab hæreſi Ariana) quibuſdam ſectæ Arianæ, qui aderant, pueri baptizandi negotium dat, puerq́; extemplo obit mortem. At non de baptiſmo, ſed de precibus id accidiſſe Sozomenus tradit. *Theodor. l. 4. c. 17.* Infelix pueri obitus.

D. Greg. l. 4. Dial. c. 26.

De quodam Armentario narrat Gregorius rem terribilem, quæ sic se habet. Cùm Valeriani Aduocati domus, mortalitate Patricij Narsi temporibus grassante, vastaretur, puer quidam Armentarius eâdem clade percussus est, & vsque ad mortem deductus. Qui subitò sublatus à præsentibus, redijt, sibique dominum suum vocari fecit; cui ait: Ego in cęlo fui, & qui de hac domo morituri sunt, agnoui. Ille, ille, atque ille morituri sunt, tu verò ne timeas: quia in hoc tempore moriturus non es. Vt verò scias quòd me in cælo fuisse verum fateor, ecce accepi illic vt linguis omnium loquar. Nunquid tibi incognitum fuit Græcam me linguam omnino non nosse? & tamen Græcè loquar, vt cognoscas an verum sit quod me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc Gręce dominus suus locutus est, atque ita ille in eadem lingua respondit, vt cuncti qui aderant, mirarentur. In ea quoque domo prædicti Narsi spatarius Bulgarus manebat: qui festinè ad ægrum deductus ei Bulgaria lingua locutus est, sed ita puer ille in Italia natus & nutritus in eadem barbara locutione respondit, ac si ex eadem fuisset gente generatus. Mirati sunt omnes qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento, quas eum antea nescisse nouerant, crediderunt de omnibus, quas probare minime valebant. Tum per biduum mors eius dilata est, sed die tertio, quo occulto iudicio nescitur, manus ac brachia, lacertosque suos dentibus laniauit, atque ita de corpore exiuit. Quo mortuo omnes illi, quos prædixerat, ex hac protinus luce subtracti sunt, nullusque in illa domo eadem tempestate defunctus est, qui voce illius denunciatus non est.

Valde terribile est (inquit idem Gregor.) vt qui tale donum percipere meruit, tali etiam post hoc

hoc pœna plecteretur. Quis occulta iudicia Dei sciat? ea quæ in diuino examine comprehendere non possumus, timere magis quam discutere debemus. Sed meritò deplorandum est magis quod sequitur.

Puella sex annorum morbo implicita venit ad extrema; cœpit hæc per noctẽ horrendis vocibus clamare (proferam ipsa eius verba) *Me miseram: nigri Mauri me in æstuans caldarium proyciunt.* Conterriti parentes ęgrotam aqua lustrali respergunt: signo crucis muniunt, monent vt I E S V M & B. Virginem inclamet. sedatur tantisper clamor, donec sub auroram, iterũ cœpit horribiliùs clamare: *Rape me, diabole, rape me.* ac sub his vocibus inquinatulam efflauit animam. Rogati parentes responderunt; præcoci ingenio puellam bonum à malo probè dignouisse: neque quid sit peccatum ignorasse: tamẽ confessam esse nunquam: sæpiusque quòd liberiùs cum pueris colluderet, à se reprehensam esse. Quid in occulto Dei lateat iudicio, fas disquirere non est: sed qualis esse debeat parentum cura, etiam circa teneram ętatem, non obscurum.

Ex literis Socie. anni 1594. prou. Ni..ol domo Prob aronensi.

Vide etiam c. præcedens per totum, & p. 2. c. 11. §. 10.



CAPVT III.

PVERORVM IN PERFERENDIS PRO CHRISTO MARTYRIJ *cruciatibus, constantia. & primum qui capite truncati.*



MERITÒ canebat Deo Regius Psaltes: *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* nam siue considéres mare, reperies ibi animalia pusilla cum magnis, fateberisque mirabilem Deum, qui fecit grandia cete & pusillam remoram: siue in terra consistas, inuenies item Deum mirabilem in formica & elephãto. Neque sunt contemnenda minima, quæ in genere mirabilium certant cum maximis: vnde enim adeo inclaruit nomen Charetis? nonne ob perfectum Colossum inusitatâ mole visendum? sed vnde quęso suam laudem tribuit antiquitas Myrmecidi? nonne quia dædalâ manu quadrigas finxit, quæ cum suo agitatore vnius muscę alis vniuersæ tegerentur? adeo hîc artem commendabat exiguitas. Prorsus & in seruis suis admirabilis est Deus: Non enim semper Sebastianos, non semper florenti ętate Laurentios, non semper Vincentios ad sancti sui nominis confessionem vocauit, sed *infirma mundi elegit, vt confundat fortia.* Ætas quidem priscis Romanis infra 17. & supra 46. annum ad militiam ferè inepta erat; ast *noua bella elegit Dominus*: adscripsit senes militiæ suæ, infantesque. Quàm gloriosum erat videre Eleazarum 90. annorum pro sanctæ legis defensione fortiter dimicantem, & fortiùs occumbentem! Vis Eleazaro prouectiorem? S. Dionysius Areopagita annum agens

Psal. 138.

Plinius lib. 36. c. 5.

1. Cor. c. 1.

Iudicum 5.

agens supra centesimum, varia passus est tormenta, tandemque ethnico ensi carnificis annosam ceruicem generose porrexit, & caput præcisum manibus excepit, ad duo passuum millia insolito spectaculo progressus. Vis magis decrepitum tibi proferam? S. Ensignius annum agens 110. cùm Iuliano Apostatę exprobraret desertam Constantini Magni (sub quo meruerat) fidem, iubetur capite mulctari. Parem Martyrij lauream adeptus est grandior natu S. Simeon Epis. Hierosolymitanus, vtpote 120. annorum, qui (teste Eusebio) post varia tormenta, etiam acerbitatem ipsius crucis tanto natu Pręsul constanter pertulit, non sine hostium ipsorum admiratione. An forte senibus tantùm, & non bellicosæ pueritiæ sua erunt trophæa? Tu Lector, toto hoc capite, sequentibusque, si placet, iudex esto, an non sicut in magnis iuxta & in paruis, sic in pueris non minùs quàm senibus diuina virtus sit admiranda. venerandam canitiem pulchra morte à trunco vidisti reuulsam; hîc tenera, ne dicam lactea, infantium colla, lictoris sortem miserantis porrecta gladio videbis. dignum cęlo vtrobique spectaculum. *Euseb. li. 3.*

§. I. *Pergentinus & Laurentinus.*

PErgentinus & Laurentinus fratres vterini, nobiles ciuitatis Aretinę, passi sunt sub persecutione Decij Cęsaris in eodem oppido, cùm adhuc essent pueri Scholastici. Cum enim Tiburtius Consiliarius Decij eandem vrbem ingressus esset, delati sunt ei prędicti fratres, quòd populum à Deorum cultura separarent, qui illos aduocans, primò quidem blanditijs multis hortari cœpit, vt à Christi prædicatione desisterent. Et quia nobili progenie orti fuerant, eos tunc lenitate mollire cupiens, dimisit. Cùm autem adhuc Dei martyres constantiùs Christum confiterentur, & populũ à *Franciscus Costerus do min. 1. post Epiphaniã, ex Petro de Natalib in Catalogo l. 5. c. 80. Martyrol. Rom 3. Iunij.*

sacrificijs subtraherent exhortationibus suis, iterum delati, à Tiburtio tēti sunt, & Cathomis leuati diutius fustibus cædi iubentur; statimque brachia ministrorum arefacta obstupuerunt, sed orationibus sanctis, eisdem restituta sunt. Quo miraculo multi Gentilium conuersi sunt ad Christum; Tunc iubente Tiburtio Sancti in carcerem recluduntur, & per triduum sine cibo relinquuntur. Post tres verò dies Angelus Domini ad eos descendit: quos & cælico pane refecit, totusque carcer nimia claritate refulsit: custodes verò velut mortui obdormierunt. Cumque Christiani, qui nuper conuersi fuerant, cum sorore eorum Pergentina ad Sanctos visitandos eadem nocte venissent, & custodibus munera detulissent, vt illos ad Sanctos intrare permitterent; carcerem apertum inuenientes, & custodes dormientes, ad eos ingressi sunt, & baptismi lauacrum expetebant, eisque vt abirent suadebant. Sancti verò Martyres eos baptizandos ad Cornelium quendam Presbyterum miserunt, & quod nullatenus abire volebant, responderunt, eò quòd ad Martyrium festinabant. Sicque illi ad Cornelium accedentes baptizati sunt ferè sexaginta viri. Sequenti die Tiburtius hęc audiens, eos eductos super carbones ardentes nudatis plantis stare fecit: sed vterque ipsorum illæsus permansit. Tunc ad statuam Iouis adduci mandauit, eosque illam adorare suasit, & postquam illi orationem fuderunt, idolum in puluerem redactum est. Quo miraculo ducenti Paganorum conuersi sunt, & clamātes Christum verum Deum, furore Gentilium vsque ad mortem cęsi, semiuiui relicti sunt; Tunc Tiburtius iussit Pergentinum & Laurentinum fratres capitalem subire sententiam: quorum corpora Pergentina soror illorum cum alijs pluribus Christianis noctu surrepta, longè à ciuitate Are-

te Aretina ferè mille passibus sepeliuit. iij. Nonas Iunij.

§. 2. *S. Crescentius puer.*

CRescentuus annorum circiter 13. sub Turpilio Iudice, via Salaria, gladio percussus est. *Baron. to. 2 anno 303.*

§. 3. *S. Pancratius.*

FVrente in Christianos Diocletiano comprehensus est etiam Pancratius adhuc Neophytus; verùm Imperator cùm audisset magnis eum Natalibus ortum, iussit eum ad palatium suum duci, vtque vidit, obstupuit ad tantam pulchritudinem, & quòd in tantilla ætate paratus modis omnibus esset mori pro Christo, aitque: Infantule, quia nobili genere natus es, ex patre Cledonio mihi amicissimo, volo hoc à te extorquere, vt ab hac Christianorum insania discedens reddas te natalibus tuis, & ego te honoribus & diuitijs auctum, loco filij habebo, meoque semper lateri adhærebis. quod si pietatis meæ monita contempseris, iubebo te interfici, & corpus tuum flammis exuri, ne illud à Christianis in honore habeatur. Respondit Pancratius: Noli frustra errare Domine Imperator, vt dum me vides puerum annorum 14. credas mihi minùs aut sensus, aut scientiæ suppetere. Dominus enim noster IESVS C. eam nobis mentem & intelligentiam contulit, vt nullos prorsus aut Principum aut Iudicum terrores timeamus. Porrò Dij tui, quos me hortaris colere, plani & impostores fuere, qui nec suis pepercere parentibus, & fratrum suorum se stupris contaminarunt: ita vt ego non satis mirari possim, quomodo nō fœdum apud te sit illos colere, quorum si similes esse scires famulos tuos, iure in eos animaduerteres. Diocletianus his auditis, iussit eū duci in viā Aureliam, & illic capite plecti; *Surius 12. Maij. Baron to. 2 Procop. de Bello Got. l. 1. Gregor. Magnus l. 1. epist. 86. & l. 8. epist. 63 Gregor. Tur. de gloria Marty. c. 83.*

turpe enim ipsi videbatur, vt à puero victus, ignominia notaretur. Octauilla autem eius corpus noctu sublatum cum aromatibus & dignissimis lineamentis condidit in sepulcro nouo. 4. Idus Maias; anno (secundum Baroninm) post Christum natum 303.

§. 4. *S. Iustus 9. annorum puer.*

Ex V. Beda tom. 3. 18. Oct. Surius

Diocletiani temporibus erat Antisiodori Mathæus quidam vir summæ integritatis, qui duos habebat filios Iustinianum, & Iustum, quorum ille ætate, hic morum sanctitate anteibat. Antequam verò Iustus in lucem ederetur, Iustinianus ab impijs in seruitutem abductus est: quod vbi beatus puer deinde didicit, eiusque herum Lupum Ambiani degere, id vnum à patre contẽdit, vt ad eum redimendum iter susciperet. patre tergiuersante, iterum vrget, obtestatur, viæ difficultates non esse tantas, Christum, cuius ope niti soleat, affuturum. Ergo hac pueri oratione persuasus pater, accingit se ad iter: pergentes itaque, vt Haram fluuium attigerunt, non inuenere nauim, qua eum transmitterent: molestè id ferentem patrem puer solatur, indicans diuina se reuelatione didicisse, mox qui eos transuehat, affuturũ: & dicto citius adest nauta, qui recusato naulo id præstitit. Ambianũ ingressi, domum Lupi tandẽ inueniũt, supplices offerunt preces; priorq; Iustus itaeum cõpellat: Venimus, Lupe, ad humanitatẽ tuam, vt accepto precio captiuum nobis fratrem restituas. Cuiusmodi est (inquit ille) frater tuus? Ego pueros meos producam palam, in quibus si fratrem videritis, per me licet redimite. Duodecim igitur pueris adductis, Iustinianus, qui quærebatur, inter eos non erat. Itaque Iustus oculos circumferens videt quendam extra illos adstantem puerum, accensam facem manu tenentem, & erat

& erat ille ipse. sed B. puer plenus Spiritu sancto nemine docente, in ipsum (licet nunquam fuisset ei visus) inuolans, stupentibus cunctis, brachijs arctissimis est amplexatus.

Aderant tum forte Rictiouari Præfecti retiarij, qui vt eos Christianos esse sensere, properè ad dominum suum id referunt, qui missis illico satellitibus, custodiæ eos tradi præcipit, aut reluctantes trucidari. Sed Lupus, qui eos hospitio exceperat, monuit, vt saluti suæ fugâ consulerent, Iustinianum sine lytro secum abducerent. Discedunt læti; non tamen diu licuit esse securis. siquidem eos quatuor equites insequuntur, & periculi oblitos facilè cõsequuntur, præsertim cùm aliquo vsq; progressi hęrere paululũ decreuissent: Iustinianus enim cõsistens, ait fratri: Locũ hunc opportunum cernis, & hauriendæ aquę, & sumendo cibo; si lubet hic paulisper nos abijciamus in herbam, vt inde refocillati ad iter simus expeditiores. Iustus autẽ futurorum præscius: At, inquit, festinatione opus est: appropinquant enim missi speculatores: ocyus igitur cibum sumite, ego verò insidias detegam, & si quem ad nos venire contingat, eum sermone detinebo, vt in hanc interim specum vos recipiatis. Adsunt mox carnifices mãdata exequuturi: quibus conspectis reliqui in latentem speluncam se abdunt: B. verò Iustus vltro se illis offert intrepidus. Sciscitantur quis ipse sit, quę eius professio, quos habeat socios? Ego, inquit, Iustus vocor; Christianum me esse profiteor: socios verò meos vobis prodere non possum, quia vos Christianorum persecutores esse noui. Illis autem strictis mucronibus mortem, nî proderet, minitantibus, respondit: Equidem me felicem iudicabo, si pro Christi nomine mortem subiero; pro Christo meo mori, votum est mihi.

Ira

Ira perciti carnifices, in eius necem conſpirant, vnuſque eorum ceruicem illi præſcidit: ſed ecce rem ſtupendam, truncum corpus manibus apprehendens caput abſciſſum, corā lictoribus conſtitit immobile; quo illi miraculo territi, fugam capeſſunt. Pater eius & frater è ſpecu egreſſi, viſo tam ſtupendo ſpectaculo variè animis affecti fuere; hinc natura vrgente vt plorent, illinc hortante, martyrij gloria vt exultent. Sed non hic miraculorum finis. Dum enim de ſepultura eſſent ſolliciti, & ea de re diſſentirent, ecce caput Martyris, *Abite*, inquit, *ad locum Luperam, atque ibi meum humate corpuſculum. Porrò matri hoc deferte caput, vt amoris erga ſe mei pignus habeat. quod ſi mei tenetur deſiderio, ſtudeat me ſequi in paradiſo iam degentem, & exultantem.* Dicta ergo exequuntur, corpus reuerenter ſepeliunt, caput ad matrem deferunt; quæ cùm illud profuſis pre gaudio lacrymis exciperet, & Chriſti Numen collaudaret, ecce lux ingens in medijs noctis tenebris cælitus ſupra domicilium effuſa eſt, populo, qui in vrbe erat, vniuerſo admirante & Chriſti gloriam in martyre hymnis & canticis celebrante. Cùm verò Epiſcopus vrbis ſacrum illud Martyris caput honorificè conderet, cæca quædam ſuperueniens puella mox lumen recepit.

§. 5. *SS. Antoninus & Ariſteus.*

Pet. de Natal. li. 8. c. 33 & Martyrol. Rom. 3. Septemb.

ANtoninus puer, & Ariſteus martyres apud vrbem Campaniæ Capuam paſſi ſunt. Qui Antoninus cùm eſſet annorum decem, Ariſteum ad fidem conuertit: cum quo poſtmodum tentus & varijs ſupplicijs cruciatus, tandem ambo gladio martyrij palmam conſecuti ſunt tertio Non. Septemb.

§. 6. *Cum*

§. 6. *Cum S. Babyla Episcopo tres pueri Vrbanus, Prilidianus, & Epolonius.*

Babylas Episcopus Antiochenus & martyr cum tribus paruulis Vrbano, Prilidiano & Epolonio sub Numeriano Imperatore passus est. Qui dum esset Antiochiæ, & Christianorum Ecclesiam ingredi vellet, Babylas ingressum prohibuit, manus pectori Imperatoris apponẽs. Propter quod tentus ab Imperatore, & in carcere afflictus est. Deinde Numeriano exhibit⁹, cũ de alijs Christianis interrogaretur, reuelauit tres habere spirituales filios à se in fide doctos, scilicet Vrbanum, Prilidianum, & Epolonium, quorum primus erat annorum 12. secundus 9. tertius 7. quos omnes mox Imperator cum matre Theodula comprehendi iussit: qui dum omnes Christum confiterentur, primò quidem Theodulam alapis cęsam tormentis filiorum adhibendis assistere fecit, vt grauiùs ipsa mente, quàm illi corpore, torqueretur: & pueros in cathomo leuari mandauit: ac priori, plagas duodecim inferri, secundo 9. tertio autem 7. iuxta numerum annorum suorum; quos mater cum Episcopo viriliter confortabant. Deinde Babylam vna cum infantibus suspensos, & grauiter tortos, dum omnia constantissimè tolerassent, & Christum vnanimiter cõfiterentur, gladio animaduerti pręcepit; quorum corpora S. Theodula sepeliuit 9. Cal. Feb.

Pet. de Natalibus l. 3. c. 18. Baro. tom. 2. an: 253. Chrys. ser. in Inuẽtin. Metaph. 4. Septẽb. Suidas in voce Babylas.

§. 7. *S. Domna virgo quatuordecennis.*

Domna virgo Palatina, in regia Maximiani Imp. educta, & sacrorum impiorum antistita ab ipso Imperatore designata, pertæsa prophanas impietatis cęrimonias, inaudijt de casta Christi disciplina, quam mox ardenter efflagitauit. Adfuit desiderio eius Senatore nata virgo, sacris Christianis probè imbuta, quæ illam vnà cum Eunucho

Surius to. 6 ex quo Raderus 2. p. Viridarij c. 3.

nucho Inde, ad S. Cyrillum, non illum, qui postea sub Theodosio iuniore vixit, & scripsit, sed Nicomediæ Pontificem, qui ambos inter candidatos Christianę religionis relatos, Diacono admodum religioso instituẽdos commisit, ac probè iam elementa mysteriorum edoctos, cælesti fonte tinxit, & Christo initiauit. Erat tum Domna quatuordecennis tantùm, sed animo pręmatura, & rerum humanarum contemptrix insignis; eoque profusa in egentes, adeo vt omnes opes, & mundum muliebrem, & magnam etiam partem quotidiani victus in pauperes per occultos ministros tribueret; quod vbi Quæstor & Oeconomus regiæ cognouit, flagris in vtrumque animaduerti imperauit, & cùm Christianos esse didicisset, in caueā compactos, inedia (si per ipsum stetisset) enecasset, nisi Cælitum ministerio, qui pro Christo certantes nunquam destituunt, fuissent alimentis recreati. aulæ magister, cùm extinctos propè crederet fame, & Christiana sacra deserturos putaret, reuisit ambos. lætosque miratus, cùm se nequicquam vi profecturum in abducendis à pia mente animaduerteret, ad blanditias versus, cœpit illis rursus lautas mensas apponere, pecunias pręberе, & omnia vitæ commoda pręstare. Hic verò magis solicitatur Christi tyruncula, ne per luxum & rerum affluentiam animus iacturam innocentiæ faceret, in ipsa maxime copia cœpit laborare inopia, cùm ipsa sibi mensę abstinentiā arctiorem indiceret, & epulas ad inopes transmitteret. Tandem etiam verita, ne in aula pudoris adiret periculum, aut per vim etiam deuirginaretur, magno consilio ad exemplum Dauidis, amentiam simulauit, cœpitque inconditos edere clamores, iactare brachia, deprauare os, intorquere lumina, toruum tueri, nihil pro sano loqui, indecorè gestire corpore, molesta esse custodibus; qui re ad palatij Præ-

Sic Amma Virgo in histor Patrũ. Pallа. c. 42 Simõ Salus apud Euag. l. 4. c. 33.

tij Pręſidem delatâ, cupiebant illam emitti cuſtodiâ, & ad Chriſtianos, à quibus curaretur, tranſmitti.

Ioan. Opa-n-u apud Climac. gradu 4.

Aberat Maximianus Imperator; Regię Præfectus in rem pręſentem venit, quo coram illa multò vehementiùs furentis perſonam agere, ſpumare etiam, & eos præ ſe ferre geſtus, vt a malo quoque genio agitari videretur. Cuſtodum ergo ſecutus conſilium, accerſit Anthimum antiſtitem Nicomedię, Cyrillo ſubrogatum, eique virginem abducendam, cum eius cuſtode eunucho, & in cænobium detrudendam committit. adfuit extemplo Anthimus, virginemque coram contemplatus, illico ſenſit rem eſſe virtutis cauſa ſimulatam. Et virgo Pręſulem intuita, ad modeſtum corporis habitum ſe reuocauit, nec vllum prioris inſanię indicium dedit: quo attoniti ſpectaculo, rem dignitati Præſulis adſcripſerunt, rogaruntque vti Domnam cum eunucho Inde ſecum in ſacrum domicilium abduceret: ſumptus adiecit ad victũ neceſſarios, quibus repudiatis Anthimus Domnam & Indem in tutelam accepit, ſecumque ſibi, quaſi in campum emiſſos, plurimùm gratulantes, quòd hæc tam ſalutaris ſtropha tam bene vertiſſet, abduxit. Maximianus vbi cauſam cognouit, Domnam velut furore correptam recte emiſſam iudicauit, ſed Indem effugiſſe mirum in modum doluit. Vtrumque ergo inquiri præcipit, & Indem comprehenſum varijſque ſuppliciorum generibus in quæſtione excruciatum ſuſpensâ de ceruicibus ſaxi mole, põto mergi imperat: Domna ſumpto virili habitu, latuit in ſpelæo, quoad intellexit Indem cum alijs lauream indeptum, ad quam & ipſa adſpiranit; & progreſſa, ſacra martyrum pignora à piſcatoribus miro modo extracta inuenit, Indæ quoque cognouit, & quo potuit honore tumuli honore affecit, nec ab eo receſſit,

recessit, quoad iussu Maximiani ad eũdem & ipsa locum obtruncata & cremata de tyranno cæle-stem egit triumphum.

§. 8. *Petrus adolescentulus.*

Surius 15. Maij. TEmporibus iniquis, quãdo seruis Christi cer-tamina excitabàtur,& totus orbis beatissimo martyrum sanguine florebat, apud Lampsacum comprehensus fuit Petrus quidam egregiè for-tis in fide, animoque, & corpore speciosus:cum-que oblatus esset Proconsuli, ait ad eum Procon-sul:Qui vocaris? ille respondit: Petrus.Proconsul dixit: Christianus es? Petrus respondit: Planè Christianus ego sum?Proconsul ait: Non tibi ve-nit in mentem, quæ decreta fecerunt inuictissimi Principes? Sacrifica igitur Magnę Deæ Veneri. Respondit Petrus:Demiror equidem optime Pro-consul, te mihi id persuadere velle, vt turpissimæ & impudicæ mulieri sacrificem, cuius res gestæ non possunt sine verecuncia commemorari; cu-ius historia quæ apud vos est, eius arguit impudi-citiam: quam vos cùm publicum fuisse scortum non negetis, qua obsecro vel fronte, vel men-te eam me adorare,eique sacrificium facere com-pellitis, & non potiùs suasores & authores mihi estis, vt Deo viuo & vero Christo omnium sæcu-lorum Regi sacrificia offeram sanctarum pre-cum & laudis.

Audiens hæc Proconsul,iussit Adolescentulum in rotis extendi, & lignis in orbem circumposi-tis, ferreis vinculis totum corpus eius adstringi. Inde autem consequuta est corporis contritio & conquassatio, ossiumque dira comminutio.

Sed quanto maioribus Dei seruus afficiebatur tormentis, tanto robustior existebat. Itaque con-stanti & intrepido vultu, ridens Proconsulis stul-titiam, & suspiciens ad cælum, ita ait: *Gratias tibi*

ago

ago Domine IESV Christe, quòd hanc mihi dare dignatus es tolerantiam, vt possim superare iniquissimum hunc Tyrannum. vt vidit autem Proconsul eius inuictam animi constantiam, nec eam tam immanibus cedere aut succumbere cruciamentis, iussit eum gladio percuti.

§. 9. *Pueri* 84. *cum S. Babyla præceptore suo.*

POst varia tormenta detruso in carcerem S. Babyla, 84. adolescentes vtriusque sexus in medium adducuntur: Maximianus Imp. eis blanditur: sed nihil respondentes, conglobatim se mouebant, vidensque Imperator nihil responsi expectandum, decem maiores ætate seiungit, sicque alloquitur: Vos tanquam prudentiores, mecum sentite, & Dijs sacrificate, vnà mecum in palatio agetis multis oppleti donis. Tunc Ammonius & Donatus dixerunt Imperatori: Nos fideles dijs surdis & mutis sacrificare non sustinemus. Tum iussit eos cædi. Dum verò cæderentur, dicebant: *Nos Christiani sumus, non sacrificamus.* Tunc Imperator ad alios conuersus, dicit: Sacrificate, ne grauiora subeatis. ipsi autem acclamarunt: Nos etiam Christiani sumus, nec sacrificamus, sed Deos tuos, & te execramur. Tum præcipit ipsos acriter cædi, in carcerem conijci, fame torqueri. Die sequenti iubet preceptorem eorum suspendi, & carnes eius neruis crudis excoriari, & sigillatim adolescentes interrogabat, num Christum & præceptorem suum abnegarent: ipsis verò minimè abnegantibus, precepit omnes vnà cum preceptore gladio finire. Sanctus verò Babylas cum suis 84. discipulis ad locum oppositum progrediens, cantabat: *Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Deus.* Cùm autem in locum consummationis peruenissent, primò quidem iuxta Imperatoris mandatum, S. Babylas capite plectitur,

In Menol. 4. Septemb.

plectitur, postea adolescentes. Pij verò aliquot fideles, noctu venientes, & reliquias in nauim conijcientes, Byzantium deferunt; & illis in parte Septentrionali extra muros in tribus cistis collocatis, vbi est monasterium (Hora nominatum) laudes, & gratiarum actionem Deo reddiderunt.

§. 10. *Theoctiste, Theodota, & Eudoxia.*

Ex Metap. Surius 31. Januar. in actis SS. Cyri & Ioannis. Baron. to 3.

Anno nono persecutionis à Diocletiano excitatę, qui fuit Christi 310. Maximino in oriẽte Imperánte, cùm grauiùs persecutio detonaret, tres virgines vnà cum matre comprehensæ, & in ciuitatem Canopum (cui Syrianus cum potestate summa pręerat) ductæ sunt, vt vel impuris dijs ibidem sacrificia offerrent, vel in acerbissimis supplicijs vitam finirent. Hæc cùm ad aures Cyri & Ioannis Abbatum delata fuissent: illi plurimùm veriti, ne tenerrimæ virgines suppliciorum formidine deuictę Christi confessionem desererent, eò properarunt. Theoctiste enim, quæ erat ætate maxima, decimumquintum annum nondum attigerat: Theodota autem annum decimumquartum agebat, Eudoxia vndecimum. His ergo de caußis Cyrus cum Ioanne timore affectus eò descendit: non solùm enim sexus ille, & ętas tam tenera, suppliciorum metu, sed blanditijs etiam, quibus valde obnoxia est, nullo negotio corrũpi potuisset. Accedebat his omnibus timor alius, qui eos de matris Athanasiæ erga filias compassione solicitabat vehementiùs. Qui quidem Sancti vt ciuitatem ingressi sunt, & diuinis sermonibus virgines in constantia fidei confirmarunt, protinus ad Syrianũ nomina earum delata sunt, quòd scilicet duo quidem ignoti, quorum alter monastico, alter militari indutus habitu, comprehensas modò virgines, in Cæsaris iniuriam ad Deorum con-

rum con-

rum contemptum multis sermonibus adhortati fuissent,& ad quæuis supplicia pro Christi nomine perferenda acriter inflammassent. Syrianus eos sibi sisti iubet; & post multas blanditias, minasque, visâ eorum constantiâ vehementer commotus, primò quidem virgines adduci iussit, vt crudelissimo suppliciorum spectaculo eis terrorem incuteret. Nec mora: cæsi primùm flagellis athletæ, clauis contriti, lampadibus vstulati, vsta membra aceto & sale confricata, postremò bulliente pice pedes inuncti. horrendum quidem fuit hoc Virginibus spectaculum,& durum Martyribus supplicium;sed tam Virgines quàm Martyres pari constantia atque virtute in Christi confessione perseuerarunt. Vnde ab impotenti mentis suę furore victus ipse Pręses, Virgines vnà cum matre capitis sententia damnauit:quam illæ porrectis alacriter ceruicibus glorioso certamine exceperunt. Cyrus & Ioannes post varia tormenta similiter sunt obtruncati.

§. II. *Pueri tres, fratres, cum suo Pædagogo.*

Cantius, Cantianus & Cantianilla germani martyres apud Aquileiã passi sunt sub Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, agentibus Dulcitio pręside,& Sisinnio Comite de genere Carini Imp.nobilissimi vrbis Romę ciues persecutionem declinare cupientes,facultatibus eorum pauperibus erogatis ex vrbe discesserunt,& Aquileiam deuenerunt: vbi cuidam Proto sacræ scripturę Doctori illustrissimo adhæserunt; cùm autem Christum per vrbem Aquileiam publicè nunciarent, & comes,ac Præses illos, vtpote ex Imperiali progenie,detinere formidarent,Imperatoribus de prędictorum Christianorum aduentu per literas suggesserunt, quibus Imperatores respondentes, hanc dederunt authoritatem,vt si

Petrus de Natalib. l. 5. c. 70. Surius 31. Maij.

ſacrificare nollent, capite punirentur. Quod cùm beati Martyres audiuiſſent, vnà cum Proto Pædagogo ſuo aſcenſo vehiculo, vrbem Aquileiam egreſſi fugiebant: non quia mortem recuſarent, ſed vt alijs fidelibus prodeſſe poſſent. Quos Comes Siſinnius, & præſes Dulcitius cum ſpiculatoribus inſequentes, cùm alterum ex ſubiunctis animalibus eorum corruiſſet, eos tandem in loco, qui dicitur ad aquas Gradatas, comprehenderunt; & hortabantur eos, vt Ioui thura offerrent. Qui cùm dæmonijs ſe nunquam ſacrificaturos reſponderent, iubentibus Comite ac Præſide, in eodem loco capitali ſententia plexi ſunt. de quorum corporibus pro ſanguine lac emanauit. quę à Zenone Presbytero collecta, cum aromatib. apud ipſam ciuitatem tumulata ſunt prid. Cal. Iun.

§. 12. *S. Potitus.*

Martyrol. Rom. 13. Ianuarij.

IN Sardinia S. Potitus martyr ſub Antonio Imp. Gelaſio Præſide multa paſſus, demum gladio martyrium conſecutus eſt. Eum verò tredecim tantum annorum fuiſſe aſſerit A. de Salazar in indiculo rerum Hiſpaniæ.

§. 13. *Pueri duo cum S. Blaſio.*

Ex legenda aurea.

SEptem mulieres S. Blaſium ad carceres redeuntem ſequebātur: & quòd guttas ſanguinis eius colligerent, ſtatim captæ ſunt. Vna verò illarum duos pueros habebat, qui matri dixerunt: *Non nos, mater dulciſſima, poſt te relinquas, ſed ſicut nos repleſti dulcidine lactis, ſic nos reple dulcedine regni cæleſtis.* truncatis mulieribus, hi quoque pueri duo cum S. Blaſio decollati ſunt.

§. 14. *Iuſtus & Paſtor, fratres.*

Surius 6. Aug.

QVo tempore Datianus in Chriſtianos furebat, contigit eum ad Compluntēſem tranſeundi gratia deuenire ciuitatem: Cuius incolæ cùm tremendum eius aduentum intellexiſſent,

duo infantes, Iustus & Pastor, relictis in schola tabulis, quibus tenera eorum ętas imbuebatur, tanquam longâ exercitatione probati discipuli Christi, ad spectaculum proprij martyrij alacres cucurrerunt. Cumque solicitè cernerent, & intento perciperent corde, quid dementis Datiani inquireret furor, nunciatum est Tyranno, duos istos Christianis parentibus ortos, ab alijs ad Imperatoris dicta factaque inquirenda missos esse. Quo audito Tyrannus ira commotus vtrumque comprehendi, & flagris conscindi acerrime iubet. antequam verò ad supplicium raperentur, cęlitus edocti, sese mutuò lęti confortabant; adhortabanturque, vt spreto hoc sæculo ad Angelorum consortia alacres sese prępararent. Erat inter eos mira verborum concertatio, & vultûs alacritas, quibus se inuicem ad martyrij palmam prouocabant. Timebat Iustus ne Pastor ętate minor suppliciorum atrocitati succumberet: rursus Pastor, ne Iustus promissis vel minis Tyrani vinceretur, vehementer formidabat. Interea verò dum alter alteri mutuis cohortationibus animum adderet, carnifices visa puerorum constãtia & alacritate, cuncta Datiano nunciarunt: qui tam admiranda puerorum virtute stupefactus, veritus ne ex eorum certamine aliquam ignominię notam maiestati suę inureret, quasi per cõtemptum, quòd suo conspectu indigni essent, eos capitis damnauit. Cumque acceptâ sententiâ procul ab vrbe glorioso fine certamẽ peregissent, & Datianus celeri profectione ad alia loca tenderet, illico Christiani incolę sacra eorum corpora honorifica sepultura exceperunt, & constructa basilica singulis martyribus altare dedicarunt: vbi eorum precibus meritisque pręclara Dei beneficia cunctis mortalibus, pura fide & integra deuotione eorum suffragia implorantibus, exhibentur.

§. 15. *Puer quidam Iaponius.*

Ex literis Iaponicis.

IN Tamanda(qui locus eſt in Inſula Ichizuchi, ditionis Firandenſis) ſub dominatu Matzuræ Foim atrocis aduerſarij, atque inſecutoris Chriſtianæ religionis, martyrij lauream conſecuti ſunt tres ſanctæ fidei pugiles, in ea inſula claro loco nati, Gaſpar ſcilicet & Vrſula eius vxor, & Ioannes amborum filius. Quò autem mors eſſet honeſtior, ipſemet regionis illius Gubernator ſua manu caput Gaſpari vno ictu amputauit. eodem die eductis è cuſtodia duobus reliquis, & ad arenam progredientibus, cùm ſe Chriſtianos profiteri non ceſſarent, derepente quidam è militibus ex improuiſo Vrſulam gladio adortus, grauem ei plagam inflixit. Quæ cùm eo ictu non penitus interijſſet, poſitis genibus ad alterã percuſſionem ſe adornauit, ac denique nuncupatis ſanctiſſimis vocibus IESVS, MARIA, inuictum Deo ſpiritum ſecundo ictu exhalauit. Ioannes verò, qui aliquanto ſpatio anteibat, audita diſtricti gladij vibratione, qua mater feriebatur, cùm ſe cõuertiſſet, quidq́ue ageretur, animaduertiſſet, ſtatim poplites flexit, eadem ſalutis noſtræ vocabula, IESVS, MARIA, inclamauit, prima percuſſione vitam hanc mortalem perdidit, immortalem inuenit. Sacra eorum corpora pro ędium ſuarum foribus, tantiſper, dum maiori ocio in digniorem atque aptiorem locum tranſferri poſſent, eodem die ſepulta ſunt.

§.16. *Inſigne par puſionum Iapon. Thomas & Petrus.*

Ex literis Iaponicis anni 1609

ANno 1606. 3. Idus Ianuarij, coronas ſuas Iarzuxiri in vrbe Iaponiæ felici certamine ſunt adepti Chriſti martyres quinque, quorũ nomina ſunt Michaël Ficoyemonus, Ioan. Ingorus, Thomas Michaëlis filius, puer annorum duodecim, & Petrus Ioannis, filius nõ plus ſex annos natus. Ergo vt

go, vt ad rem veniamus (quando de pueris hic agimus)educebantur Michael & Ioannes ad desiderati martyrij locum ex longo carcere (quadriennium enim ibi in expectatione martyrij exegerant) cùm iussit Prætor vtriusque liberos conquiri, Thomam sc. & Petrum. Erat Thomas fidei primis rudimentis tam à Patre licet tum incluso, quàm à matre, & ab auo Ioachimo egregiè imbutus, atque ad arenam martyrij ingrediendam probè instructus: cui semel (incertum qua de causa) lacrymanti cùm dictum esset: Si lacrymaris Thoma, haud sane idoneus es futurus martyrio; statim lacrymas continuit. Hic postquam matri, auo, & nonnullis ęqualibus suis hilari vultu vale-dixisset, tum vestitu, quem quidem haberet, splēdidissimo indutus, perinde ac si ad festam celebritatem se conferret, lætus atque alacer ad supplicij locum properauit: manu quidem ab vno è ministris ducebatur, quò celeriùs perueniret; sed ipse hilaritate præcurrebat: nam ingenti tenebatur desiderio tempestiuè illuc pertingendi, vt in patris societate atque conspectu, si fieri posset, moreretur. occurrit autem patri extra ciuitatis portam, vbi ille Ioannem præstolabatur.

Neque mediocrem lętitiam bonus parens prę se tulit, cùm duci filium animaduertit; sed longè maiorem cùm eum suo hortatu ad eandem sortem optimè sensit animatum. Dixit enim patri filius: Velim, mi pater, de me vt tranquillo sis animo: alacriter enim hodie pro Christiana fide ad mortem vadam. Laudauit parens generosum animum. Interim Petrus Ioannis filiolus nondum comparebat, licet Bongius conformiter Gubernatoris Imperio, in celerem suppliciorum executionem totus intenderet. Necis ergo initium à Michaële captum est, cum genibus nixo, & preces fundenti caput vno ictu ablatum est. Ventum

inde ad Thomam eius filium, quem, ne turbaretur, deficeretve animo, è patris conspectu abducere aliò voluerunt; sed is nequaquam consensit, dixitque tortoribus: *Hic, hic apud patrem meum moriar.* neque verò vnam puer fudit lacrymam, neque minimum doloris cuiuspiam aut mæstitiæ signum edidit: sed genua flexit, erectoque, & plusquam virili animo, atque ridente etiam vultu, manus, quoad potuit (nam brachiorum alterum male habebat, impeditumque erat) sustulit, collum extendit, voces sanctissimas IESVS, MARIA protulit, ictum excepit, ad cælum euolauit. Idem & Ioanni vitæ terminus fuit.

Deerat hic eius filiolus, nec alia moræ causa erat, quàm quòd apud matrem, vbi quærebatur, nō esset, sed apud auum, cuius ædes à supplicij loco erant aliquanto disiunctiores. Affirmāt verò qui puellum hunc norūt, tametsi is sextum ętatis annum necdum attigisset, tamen rationis vsu supra ætatem valuisse, & iam maturum iudicij optimæque indolis extitisse. Hunc parens desiderabat victimam Deo offerre, cumque sibi persuasisset non parciturum ei Canzuyendonum, neque vllum quamuis teneræ ętatis respectum habiturum, frequenter eum ad carcerem accersebat, & fidei ac verę pietatis armis ad bonum certamen decertandum instruebat. Ferunt hunc infantulum pauculis diebus antequam de patre suo latam capitalem sententiam intellexisset, ita dixisse: Bonum fuerit, si patrem meum citò enecent: nimis enim multa in carcere patitur; nec habet qui cibaria deferat: tunc me ipsi quoque eodem supplicio afficient, quia sum Christianus: ego autem lætitia exultabo, quia martyr sum futurus. Cùm verò satellites ad aui domum iam adessent, tum sanctus puer fortè dormiebat: cui expergefacto cùm aduentûs causa esset exposita, derepente

tanta illi, tamque extraordinaria, & supra ætatem mentis maturitas, constantia, serenitasque diuinitus est affusa, vt Deum Optim. Max. suam in eo omnipotentiam voluisse palam facere, cum ad maiorem sui gloriam, tum ad Christianorũ confirmationem & Gentilium confusionem, nemini sanè dubium esse posset.

Ductus est inde ad cruentum campum, quò & infinitus populus conuolârat: ibi Michaelem & Thomam, ibi ipsum suum patrem, cunctos capite truncatos particulatimque discissos conspexit: nec quicquam spectaculo tam sanguinolento & terra adhuc tepente patrio sanguine commotus, nihilque districtum gladium perhorrescẽs stetit infans virili pectore, & nullo egens hortatore, vltro caput erexit, ceruicem præbuit, manus iunxit, (liberas enim habebat) & quasi innocens agnellus sacrificio sese obtulit, plagamque lethalem immobilis atque intrepidus expectauit. Quid multa? Qui non cecidit infanti animus ad mortem excipiendam, cecidit tortori ad inferendam: ita enim cor eius, hac visa indole, est emollitum, vt recondito in vaginam ferro, adstanti dixerit coronæ: *Haud mihi tanta vis est animi, vt hunc tam admirabilem puerum feriam.* Accessit secundus; nihilo plus illi roboris fuit: stetit puer & miles retrocessit. suffectus est tertius, non est motus pusio, & gladiator feriendi animum perdidit. Et hi tamen de militari genere erant, nihilominus nemo ex ijs vnus tam duro atque infracto pectore inuentus est, vt tam animoso pugrulo vitam eripere manu sua sustineret, donec tandem certum mãcipium è regno Corai (cui super puero tam diu ad ictum suspenso mota erant viscera) vt finem miserando faceret spectaculo, rem in se suscepit, vixque terna percussione perfecit: nam à ceruice aberrans primam plagam scapulis

impegit, & puerum accepto vulnere obſtupeſcentem humi afflixit, donec ictu iterum atque iterum repetito, tandem è rebus humanis inſontem animam expulit.

Bongius ex Præfecti vrbis mandato, Thomam & Michaëlem ſingulos ſingulis ictibus diuidi medios iuſſit: Ioannes binis percuſſionib. in tres partes diſſectus eſt: Petrus infantulus poſt mortem ſuam, intactus fuit. Interuenit huic ſpectaculo magna vis Chriſtianorum, inter quos aliqui propter illius tyrannidis rabiem ignoti erant, nonnulli per imbellem ignauiam defecerant, ſed nouo martyrum ſanguine exſuſcitati omnes vnà cum alijs fidelibus Dei ſeruis ad Bongium adierunt, & ſancta corpora ad ſepulturam ſuo in cõmuni cęmiterio expoſtularunt: difficilem ſe initio homo Ethnicus exhibuit, ſed victus tandem precibus, piæ poſtulationi annuit: ſed eorum capita tanquam eſſent noxiorum, quaternis haſtis defixa in publico ad portam ciuitatis Orientalem adhibitis cuſtodijs exponi iuſſit, mortiſque ſententiam, ſimul & cauſam in tabella perſcriptam adiunxit in hęc verba: *Quia hi fuerunt Chriſtiani, & ſe vt tales publicè patefecerunt, cùm Chriſtianos, qui ſemel defecerant, contra expreſſam Canzuyendoni prohibitionem ad fidem reduxerunt, ad exemplum ceterorum, pœna capitali condemnati ſunt.* Quo autem ardore Chriſtiani eorum reliquias collegerunt, quantum & ipſi Ethnici fidem noſtram viſa puerorum conſtantia verbis efferebant, qua denique induſtria Chriſtiani Sanctorum corpora pio inde ſacrilegio ſubduxerint, vide ibid.

§. 17. *Iuſti & Iacobi puerorum Iaponiorum Martyria.*


Ex literis Iaponicis Societ. Ieſu anno 1613.

ARimandonus Chriſtianorum feruorem audiens, vt eum reprimeret, ſtatuit aliquos ad aliorum

aliorum terrorem in exilium mittere, aliquos etiam neci dare: mandat itaque Gubernatoribus suis, vt Thomam virum nobilitate ac probitate clarum, vnà cum minore natu fratre Matthia, matre eius Martha, & filiolis item eius duobus Iusto & Iacobo, capite plectant. Quidam familiaris eius, ipsa quę necem eius præcessit nocte, eum adit, rogat vt saltem filios suos in tuto collocatos periculo vitæ eripiat, si monentem audire negligat, de eorum vita prorsus actum existimet. Quid verò me, respondit Christi martyr, aut liberos meos in tuto collocem, qui nihil aliud iam pridem in votis habeam, quàm me, vnà cum liberis, gladio pro Christi fide offerre? Ille viro constantiam admirans, discessit. Thomas à Gubernatore accitus, velut negotij alicuius tractandi causa, ab eo ad prandium inuitatur: & dũ mensa instruitur, Gubernator ensem, quem ad manum habebat, Thomæ (vt erat vagina inclusus) inspiciendum tradens; Quali tandem, inquit, temperatura tibi videtur hic ensis? oblatum ensem sensim è vagina eductum defixo obtutu aliquantulum contemplatus, O egregia chalybis temperatura gladius, exclamat! tum Gubernator: Quid verò acies? nunquid acuta? sanè acutissima, respondet Thomas, cui vel strenuus quisque qui se circumueniri patiatur, succumbet. Itaque, Thomas nudum ensem, quem iam diu tenebat, versa in se ipsum cuspide, Gubernatori benignè restituit; ille ense accepto, mortem operienti, lethale vulnus infligens obtruncatum ante se reliquit. Matthias verò, frater Thomæ natu minor, ab altero Gubernatore simulata fide eadẽ ratione interficitur. Neque hîc Gubernatorum crudelitas stetit, nam Martham de filiorum suorum nece faciunt certiorem, eique cum nepotibus Iacobo & Iusto moriendum quàm primùm

esse renunciant. Ingenti lætitię significatione nuncium hoc quasi de cęlo allatum excepit Martha, Deoque gratias agens, Iacobum & Iustum, (ille nonum, iste vndecimum agebat annum) cũ Iusta ipsorum matre aduocans, solito lætior, optatum nuncium quod acceperant, exponit. Vna hîc mœret, vna hîc luget Iusta, non mariti, non filiorum, non socrus amissionem, sed suam remansionem. Ergo extremò charissima pignora intuenti, iuges lacrymarum riui denso cum gemitu profluunt, & singultibus interclusa voce vale vtrimque eis dicenti, filioli vicissim; Nos quidem, inquiunt, mater charissima, te mox secuturam eò præcedimus, quò à Deo vocamur, & parenti amantissimo adiuncti tuum pręstolabimur aduentum. Quo hęc filiorum verba animi sensu receperit pia mater, coniectura est faciliùs assequi, quàm oratione. Interim dolori fræna inijciens, filiolis animos addit, monet imprimis, vt necem intrepido & animo, & ore ferant, ceruices per se ipsi denudent, gladio sponte porrigant; ad extremum, caueant ne se patri degeneres facto, dictoue reddant. Annuunt amantissimę matris monitis, & lætitiam spirante oris, & totius corporis compositione, è cubiculo prodeunt, & nutrici vale-facturi, ab ea suscepti obsequij memores, gratum animum testantia amoris pignora vterque deponunt. Ergo Christi candidata candido prodit amictu, Martha, & velut de hostibus triũphans, quodam vehiculo ad modum lecticæ inuecta, ad locum procedit: senioris auiæ latus vtrimque nepotes cingunt, qui quamuis quòd nõdum aut vitam optare, aut mortem metuere didicerint, palma & coronis ludere videantur, iam tamen spiritualibus armis à Deo instructi, & militari cingulo præcincti, in campum descendunt. triumphi pompa ingenti Christianorum frequẽtia

tia celebratur. Vbi ad ſupplicij locum ventum eſt, pueri primùm in genua prouoluti defixis inuicem obtutibus, intrepide ſe comparant ad coronam. Iacobus quidem verborum matris haud immemor, ceruicem ſibi ipſe denudat, gladio porrigit; vix ſanctiſſima IESV & MARIÆ nomina ter inclamârat, cùm ei caput abſciſſum eſt. Nihil fratris morte perterritus Iuſtus, IESV nomen pie inuocans, æquo animo, læto ore iugulum porrigens, obtruncatus eſt. Amborum & corpora & capita à Chriſtianis ſublata, vt par erat, religioſè ſeruata ſunt. Nepotum necem ſpectauit Martha intrepide, & mox filios ac nepotes ſecuta eſt, 28. Ianuarij 1613. Quos verè martyres eſſe, & fidei cauſa necatos, ambigente nemine, communis Chriſtianorum ſenſus eſt, & vel illud probat, quod eorum corpora venerantur omnes, ac orationum ſuffragia apud Deum ab eis poſcunt.



CAPVT IIII.

QVI A RELIQVIS TORMENTIS ILLÆSI, TANDEM *martyrij palmam capitis truncatione ſunt conſecuti.*



IRABILIS *Deus in Sanctis ſuis*, ſiue eximias eorum dotes, ſiue in tolerando conſtantiam, ſiue ſingula opera conſideremus: ſed illud hîc imprimis admiratione nõ caret; cur Deus, ignis, beſtiarum, plumbi liquati, & exquiſitiſſimorum *Pſalm. 67.*

rum

rum tormentorum vim ſubinde ſuſpenderit, ne in Sanctos exereretur; at verò cùm martyres gladio eſſent feriendi, nunquam aut rarò admodum ſecuris aciem impediuerit? Præter Dei iudicia, quæ ſunt abyſſus multa, videtur hìc Deus ſuperbam Regum potentiam, in qua tantopere confidebāt, voluiſſe retundere, dum nihil in martyres tormentorum, niſi quantum ipſe voluerit, exerceri paſſus eſt. Illud etiam dici poteſt, gladium, præcipuum eſſe, maximeque legitimum iuſtitiæ vltricis inſtrumentum: immo verò voluiſſe Deum oſtendere, Martyres verè eſſe nobiles, cùm olim non vulgares, ſed tantùm Nobiles capite plecterentur. Quid nì etiam dicamus, ad maiorem gloriæ cumulum, eam pœnarum alternationem accidiſſe? quò enim diutius torquebantur, eò maiorem eis coronam præparabat Deus Opt. Max. Aliam huius rei cauſam addo: Cenſuere Gentiles magico carmine aciem gladij ſic retundi, vt nec leui vulnere cutem queat perſtringere; ad quam ſuperſtitionem tollendam ſæpe Deus ignis, ferarum, *&c.* vim coërcuit, non gladij, vt intelligerent miraculo iſta, non magiæ adſcribenda. Hodie quidam impij milites ſe fore inuulnerabiles putant, ſi arma certo ritu incantent, vel ſi ferant interulam lineam horrēdis inſcriptam imaginibus, quam vocant Inferni camiſiam, vel ſi periapta quædam ferant varijs characteribus magicis inſignita, aut orationes inſignitas magnis (vt loquuntur) Dei nominibus: alij inito pacto cum dæmone ſentiendi vim velut è corpore ſuo amandant. Narrauit mihi (inquit Delrio) Bernardus Oliuerius, tum Societatis noſtræ per Belgium Prouincialis, prope Samarobrinam, anno 1599. captam puellulam ſtrigatricem, quæ nec pedum vſtulationem ſæuiſſimam, nec flagra validiſſima ſentiebat, donec ſacerdotis cuiuſdam moni-

Delrio l. 2. q. 21. de Magia.

monitu illi Agni benedicti ceream imaginem in collum iniecere: tum enim vi sacri amuleti, dæmonis præstigiosa ludibria depulsa, & illa vim doloris cœpit persentiscere. Vnde patet hanc indolentiam non nasci ex vlla Physica causa, sed opera dæmonis induci. Solent causarum ignari hoc innocentiæ tribuere: cùm tamen id contingat, vel singulari quodam corporis robore, quod in M. Attilij Reguli, hominis Ethnici, tolerantia cernere licet: vel pharmacis naturalibus, quibus neruorum origines obstruuntur, & sensatio impeditur: vel denique (quod plerumque accidit) pacto dæmoniaco. Verùm vt suos decipit dæmon, sic suos seruat Deus: quod in pueris quoque nostris manifestum esse ex ijs quę subijciam apparebit. *Vide Siliũ Italicum.*

§. 1. *Sancta Reparata.*

Reparata virgo 12. annorum, passa est in ciuitate Cæsareensi, sub Decio Cæsare. Quæ nobili genere ipsius vrbis exorta, cùm ieiunijs & orationibus vacaret, à Decio detenta est, vt Dijs sacrificaret. Quod dum facere contemneret, plumbo liquefacto perfunditur: sed plumbo tepefacto, in nullo læditur. Deinde acetum feruens in os eius distillatur, & dum hoc patienter tolerasset, lampades ardentes ad latera ipsius apponuntur: & post hæc in caminum ignis mittitur, sed à Christo custodita, inde omnino illæsa producitur. Iterum costæ ipsius ac pectora faculis ardentibus inflammantur: & dum in his omnibus victoriam obtinuisset, & Decio consentire noluisset, iussit Virginem in craticulam extendi, & prunis subter stratis diutius torreri. Deinde sic assatam per totam ciuitatem nudam circumduci ad exemplum Christianorum. sed cùm Christum viua voce confiteretur, & Christianos ad toleran- *Pet. de Natalibus l. 9. c. 39.*

tiam

tiam hortaretur, reducta ad Cæſarem vngulis crudeliter laniatur; deinde teſtulis marmoreis ſuperextenditur,&calce viua aqua ſuperinfuſa,ac ſale adhibito eius vulnera confricantur: poſtmodumque ſinapi aceto liquefacto perfunditur: ac deinceps ſpinoſis fuſtibus eradicatis duriſſimè cęditur. Et cùm hæc omnia conſtanti animo ſuperaſſet; extra ciuitatem educta, iuſſu Decij decollatur. caput eius ipſi, vt mandauerat, præſentatur. In cuius decollatione viſa eſt columba candida de ore eius exire, & in cælum ſubitò euolare. eius corpus iuxta murum ciuitatis ſepultum eſt octauo Idus Oct. inde proceſſu temporis tranſlatum quieuit in Florentia.

§. 2. *Pueri 4. cum S. Lucilliano.*

Ex Menæis, & Martyr. Roman. 3. Iunij.

CONſtantinopoli feſtum celebratur Sanctorũ Martyrum Lucilliani, & quatuor puerorum, Claudij, Hypati, Pauli, & Dionyſij, cum quibus Lucillianus ex ſacerdote idolorum Chriſtianus factus, poſt varia tormenta in fornacem iniectus eſt, ſed flammâ imbre extinctâ omnes illæſi euaſerunt: Denique ipſe cruci affixus, pueri autem gladio obtruncati ſub Siluano Prę ſide conſummati ſunt.

§. 3. *Sancta Secunda.*

Ex Adone Archiep. Treuiren.

MAximam & Donatillam à ſatellitibus per compita deduci ad contumeliam, & omnium ludibrijs fatigari cernẽs ex ſuperiori domûs tabulato Secunda, Virgo annorum non amplius 12. ſpiritu Dei illico accenſa ad ſimilem Martyrij gloriam vehementer exarſit. Itaque neque ſuppliciorum atrocitate deterrita, neque generis ſui dignitate, & opum amplitudine ineſcata, neque nuptiarum magnificentia, vel ſponſi blanditijs detenta, neque poſtremò patris & cognatorum lacrymis mota, virili animo deſcendit, ſo-

dit, sociamque se præclari certaminis præbuit: cùm enim beatæ Martyres Maxima & Donatilla procederent, illa festina accurrens, clamauit: *Nolite me dimittere, ô Sociæ Virgines, sed vestris precibus ad eandem gloriam me assumite.* Hæc voce maximâ, cunctis sane stupescentibus exclamans, vnà cum illis Tuburbitanam est ingressa ciuitatem. Altera die, postquam Maxima & Donatilla diros cruciatus superassent, fuit & Secunda virgo eximia formæ pulchritudine ad Anulinum adducta: quam conspicatus proconsul, Et tu, inquit, Christiana es? Cui Secunda, Christiana: Tunc homo ferus nec virginis ętatem, nec corporis pulchritudinem, nec morum elegantiam miseratus, vnà cum Maxima & Donatilla ferro crudeliter vinctam, ad bestias damnauit. Populus frequens ad spectaculum venerat, nec poterat quisquã tenere lacrymas, videndo Virgines & generis & virtutum splendore ornatissimas, suauiter se mutuò amplexari, Christo nunc stantes, nunc flexis in terram genibus vota precesque persoluere, feras auidissimè expectare, & vltimum vale alteram alteri cum osculo pacis dicere. Horrebant ipsi indignissimeque ferebant Gentiles, tantam tamque eximiam & pulchritudinem, & virtutem adeo funesta peste extingui. Sed cùm vrsus tandem ferocissimus in arenam cum ingenti omnium clamore dimissus esset, cùm putarent eum momento Virgines dilaceraturum, is agnina protinus mãsuetudine assumpta, ad earum se pedes demisit, linxitque vestigia, potius quàm momordit. Tunc lętitiæ voces ab omnibus in cælum sublatæ sunt. Anulinus verò cernens se furente bestias mitescere, capitis sententiam in Virgines dictauit, quam magna cum gratiarum actione porrectis ceruicibus exceperunt. 3. Cal. Aug.

§.4.S.

§. 4. *S. Celsus cum S. Nazario.*

Ex Metap. Surius 19. Iunij. Fuit S. Nazarius à S. Lino baptizatus & sub Nerone mart. coronatus Mediolani, & cum eo Celsus.

CVm obiret Galliæ ciuitates Nazarius, accessit ad eum femina quædam illustris, & ex præcipuis Meliæ ciuitatis, adducens quem habebat filium, nomine Celsum iam tres annos natum, & deponit ipsum in eius manibus; Sequetur te hic puer, dicens, in omni via, donec ipse quoque dignus euaserit, qui sistatur ante thronum Domini Christi. & illa quidem discedit. Nazarius autem infantem lubenter accepit, quem propemodum in vlnis circumferebat. Cumque preces dixisset consuetas, eum per baptismum efficit Dei familiarem, quoniam nec alium nouerat verum honorem, nisi cum Deo coniunctionem & familiaritatem. Sic ergo se habens Nazarius, & Galliarum ciuitates sic doctrina complectens, ne illarum quidem Præsidem latuit Dinobaum. Itaque accersitus ad eum venit cum puero Celso; & quo quidem genere esset natus, quibus parentibus, & cuiusnam sit religionis, percontanti Dinobao: Ego, inquit, genere quidem sum Romanus, Christianam autem sequor religionem, & Deum confiteor eum, qui fuit crucifixus. Tunc fertur Dinobaus, ad iram motus, dixisse: Habes dęmonium: quid enim aliud sibi volunt istæ nugæ? non est tibi pater? non est tibi mater? Ille verò: Si dæmonium haberem, inquit, non quos tu colis dæmones insectarer probris & contumelijs. Dinobaus autem furorem non valens continere, cùm puerum quidem Celsum abstraxisset ex illius manibus, intolerandis eum plagis afficit, ingenio puerum, qui erat canus prudentia; deinde eum conijcit in carcerem, in sequentem diem eum reseruans; magna enim crudelitas & inhumanitas ne tantulæ quidem ætatis mouebatur misericordia. Quod quidem in bruta animan-

Celsus puer baptizatur.

Dirè cæditur.

animantia & nouas plantas clementi & benignę non euenerit animæ: ea namque digna, quibus parcatur, censuerit. Atque intolerabiles quidem plagas propter Christum puer lubenter accipiebat Celsus, balbutiente lingua hoc solùm dicens: Deus, cui ego seruio, ipse te iudicabit, ô iudex.

Quædam autem insignis femina nomine Dinomeda consulit coniugi Dinobai, vt suadeat marito, vt moueatur misericordia puerilis ętatis, & simul etiam absoluat Nazarium. Illa autem hęc marito communicat, quomodo olim vxor Pilato. Postridie itaq; cùm sedem iudiciariam ascẽdisset Dinobaus, & adduxisset Nazarium, suadebat pro viribus, vt assentiretur impietati: ne eum verò tunc puniret, prohibebant vxoris suasiones. postquam autem non potuit persuadere, eum expell.t ciuitate, sic eum placide allocutus: Vxoris meæ consilia te liberum dimittunt ab omni cruciatu. Illinc ergo abijt Nazarius in vicinam ciuitatem, Temerum nomine, cum Celso, multos ibi inducens in agnitionem. Verùm cùm Neroni Imp. significatum esset de Nazario, isque vbique quæreretur, comprehensus est facilè; sed quem nullis vel promissis inducendum, vel minis frangendum speraret, iubet eum in profundum maris cum puero Celso inijci: cùm iam essent in profundo, & qui eos iecerant, crederẽt fore vt à multis piscibus deuorarẽtur magna contentione, Angelica quędam virtus desuper aduolauit. & è profundo seruauit, & illęsos eos terræ reddidit, puero Celso. propter ætatem adhuc imperfectam, nausea & fastidio pleno, vt est consentaneum. Sed precibus & signo Crucis, & diuino osculo eum sanùm reddidit Nazarius. Hoc item miraculo, serui Neronis qui ipsos, in mare demiserant, conuersi Sancto adhæserunt. Illęsi educuntur è maris pro fundo.

Terrę ergo cum puero redditus Nazarius, transiit cum eo ad ciuitatem, quę dicitur Tenusa, & illinc profectus, venit Mediolanum: vbi cùm rursus prohiberetur Christum prædicare, coniectus est ab Anulino Præside in carcerem, qui ei gratissimus fuit, quia ibi inuenit SS. Geruasium & Protasium, ex quo congressu magnam acceperunt vtilitatem; sic enim ad certamen se incitarunt, & præcipuè puerum Celsum. Nero intelligens ab Anulino eos adhuc viuere, quos submersos putauerat, ira in seruos suos accensus, in eos inquiri iubet, & in Sanctos decernit, vt capitibus amputatis corpora abijciantur feris ad deuorandum, vt sepultura careant, & pereant reliquiæ. Martyres audita sententia lęti exierunt, muniti figura Crucis, vt qui non ad mortem, sed ad vitam potius æternam vocarētur. Preciosę tamen reliquiæ à Christianis quibusdam clam ablatæ, depositæ sunt honorificè apud portam ciuitatis, quæ etiam vocatur Romana, 14. Octobris. Cumque diu latuissent, Dei monitu à B. Ambrosio conspersa recenti sanguine sunt inuenta, tanquam si paulò antè martyrium passi fuissent; vnde in vrbem translata honorifico sepulcro contecta sunt.

Nota quā antiquum apud Christianos se cruce signare.

§. 5. *S. Celsus cum sancto Iuliano.*

Metaphra. apud Sur. 9. Ianuarij. S. Antonin. 1. p. de plurib Marty. c. 1. §. 21. passi sunt Antiochia sub Diocl.

CElso Martiani Præsidis filio, Iuliani martyris exemplo ad fidem Christianam conuerso (vt diximus suprà) iussit eum pater suus cum S. Iuliano in carceris ima trudi, vbi de damnatorum membris diuturna tabe consumptis horribilium vermium ebulliebat examen. Sed illos ingredientes gratia Dei præcedens, locum horribilem reddidit delectabilem, tenebras conuertit, & ebulliens pœna euanuit. Hoc videntes milites, qui eos custodiæ mancipandos adduxerant, conuersi, ad inuicem dixerunt: Turpe est reuerti ad id

quod

quod fuimus,& negligere ſalutem quam inuenimus. Ad pedes ergo voluuntur S. Iuliani, confitentes & laudantes nomen Chriſti. Sanctus autem orabat vt quos Chriſto acquiſierat, baptiſmum reciperent; receperuntque, vt & ipſe Celſus, eò diuinitus miſſo S. Antonio Presbytero. Quod audiens Præfectus Imperatoribus inſinuauit, dicens: Pijſſimi Imperatores, ſuccurritè legibus veſtris,& Iulianum Magum veſtris obtutibus præſentate, qui magicis artibus, pluſquam 50. deorum ſimulacra, per quos mundus florebat, comminuit: ſed & filium meum à me ſeparauit,& milites immutauit mente, & ſeptem germanos beneficijs ingratos fecit. Tunc Imperator omnem illi licentiam dedit.

Præſide igitur pro tribunali ſedente, omnique ſexu & ætate ad ſpectaculum concurrente, ordinantur triginta & vna cuppæ plenæ pice, bitumine & ſulphure,& ſuppoſito igne iubentur Sancti de cuſtodia produci. Sanctum verò Iulianum & Celſum puerum eadem vincula tenebant. Ceteri autem onerati diuerſis catenarum vinculis, trahebantur ad ſpectaculum, & hymnum omnes Domino vna voce canebant. Spectantium mentes ad fletum conuerſas pietas inclinabat. Tunc Celſus ait ad Patrem ſuum: Cùm me poſt ignem videbis illæſum, permitte me cum matre triduo habere conſilium: quod ſi feceris, nec me, nec ipſam amittes. Mater hæc audiens, vrgebat hoc fieri. Cui Præſes: Si ex igne illæſus euaſeris (quod fieri non credo) faciam quod deſideras. Tunc non ſufferens videre incendium filij, relicto aſſeſſore, ſciſſis veſtibus vlulans cum vxore domum reuertitur. Miſſis ergo illis in cuppas ſuccenſas, audiebatur de medio ignis multitudo pſallentium, quaſi ſonus aquarum multarum. Conſummato autem igne apparuerunt ſicut aurum

Psalm. 65 rutilans, hymnum cantantes Deo, *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Audiens Præses cucurrit ad spectaculum, & ait ad Iulianum: Obsecro te per Deum tuum, vt dicas mihi, vnde tantam vim maleficiorum didicisti? Quibus respondit: Si quis ab omnibus actibus sęculi alienum se facit, solam vocem Domini audiat dicentis: Si quis vult venire post me *&c.* & nihil amori Christi pręponat, nihilque aliud quàm illud quod promittit desideret, talis non solùm hanc gratiam in pręsenti mercabitur, sed etiam ęternam cum Deo cōciliat amicitiam. Ad quem Præses: Et quis est tam insipiens, vt huius mundi lætitiam fugiat? & ad istam tantam iniuriam & indignitatem semetipsum abijciat?

Tunc Præses ad filium suum ait: Ecce mater tua, vt postulasti: triduo cum ea habebis inducias. Celsus puer ait: Hoc triduo matre mihi concessa, nulli licebit tuorum interesse. Tunc Sancti martyres clauduntur in custodia ciuili vnà cum matre pueri: ingressique cùm orationem funderent, statim commotus est locus, splēdor emicuit, odor consuetus affuit; & vox psallentium insonuit. Hęc videns & audiens mulier clamauit: Nunquam in vita mea tam suauem odorem comperi; nam ita repleta sum, vt omnium dolorum meorum patiar obliuionem, nec aliud cordi meo manere cognosco, nisi ipsum esse verum Deum, pro quo filius meus agonizatur. cui puer: Verè nunc fateor te matrem meam esse, nec tu amittes filium, nec ego matrem, si mecum ad illud contendas donum, pro quo Sancti tanta sustinent. & mater ad eum: Scias me nihil amori eius præponere, quem tu diligis; ipsum verum Deum esse credo, quem per prædicationem tuam Creatorem omnium esse cognósco, cupiens hac terrena vita carere, vt ad illam æternam vobiscum merear attingere.

tingere. Hanc igitur S. Antonius Presbyter baptizauit, & filius Celsus de fonte leuauit. Celsus puer matrem suã de sacro baptismi fonte suscipit.

Audiens autem Martianus vxorem cõuersam, iratus fecit eam domum reduci; sequenti die sedens pro tribunali iussit 20. milites decollari. Vxorem verò, & filium Celsum, & Antonium Presbyterum, sibi reseruari. Et congregans omnes sacerdotes templorum, ait: Ite, & ornate templum Iouis. & hoc facto ingressus est templum, Sanctos illuc ante se adduci faciens, & dixit eis: Ecce nunc tempus aduenit, in quo salutem consequamini, sacrificium offerendo numinibus. Sin minus, diuersa tormenta in vos exercebo. Et adstantibus omnibus sacerdotibus idolorum flexis genibus, Iulianus & Antonius cum socijs orauerunt pro templi destructione, & idolorum comminutione. Oratione autem perfecta templum subuersum est, & idola in puluerem redacta. & Sacerdotes eorum oppressi sunt à ruina, & Gentiliũ magna pars interijt. Clamauit autem Præses, dicens: O virtus magica! ô carmen inauditum! sic præualens, vt etiam terræ sinus aperiat, & tanta bona ab oculis pie fruentium auferat! Iam non miserebor, antequam eos gladio feriri faciam, & de pœnis eorum me satiabo. Iussit ergo omnes illos in carcerem retrudi. Et cùm nocte in Dei laudibus essent, aduenit multitudo Sanctorum, qui per martyrium triumphauerant, amicti stolis albis, & inter eos viginti milites, & S. Basilissa cum choro Virginum, in qua multitudine sola vox audiebatur ALLELVYA. & ait Basilissa ad Iulianum, Regna cælorum patefacta sunt, venite. Alia igitur die Martianus iussit digitos manuum & pedum oleo madentibus licinijs colligari, & ignem supponi. & cùm illæsos videret, iussit Iuliano & Celso cutem capitis auferri: Martianillam verò matrẽ Celsi cùm iube-

ret equuleo applicari, si quis ministrorum volebat ad eam attingere, cæcus fiebat. Sanctos autem ita Dominus curauit, ac si nihil fuissent perpessi. Exinde iussit Tyrannus omnia genera ferarum ad eos mitti. sed dimissæ ad eos, quantumcumque feroces, pedes Sanctorum lingebant. Demum iussit omnes illos Sanctos cum malefactoribus decollari, ex quo martyrij coronam à Domino perceperunt. Et subitò terræmotus factus est magnus, & fulgura descenderunt & tonitrua, templa idolorum diruta sunt, magna multitudo Paganorum interijt, & Tyrannus semiuiuus euasit, et non multò pòst vermibus ebulliens expirauit. Sanctorum autem corpora honorificè sepulta sunt, & apparuerunt super thecas eorum in specie ignis animę eorum. VIII. Idus Ianuarij passi sunt.

Tyranni punitio.

P. 6. *S. Agapitus.*

Ex Breuiario Rom. 18. Aug.

AGapitus Prænestinus 15. annos natus, Aureliano Imperatore martyrij cupidissimus, cùm propter constantiam religionis, Imperatoris iussu primum neruis diutissime cæsus, deinde in tetrum carcerem coniectus esset, vt nihil omnino per quatuor dies gustaret, è custodia est eductus: & ardentibus carbonibus capiti eius impositis, Deo gratias agens iterū affectus verberibus nudus ita pedibus suspēsus est, vt ingens fumus subiecto igne os eius obrueret. tum feruens aqua in eius ventrem effusa est, maxillæque confractæ. Quo tempore Iudex è tribunali lapsus paulò pòst mortuus est. Ea re incenso Imperatore, sanctum iuuenem iubente feris obijci, cùm illæ non auderent attingere, Præneste gladio percussus est.

§. 7. *Sancta Prisca.*

Ex Breuiario Rom. 18. Ian.

PRisca nobilis Virgo Romana 13. annos nata, Claudio Imperatore Christianæ fidei accusata, eius-

ta, eiusdem iussu ducta ad Apollinis templum, vt idolis immolaret, cùm rem detestaretur, colaphis cęsa in carcerē truditur; atq; inde emissa cùm in fidei constantia perseueraret, affecta verberibus, feruētique adipe delibuta, rursus in carcerem includitur: post triduū in amphitheatrū producta, leoni obijcitur, qui suę feritatis oblitus humiliter se ad eius pedes abiecit. Quæ postea in ergastulo triduum inedia afflicta, in equuleo suspenditur, & vngulis ferreis excarnificata in rogum inijcitur, vnde etiam mirabiliter euasit incolumis. Deniq; extra vrbem capite abscisso, virginitatis palmam martyrij coronâ cumulauit.

§. 8. *Puer Barula cum S. Romano.*

CVm S. Romanus exquisitissimis tormētis infractus, assereret Deos, qui ab hominibus facti essent, impium esse colere, & in huius testimonium, infantem vnum in platea deambulantem produceret, puer quoque hæc eadem affirmaret, iratus Pręfectus, puerum teneri iussit, & cathomis cędi: matrem quoque illius adduci, & in eius conspectu filium suspendi & torqueri. at cùm mater nihil turbata filio potiùs animos adderet, Romanus & puer in carcerem rursus detruduntur exurendi. Postera igitur die extruitur ignis luculentus extra vrbis mœnia. Verùm cùm educerentur, ecce nimbus ab alto ruens ignem prorsus extinxit. quod audiens Asclepiades, puero caput amputari pręcepit, Romano linguam. quo facto cùm adhuc disertè loqueretur Romanus, in carcere præfocari iussus est.

Petrus de Natal. 18. Nou. Prud. 1 Peristeph. in Hymno de S. Romano. Beda 14 Kal. Dec. & Martyr. Rom. 18. Nou. nam idem est de quo illic & qui apud Baron Barula vocatur.

Addunt Menęa, quod cùm puer hic flagris cæsus sitiret, matre adstante, aquam petierit; cui mater pia & Deum amans dixit; *Ne bibas fili ex aqua hac, sed discede, & bibe ex aqua viua.*

§. 9. *S. Venantius.*

Martyrol. Rom. 18. Maij.

CAmerini in Vmbria colitur S. Venantius Martyr, qui ann. quindecim natus, ſub Decio Imperatore, & Antiocho Præſide, vnà cum alijs decem, glorioſi certaminis curſum ceruicibus abſciſſis impleuit.

Petrus verò in Catalogo hæc addit. Poſtquam fuiſſet in carcerem miſſus, fuſtibus cæſus fuit: ſed ab Angelo confortatus eſt. Inde eductus, leonibus exponitur: ſed ipſi eius pedibus procumbentes, manſuetiſſimi redduntur. Deinde pedibus appenſus, capite deorſum verſo, faculæ ardentes eius vertici ſupponũtur. Et cùm hoc etiam genus ſupplicij toleraſſet, manibus & pedibus extẽditur, & ignis in eius ventre ſolummodo accẽditur, & ſic in medijs partibus diutius incenſus affligitur. Nouiſſime cùm omnia ſuperaſſet, gladio caput eius pręciditur: corpuſque ipſius in eadem ciuitate à fidelibus tumulatur.

§. 10. *S. Neophytus.*

Ex Menæis 21. Januar Mombrit 10. 1. Mart. Rom. 20. Ianuarij.

HIc Niconâ Bythiniæ finitimâ oriundus, filius piorum & Chriſtianorum parentum Theodori & Florentiæ, imperante Diocletiano, ſtatim à vitæ exordio plenus gratia Dei extitit: nonum enim agens annum cum pueris ſuis condiſcipulis preces fundebat. ad hęc mirabiliter alebatur, & columba deuolans ipſius cubile complectebatur, humanamque fundebat vocem; cùm verò metu correpta exanimis corruiſſet, hanc oratione peracta excitauit. Vbi verò montem Olympum attigiſſet; ſpecum ſubijt, quam vt ingrederetur columba vię dux oſtendit, feráque inde abacta illic tuguriolum exſtruxit: ab Angelo verò nutriebatur. Vndecimum porrò ætatis annum attingens reuelatione à Deo accepta è monte deſcendit, ſalutatiſque parentibus, & facultatibus

ſuis

suis in pauperes dispersis, montem denuo conscendit. Decimoquinto ætatis anno se Decio Prę-sidi sistit, auxilio Angelorum hunc ad illum descensum instituens: quare propter inexpectatam libertatem primò flagellatur, postea in fornacem ignis inijcitur: gratia verò Christi seruatus, feris obijcitur. cùm autem illæsus permaneret, irruente in eum quodam barbaro gladio interficitur.

§. II. S. *Eulalia Barcinonensis.*

QVo tempore Datianus Diocletiani Maximianique Imperatorum iussu in Hispaniam summa cum potestate delegatus esset, vt in fidei nostræ alumnos horrendùm deseuiret, omneque Christianum nomen terris omnibus (quoad eius fieri posset) proscriberet; Barcinone virgo quædam annorum 14. maiorum stemmate nobilis, at morte deinceps pro Christo obitâ nobilior (Eulalia nomen erat) in suburbano agro commorabatur. Barcinonem Datianus cùm appulisset, immanemque in Christi clientes lanienam agitare iam cœpisset, Eulalia truculenti Prędidis perspectâ ferociâ, magno sui in Christum amoris morte consignandi desiderio icta, diuino haud dubiè monitu impulsuque furtim ex ędibus sese paternis proripuit, atq; ad Datiani tribunal certo cursu perrexit. Hîc illa diuino armata prędidio Præsidis furorem ac barbariem arguere, increpare, damnare. Datianus illo cùm venustatis in puella, tum audacię constantięque miraculo stupefactus, Et quæ tu? inquit. túne maiestatem Romanam, quam in me vnum hic cōtractam vides, per summum nefas maledicis proscindas verbis? Interrita virgo Christi nomen audenter professa, iudicis in se rabiem furoremque exacuit. Ergo lictores virginem extemplo flagris immaniter cædere iussi, cutem vniuersam vulneribus vndique plagisque *Petrus Ribadenira 12. Febr.*

gisq; consciderunt. at illa plagas inter constãtior lætiorque, Ferite, sęuite, inquit, cruciatus hosce vestros non sentio, Dei vtique mei præsidio septa. Quæ oratio ferocientem animum emollire debuisset, eundem in rabiem inauditam perpulit. Sui impos Datianus Eulaliam in equuleum iniectam ferreis vnguibus perfricari, laniarique, eidemque mamillas ardenti face vstulari iubet. Quid multa? dum tormentis tormenta superingeruntur, puellam efferati carnifices viua calce obruunt, ac pene contumulant, feruens oleum plumbumque liquefactum capiti, naribus sinapi aceto temperatum inuergunt, eodemque totius corporis hiantes plagas testaceis fragmẽtis oblinunt; ad extremum flagrante cereo oculos adurunt. Quibus interim tormentis Datianus imperandis, lictores infligendis fatigantur, iisdem Eulalia perferendis animosior euadit. Ecce autem dum virguncula cęlesti ope freta inflictos cruciatus immunis eludit, retortâ in authores pœnâ lictores ipsos flamma depascitur, absumitque. At neque hisce prodigijs mouetur tyrannus: à supplicijs ad probrum integerrimæ virgini inferendum sese conuertit: eam ergo nudato corpore per vrbis compita raptari, demumque loco supplicijs destinato, capite trũcari iubet: hoc vno victoriam sibi desperatam esse cõfessus. Ne plura, martyrij demum illa lauream adepta 12. Februar. qui dies eidem virgini solennis agitur.

Martyrologium Romanum, & Baronius Eulaliam è cruce suspensam ferunt. Diuus Isidorus exanimum virginis corpus niue circumseptum ac prope tumulatum affirmat, quo quidem prodigio haud obscurum enituit de virginis sanctimonia Dei iudicium.

Baro. in notis Mart. *Duæ verò (vt notat Baronius) fuisse eiusdem nominis traduntur Eulaliæ in Hispania, eædemq; martyres, ac iisdem persecutionis temporibus passæ sub vno eodemque*

Præside

Præside Datiano, Imperantibus Diocletiano & Maximiano, sed diuersis locis, ac diebus, dispariq́ue pœnarum genere, prout earundem diuersa Acta significant. Hæc etenim, de qua agimus, Barcinone cruci affixa nobile certamen exegit. illa autem Emeritæ igni tradita martyrij coronam accepit; cuius agonem Prudentius in Peristeph. egregio carmine cecinit. De vtraque illud aquè legitur, ad instar columbæ animam visam è corpore egredientem cœlum conscendere. *De S. Eulalia Emeritana, vide c. 10. §. 2.*

§. 12. *Sophia cum filiabus Fide, Spe, Charitate.*

SÆuiente in vrbe Romana Adriano Imp. fuit insignis quędã matrona, cui prima cura fuit, vt filias Christianę disciplinę ornamentis excellentissimè decoraret, vt si opus esset, corpora sua pro fide supplicijs exponere non dubitarent. Erant eis nomina rebus mirificè conuenientia: Fides annorum 12. Spes duobus annis minor, Charitas nouem erat annorum, mutua ita charitate deuinctæ, & prudentiæ, ac religionis opinione apud omnes adeo celebres, vt salutis humanę hostis Antiochium vrbis Præfectum incitaret ad tam præclara veræ fidei germina extirpanda. Igitur Præfectus ad Imperatorem & nomina earum, & religionis professionem illico defert, contestans earum pietate multos à Deorum cultu ad Christi sacra conuerti. *Ex Metap. sub Alexãdro Pa. II. anno Domini 122.* Ætas puellularum.

Imperator audita accusatione, confestim eas suo sisti tribunali mandat, quæ mutuis cohortationibus roboratæ intrepidè Tyranni vultum subierunt. Itaque omisso feueriori iudicio, matrem ante omnia blandis aggressus est verbis, patriam, genus, nomen, & religionem ab ea quæsiuit. Cui Sophia: Primùm quidem, inquit, ô Imperator nomen mihi vnum omnium præstantissimum est à Christo: Sophia autem à parentibus mihi impositum Sistuntur Imperat.

tum est. genus duco ex ijs qui primos in Italia magistratus gesserunt, quæ & mihi patria est: ego autem inanem horum omnium gloriam existimo, cęli memor. Hanc dicendi libertatē admiratus Tyrannus eam cum filiabus Palladiæ Senatorij ordinis feminæ custodiendas tradidit, vt tertio pòst die ad quæstiones eas produceret.

Triduo elapso, Imperator dæmonis insidijs egregiè instructus, Quid, inquit, ô Virgines decoræ, Deorum, vt ego profectò existimo, sanguine progenitæ, decreuistis? Nunquid mihi optimè vobis consulenti, diuitias amplissimas & gloriam offerenti, parere malitis, quàm vetulæ illi, quæ se matrem vestram mentitur, cùm tamen iniquis suis persuasionibus in exitium vos impellere nititur? promissis ergo meis potiùs acquiescite; nam si obedire contemnitis, inuitus ego, mihi credite, ad supplicia corporibus vestris tenerrimis inferenda accedere compellor. Cui virgines: Nos, inquiunt, neque tuas in hac vita delicias expetimus, neque tormenta formidamus: quid enim Christianis potest esse iucundius, quàm pati pro Christo, qui & hanc nobis vitam contulit, & preciosi sanguinis sui effusione ęternam promeruit? Hoc tam constanti accepto responso Imperator Iudici eas puniendas tradidit, omni planè abiecta spe tantam virtutem blanditijs superandi. Et primùm quidem Fides annos nō ampliùs nata duodecim continuò vestibus nudata, manibus ponè vinctis, virgis crudelissimè cæsa est. Quæ cùm magna constantia, & vultu ipso triumphum de tyrannide illa ageret, ad atrociora tormenta protracta est. Iudex furore percitus, mamillas eius excindi iubet. sed ecce rem nouam & prodigiosam; pro sanguine, lactis riuuli defluxerunt, Virginemque niueo candore, stupente Iudice, exornarunt. Neque tamen præcipitis animi fractus furor:

Fides cæditur & atrociter cruciatur.

furor: sed igne copiosè accenso Virginem exuri; & ibi quoque illæsam permanentem, in sartagine pice & bitumine bullientem præcipitari iubet. Sed Christi bonitas Tyranni vincebat malitiam, prorsus vt virgo in medijs flammis integra consisteret. Iudex in rabiem versus, gladio eam transuerberari mandauit. Fides ea sententia incredibiliter gauisa supremis his vocibus matrem & sorores affata est: Vides, ô dulcissima mater, qua me benignitate Christus IESVS prosecutus sit, reliquum est, vt vltimum hoc certamen tuis etiam precibus munire pergas. Vos autem, ô sorores charissimæ, nihil formidate pro nomine Christi gloriosam adeo mortē oppetere. Vna mater nos genuit, eadem tres aluit, sit etiam vnus tribus finis, sint sororibus sororiæ etiam & germanæ voluntates. His verbis confirmatę sorores vltimum ei vale, cum matre, fusis prę gaudio lacrymis, dixerunt. *Fides matrem & sorores corroborat.*

Illa verò porrectâ continuò, ceruice certamen absoluit, ac solutus vinculis ad Christum migrauit. *Fides gladio cæsa, ad Christū migrat.*

Impius autem Iudex non ferens ignominiam, vt ex alijs amissę victorię damnum repararet, cōtinuò secundam accersiri iubet; quam blanditijs aggressus, ad Dianæ sacrificium inuitabat. At illa: Vt, inquit, credidisti me esse sororem præcedentis, cuius iam fecisti periculum, ita tuo sit animo persuasum, fore vt constantiâ, eius etiam soror conspiciar. Hęc audiens Iudex iubet eam veste nudatam, sicut primam, crudis boum neruis flagellari, flagellatam in ardentem conijci fornacem: atque postremò illæsam inde exeūtem, in ligno suspensam ferreis laniari vngulis, tanta crudelitate & sæuitia, vt carnibus ossa nudata, miserandum valde spectantibus exhiberent spectaculum. At Spes virgo sanctissima oculis cælesti quodam fulgore micantibus ad cælum continuò *Certamē Spei Virg.*

sublatis,

ſublatis, Chriſti numen precabatur, ne quid Chriſtianæ religionis ſanctitate indignum pateretur. quin etiam inter ſupplicia, voce planè virili Tyranno inſultauit, dicens: Tu quidem ſanguinarie, ſupplicijs robur meum eneruare contendis: At ego Chriſti gratia & virtute confiſa, de te tuaque tyrannide cum ſorore mea triumphum agam.

ſpei Virg. horrendū ſuppliciū.

His ad furorem incitatus Iudex, lebetem pice & reſina plenum, & igne vehementer accenſum pręparari iuſſit: vt ſanctam virginem, ad terrorem matris & filiæ iunioris, in eum pręcipitem daret. ſed lebes diuina virtute inſtar vitri confractus, diffuſo repente feruenti liquore, non paucos virgini ea ſupplicia machinantes ad internecionem deleuit. Vnde Iudex furore tabeſcens, capitis ſententia Virginem damnauit. Quæ alacriter exiliens, teneram carnificis gladio ceruicem ſubiecit, eandemque Martyrij palmam læta percepit.

Certamē Charitatis Virg.

Poſtremò Iudex iniquus, dubius animi, qua arte quibúſve inſidijs poſtremam ſuperaret, cùm blāditijs nequicquam adhibitis ſemel iterumq; à Virginis cōſtātia repulſam pateretur, pręcipiti furore repulſus, tenerā loris in equuleo extenſā torqueri iuſſit, tanta immanitate, vt diuulsâ corporis compage virgo tenerrima ſpiritum tradere putaretur: ſed Chriſti virtute ac gratiâ inuicta permanens Tyranni ſpreuit ſupplicia, eumque redarguit, quòd Dianæ honores diuinos, relicto vero Deo, deferret: hinc Iudex vehementiùs excandeſcens, Virginem ex equuleo in fornacem flammis accenſam inijci mādauit; ſed flammę illico in authorem ſuum cōuerſæ ſunt, eiuſque membra corripientes exuſſerunt, grauique oppreſſum dolore reliquerunt. Neque tamen Virginem impijs clamoribus ad alia tormenta expetere deſtitit: cuius corpuſculum, licet varijs ante ſupplicijs confra-

Horrendè torquetur Virgo annorum nouem.

ctum, terebris transfigi imperauit. Postremò Virginem eâdem animi constantiâ & hoc supplicium peferente, capitis eam damnauit: quam illa sententiam lætabunda excipiens, ad vltimi certaminis locum perrexit; matre eam cum gaudio prosequente, donec ad destinatum locum ventum est, pia illa genitrix vix mentis suæ prę gaudio compos, exclamare cœpit: O me felicem, ô vere beatam! quę tribus filiabus SS. Trinitatem honorare merui! ô quantis me Domine beneficijs affecisti, quantis ornamentis decorasti, qui dulcissimas filias gloriosissima Martyrij corona redimitas, ad tuum hodie regnum transtulisti. Vt video Angelos lætantes, tuamque ô filia, consummationem præstolantes! Perge, ô decus, ô gloria mea; perge ad cæleste sposi tui thalamum, quo sorores tuę iam perfruuntur. Talibus filiam matre verbis prosequente, & Christi interdum Numen laudibus celebrante, Charitas omnium postrema certamen perfecit: quarum corpora mater splendidè atque magnificè composuit, & in monumentum, quo par erat honore, intulit. Vox Sop. matris exultantes.

Post tertium verò à peracto certamine diem, Sophia ad locum accedens reliquiarum, fusis rite precibus, & ipsa beatum Deo spiritum tradidit: quæ fidelium operâ filiabus coniuncta fuit.

CAPVT



CAPVT V.

IN CRVCEM SVFFIXI.

HAVD procul à vero abesse video quod vulgò iactatur, pueros quicquid cernant imitari. Viderant fortè in imagine (nam & imaginibus capiuntur pueri) Christum sancta clauis brachia porrigentem, hinc & ipsi ludo simili brachiola sua porrigere
Ad Gal. c. 2 gestiunt, vt dicere queant, *Christo confixus sum cru-*
Exodi 2. *ci*. Bene habet, pueri, inspexistis, fecistisque *secundũ exemplar, quod* vobis *monstratum est in monte*: Nam *exemplum dedit nobis, vt sequamur vestigia eius.*
1. Petri 2. Quid hic dicas, Christe, tali viso spectaculo? ecce cupiunt videre IESVM, sed quia & ipsi staturâ pusilli sunt, arborem inscendunt. Nec iam audient si ad descendendum inuitentur, vti nec tu de cruce, ad defectionem solicitatus: tecum illis mori certum est, tantùm adiuua, robur suffice,
Galat. 2. satis est; iamque hic inclamat: *Viuo ego, iam non ego,*
Ibid. *viuit vero in me Christus.* ille: *Quod nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* iste verò: *Vita IESV manifestatur*
2. Cor. 4. *Phil c. 1.* *in corporibus nostris.* Alius: *Mihi viuere Christus est.* singuli: Mihi *mori lucrum.* O mortem quauis
Psalm. 18 vita præstantiorem! Verè *testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Nihil penitus infamiæ, nihil ignominiæ supplicium crucis iam affert, sed potiùs plurimum gloriæ & maiestatis.
D. Chrysost. orat. Quod Christus sit Deus. *Hoc mortis genus*, ait Chrys. *quouis diademate gloriosius est: nam reges positis diadematis crucem suscipiunt, mortis symbolum: in purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, & in mensa sacra crux, & in toto orbe crux, & super solem fulget crux.*

§. I. *Puer*

§. 1. *Puer quidam à Iudæis crucifixus.*

MEstare, loco inter Chalcidē & Antiochiam sito, festos agitabant dies ac ludos solennes Iudæi: vbi Bacchico furore ebrij cùm multa in Christum & Christianos maledicta sparsissent, totamque Religionis nostræ maiestatem in ludibrium vertissent, nondū satis insanię & impietati fecisse visi, nisi etiam sanguine Christiano odijs suis litarent: tenerum ex nostra sorte puerum corripiunt, in fatali crucis trabe suspensum per iocum & ludum sublimant, impia dicacitate proscindunt, rident, torquent, & verberibus demum immanissime cæsum exanimant. Christianus populus tam sęuâ iniuriâ læsus, cum impia gente in certamen descendit, & Imperator de tam atroci scelere a Præfectis monitus, negotium dedit Magistratibus, conscios & noxios pro facinoris immanitate vltimis supplicijs excruciatos necarēt: simulque Gamalieli eius Ditionis Præsidi Præfecturam abrogauit, seruitia omnia Christo initiata Ecclesię transcripsit.

Socrates c. 16. lib. 7. Contigit Imp. Theodosij Iunioris anno 6.

§. 2. S. *Christophorus trimulus puer, Christi crucifigitur in modum.*

IN Hispania, Ferdinando Rege, S. Christophorus puer trium annorum in oppido, cui nomen est Guardia, prope Toletum, omnia Christi tormenta à Mauris sigillatim perpessus est; dum ad columnam cæditur crudeliter, nec vocem, nec signum vllum doloris dedit, nisi in vltimis quinque plagis, quod eo numero suę illas Christi superassent, exclamans. Effodienti sibi latus dextrum in cruce, ait: *Si cor quæris, alterum latus effodias.* quo effosso, & corde extracto ad veneficium contra Christianos conficiendum, obijt sanctus puer. Hunc vt in numerum Sanctorum Innocentium adscriptū, Innocentem à Guardia vocant vicini.

P. Riccius in Triumpho crucis.

Porrò series historię seruatur in actis sacrorum quæsitorum.

Dum Christi tormenta refers in corpore, & ipsum
Pectore, Christophori nomen, & omen habes.

§. 3. *S. Hugo similiter.*

Ibidem. SAnctus Hugo puer Lincolniæ in Anglia. eo modo quo Christus crucifixus est à Iudęis. habetur in histo. Angl.

Paruule, ne plores rapta dispendia vitæ;
Maturus cælo non cadit ante diem.

§. 4. *S. Richardus crucifigitur.*

Ibidem.
Paulus Æmilius de Hist. Francia l. 5.
Rigord. in vita Pilip. Regis.

REge Philippo Augusto, in Gallia, Iudęi quendam Christianum puerum Richardum nomine, per summum religionis nostrę ludibrium crucifixerunt, ob eamque rem fęx illa hominũ ex Gallia eiecta est. Huius corpus quiescit in ecclesia Sanctorum Innocentium in Campellis Parisijs, vbi multa patrantur miracula. Iudęi tum ob eandem crudelitatem sæpius repetitam facilè 80. igne cremati sunt, teste Gaguino.

Vt solem Atlantes in se redeunte sagitta,
Sic Christum opprobrijs gens recutita petit.

§. 5. *S. VVillelmus.*

Baron. to. 12. anno 1146. ex Boberto de Monte in appendice ad Sigeb.

APud Noruicum Anglię ciuitatem, Iudęi crucifixerunt puerum quendam Christianum nomine Willelmum, quem etiam foras ciuitatem ab eis sepultum diuina lux (vt ferunt) super eum emicans declarauit: sicque à fidelibus inuentus honorabiliter est in ecclesia positus.

§. 6. *Claudius, Asterius, Neon.*

Ex ijs quæ Sur. a Notarijs publicis conscripta habet 23. Aug.

APud Ægeam vrbem Lysię Pręsidi pro tribunali sedenti, & Christianos acri examine ad supplicia perquirẽti oblati fuere ab vrbis Magistratu pueri tres, fraterno sanguine, & eximia pietate inter se coniuncti; vt quod de ijs fieri vellet, cru-

let, crudelis Præses illico præciperet. Primus erat Claudius, qui à Præside Dijs sacrificare iussus, animo planè virili & excelso nefarium facinus detestatus est; seque intrepide ad virgarum ictus obtulit, & constanter pertulit. Lysias verò cernens pueri constantiam & virtutem admirandam, iussit eum in equuleo suspensum flammis torreri, partesque eius calcaneis præcisas ei offerri. Deinde ne tantillum quidem eo supplicio motum vngulis vexari præcepit, testisque asperrimis latera eius radi, & candelas ardentes applicari. Interea Claudius spiritu exultans, Tyranne, inquit, ignis ille & tormenta tua æternam mihi salutem conciliant: quę enim propter Christum patior, in magno loco ponenda mihi sunt, atque adeo mors ipsa, Christi causa tolerata, diuitiæ putanda. Tum Lysias victus prę furore frendens, eo in custodiam abducto, iussit adesse Asterium: Quem Pręses blanda voce compellans: Vel tu, inquit, fili commoda fidem dictis meis, & sacrifica dijs, vt atrocia supplicia rebellibus constituta vitare queas. Ad quæ Asterius: Vnus est, inquit, in cælo, & in terra Deus, quem ego à parentibus meis colere sum edoctus: quos verò tu colis Deos, dæmonia sunt, æternum & tibi, & tuis omnibus exitium allatura. Lysias his auditis, iussit eum in equuleo sublatum ijsdem fere, quibus fratrem paulò ante supplicijs, excarnificari. Carpebant latera eius ferreis vngulis, prunasque ardentes pedibus substernebant, virgis & neruis ei dorsum pariter & ventrem horrendâ sæuitiâ lacerabent, quæ animo adeo excelso & alacri Asterius ferebat, vt ipsi etiam Præsidi victor insultaret. Itaque eo quoque in custodiam recepto, Neō frater eorum tertius adductus fuit: qui dijs sacrificare iussus tale responsum Præsidi dedit: Si qua virtus est in dijs tuis, ipsi se tueantur,

Horrendè torquetur puer Claudius.

Asterius sistitur Iudici.

Tormenta Asterij.

Certamen Neonis pueri.

nec tuum patrocinium requirant. Lysias eo pueri responso vehementer commotus; Frangite, inquit, pueri istius ceruicem, & blasphemias sacrilegi oris compescite: extendite eum, & neruis atrociter concisum, prunis ardentibus obtegite. Ijs omnibus expletis, Lysias Pręses martyrum constantiâ se superatum cernens, hanc in eos sententiam tulit, vt foris ante atrium cruci affixi mortem subirent: & corpora auibus deuoranda relinquerentur. Eo igitur certamine gloriosi Christi martyres post varia tormenta trophæis inclyti palmam sunt consecuti.

Contigit hęc crucifixio anno Chr. 285.

§. 7. *Puer à Iudæis crucifixus.*

Genebrardus in Chron.

ANno 1177. Bleis habitantes Iudæi puerum Christianum in crucem egerunt ipso die Cœnæ Domini.

§. 8. *Ludouicus 7. annorum puer.*

Ex relatione R^mi. Ludouici Cerquiera Episc. Iaponēsis ad Papā 25 Ianuarij 1604.

SEx in Fingensi regno Iapones, Canziugis Regis Ethnici, & fidei Catholicę capitalis hostis iussu pro Christo vitę prodigi fuere; Ioānes & Simon, viri claris orti natalibus capite truncati sunt 8. Decembris: Ioanna Simonis mater, Agnes eiusdem vxor, Magdalena Ioannis coniunx, & Ludouicus septem vel octo annorum puer, Magdalenæ nepos, ab eaque & coniuge in filium adoptatus, in crucem acti postera die anno 1604. Et vt de fortissimo hoc puero omissis alijs agamus, mirum dictu est, quantopere eum mater sua melior Magdalena ad martyrij palmam erudiebat, optimam se ei hæreditatem acquisituram rata, si adoptatum inter martyres in cęli parte locaret.

Vigilabant fortè in multam noctem, sæuiente persecutionis procella, Ioannes & Magdalena cum duobus alijs viris, de rebus diuinis colloquentes, cùm Ludouiculus, qui in eodem cubiculo dor-

Io dormiebat, ex alto repentè somno euigilans, memor eorũ quę à Matre acceperat: Domina mea mater, ingeminat, Domina mea mater, nõ feram, non patiar Focheciũ (sic vocant librum superstitionum Iaponicarũ, & rituum in idolis colendis adhibendorum, quem venerationis causa capitibus suis subinde imponunt) capiti meo imponi. Cui illa: Quid ais fili? sile, sile, non curabimus imponi. Tum puer iterum monet parentes, ne ipsimet vlla ratione permittant suis imponi capitibus: Magdalena puerum in cubiculum aliud deferri mandat, vbi decumbens, non rarò somnum interpellat, his vocibus: Nunquam sinam vt liber tam detestabilis verticem tangat meum: quod identidem repetebat summo cum audientium stupore.

Porrò instante iam certamine, aiebat Magdalena; Fili, tibi ocyus mihique est eò pergendum, vbi patrem tuum iam esse nosti: salutiferum ergo IESV & MARIÆ nomen memineris crebrò inuocare; non recedat à corde, non recedat ab ore. & puer: Memorem me, inquit, mater dulcissima, fore recipio; fuitque: cùm enim ducerentur ad supplicij locum, non cessabant alternis dicere IESVS MARIA, *mi fili, IESVS, MARIA, mea mater*. Donec ad eam vrbis partem ventum est, quæ & domibus & populo erat celebrior, vbi incredibile dictu est quo animi gaudio pręparatas eminus cruces salutauere. breuiter acta est in crucem Magdalena: sequutus est Ludouiculus: quem cùm arripuissent Lictores, è turba dixit vnus: Non perhorrescis infantule, adeo propinquâ morte? Ego verò, inquit, ne vel tantillum moueor, tantum abest vt perhorrescam. Verùm cùm arctius stringeretur quàm tenella infantuli membra ferrent, petijt nonnihil laxari funes: quæ innocentis pueri vox lictori ipsi lacry-

mas elicuit; petijtque vt id muneris alteri demandare cogeretur. Matre in crucem suffixa & filiolo, eriguntur cruces, in illam hic defigit oculos: illa inclamat dulce nomen IESVS, MARIA: hic respondat: IESVS, MARIA. O quam grata hæc resonabat Echo cæli fornicibus! Prior appetitus est lancea puer: verùm oberrante ferro nescio quî, perstitit inoffensus, sed repetito *ictu* tandem IESV & MARIÆ nomen ingeminans insontem animam Creatori suo reddidit. Mater tepente adhuc hastili sub mamillâ dexteram est transuerberata.

§. 9. *Tres pueri ex numero 26. Nangasachi crucifixorum, Ludouicus, Antonius, Thomas.*

Ex P. Ioan. Hayo. item ex Chron. S. Francis. to 4. p. 2. l. 10. c. 69.

TAicosanna Iaponiorum Rex furore in Christianos concepto (causam paulò pòst afferemus) tergiuersanti Gibonoscio latæ semel sententiæ executionem seuere commisit, vt 24. in vincula conijceret, è quibus erant quinque Franciscani, & tres è Societate IESV. Illud verò spectatoribus partim lacrymas elicuit, partim magnam admirationem attulit, videre in hoc numero tres adolescentulos, (qui Patribus Franciscanis in sacrificio missę inseruierant, ac maximus quidem erat 14. circiter annorum, minimus vndecim) plenos gaudio, vultu Angelico, manibus à tergo colligatis, clara & hilari voce accinentes Dominicam orationem & Salutationem Angelicam, aliasque orationes. Ac minimus quidem nomine Ludouicus, cùm ad eum in carcere agentem Gentilis quidam primarius venisset, spopondissetque se eum liberaturum, si vellet renunciare baptismo, audacter respondit: *Immo tu etiam debes fieri Christianus*, siquidem non est aliud medium ad salutem consequendam. quo quidem respōso non parum obstupefecit virum.

Secunda Ianuarij 1597. omnes manibus post terga reuinctis pedites deducti sunt ad plateam quandam Meaci superioris, vbi omnibus abscissa est particula ex aure sinistra: quod Gibonoscius fortè fieri tanquam lenius procurauit (etsi Rex mandasset vtramque aurem prescindi cum naso) quòd nonnulla spe teneretur liberationis omnium. Auribus resectis iussere omnes reos secundum priscum Iaponię morem ascendere carros, sic vt terni in singulis carris essent: nostri verò erant in postremo cincti militibus Gubernatoris Oyacensis. Spectantis populi numerus erat infinitus, non in vijs modò, sed & in fenestris & tectis. Præferebatur carris in oblonga pertica tabella, quę continebat reorum crimen & sententiam, hac verborum formula: *Quoniam hi homines ex Philippinis venere quasi legati, & tamen remanserunt Meaci, vt legem Christianam diuulgarent, quod ego superioribus annis illis seuerè prohibueram; mando, vt omnes vnà cum Iaponijs, qui Christianæ legi nomina dederunt, è medio pellantur. itaque hi 24. crucifigentur Nangazachi* &c. *anno* 1. *Cheicij, ad decimum vndecimæ Lunæ.*

Postera luce ex mandato Regis hæc pernobilis cohors imposita iumentis, traducta est Oyacam, ibique per vias ignominiosè ad spectaculum proposita, sic prorsus, vt Gentiles ipsi commiseratione moti tenere lacrymas non possent. Calendis Februarij ventum est in locum Cazaru tribus leucis distantem Nangoya, vbi Fasamburus cum satellitibus eos præstolabatur, qui accedens ad Ludouicum (de quo supra egimus) videns eum in tam tenera ætate constitutum, dixit: Vita tua in meo arbitrio est & potestate: si mihi seruire velis, te liberabo. respondit Ludouicus: De me nihil statuo, id faciam quod visum fuerit Fratri Petro. Cui Frater Petrus dixit, acciperet

conditionem, modò Christiano esse ei liceat. Non, inquit Fasamburus, fides Christiana ei deserenda erit. Tum Ludouicus: Hac conditione, inquit, non cupio viuere, quia pro hac vita misera & momentanea, facerem iacturam beatę & æternæ. Tandem vt paucis absoluamus (nec enim singula persequi decreuimus) Nangasachum naui appellunt, vbi parauerat Fasamburus pro omnibus vinginti sex (duo enim in itinere à ministris regis numero adiuncti fuerant) diuersorium: sed veritus tumultum, quòd locus esset refertus Christianis, decreuit eos extra Nangasachum insequenti luce (quæ S. Agathæ sacra erat) extremo supplicio afficere. Itaque crucibus aliisque omnibus ad locum supplicij deportatis, omnia in ordinem digessit, vt momento vno omnia absoluerentur. Allato ergo Fazamburi mādato, quod expectabant, mirum dictu, & visu dignissimum fuit, quanta celeritate se coniecerint in pedes, & obuiam crucibus processerint. Cùm ergo fortes Christi milites ad locum peruenissent, Fasamburus curauit collem omnem à sclopetariis & lancearijs circumdari, spatio tantùm septem vel octo passuū inter ipsos & cruces interposito. Ingressu in septum facto, noua lætitia oborta est militibus Christi ex conspectu crucium. Ludouicus illico petijt quęnam sua crux esset: eaque demonstrata, magna deuotione & feruore ad eam cucurrit. Fuerunt autem omnes quasi puncto temporis acti in crucem, eo quòd quilibet suum haberet attributum ministrum, & omnia necessaria singulis ad manum parata. Talis autem erat crucifixorum ordo, vt alter ab altero tribus vel quatuor distaret passibus, vultu versus Nangasachum conuerso. In hoc numero tres omnino fuerunt pueri; Ludouicus vndecim annorum, qui paucis annis fuerat Christianus, à naturâ viuax, Antonius


Ætas triū puerorū.

nius Nangasachanus, adolescentulus item 13. annorum, candidæ admodum naturę: & Thomas Cazachi, qui decimum quartum expleuerat, nam Gabriel Isce iam erat annorum 19.

Crucibus hoc ordine defixis, mirabile fuit videre omnium constantiam, & inter ceteros Paulus Michi Frater noster, videns se consistere in suggestu omnium quos vnquam habuerat honoratissimo, primùm circumstantibus aperuit se Iaponium, & de Societate IESV esse, morique propter annunciatum Euangelium, & gratias Deo ob beneficium tam eximium agere: deinde hæc verba subiecit: Cùm ad hoc temporis punctum peruenerim, è vobis neminem esse opinor, qui me credat velle parcere veritati. Declaro igitur vobis, nullam esse ad salutem viam, nisi quam tenent Christiani: quæ cùm doceat me ignoscere inimicis, & omnibus qui me offenderunt, ego libenter Regi omnibusque meæ necis authoribus ignosco, eosque rogo, vt Christiano baptismo initiari velint. Hinc oculis in socios conuersis, cœpit eos in hoc extremo conflictu animare, in quorum omnium vultibus lætitia quędam emicabat; Sed in Ludouico singularis, cui cùm alius quidam Christianus acclamaret, breui eum futurum in paradiso, digitorum, totiusque corporis gestu gaudij pleno omnium in se spectantium oculos conuertit. Antonius puer, qui Ludouici claudebat latus, oculis cęlo infixis, post inuocatum sanctissimum nomen IESV & MARIÆ, accinuit psalmum; *Laudate pueri Dominum*, quem didicerat Nangasachi in institutione Catecheseos; aliqui circumstantes exhortabantur, omnes summam moriendi promptitudinem demonstrabant. tum Carnifices quatuor cœpere vaginis (quę Iaponijs vsitatę sunt) eximere lanceas: ad quarum horrificum conspectum omnes fideles acclamarunt:

IESV,

IESV, MARIA; & quod plus est, comploratio secuta est miserabilior, ipsos feriens cælos. Carnifices quenque eorum vno alteroque ictu, breuissimo tempore exanimarunt. atque hic licuit cernere Christianorum ardorem, qui per medios satellites fustuario eorum neglecto ad cruces accurrêre, alij vt sudaria sua martyrum sanguine imbuerent: alij vt ex vestium limbo aliquid detraherent, quod ita frequentes fecerunt, vt licet sub graui interminatione prohibitũ fuisset, in crucibus multi, præcipueque religiosi non satis decenter contecti remanserint.



CAPVT VI.

INCISIONE EXSANGVES RELICTI.



NOn permisit odium inexplebile, quo inimici crucis Christum prosequuntur, à contumelijs ac probris ei inferendis aliquando cessare: hinc sæpe Christianos, eorumque filios (vt allata probârunt exempla) raptos agebãt in crucem, vt ignominia mortis adeo probrosę in Christum crucifixum redundaret. Et Iudæi quidem si quando hominis crucifigendi facultas deesset, tigribus crudeliores, etiam imaginem Saluatoris nostri per summum ludibrium crucifigebant, nullis contumelijs omissis, quibus se olim in Christum sęuijsse meminerant. Hanc sanguinis Christiani sitim probarunt incisione per omnes infantium artus toties facta. Vidisses palpitantem inter lupos

Rem narrat Sigeb. an. Christi 764.

pos agnellum, sanguine delibutum suo, immò dicam adhuc materno, sanguine prodigo, non redituro: vidisses teneros ocellos velut somno abeuntes; infantem sensim sine sensu, langüente collo, ceu florem natiuo succo destitutum, caput inclinare; feras circum cruento pasci spectaculo. Mirandum prorsus adeo occæcatos Iudæos, qui longam admissi sceleris in pœnam tam fœda sanguinis tabe percussi meliùs & à fundendo sanguine abstineant & vota damnent sua, quibus olim sanguinem innoxium ad feram longè propaginem optarunt dimanare. Macti interim estote pusiones; exsanguem victimam, in arâ crucis Christus probat.

§. I. *S. Puer VVernherus.*

VVernherus puer, pago Wammenrato, qui à Baccaraco vnius diei itinere abest, ortus est, rusticâ quidem stirpe, sed cultu Christi sanè nobili. Fuit autem cùm Christianæ religionis, tum simplicitatis amantissimus, virgineâ ornatus puritate, qui opere rustico, pro virium suarum imbecillitate, victum sibi tenuem comparabat, ex quo benignè admodum egenis aliquid impertiebatur. Hic veniens aliquando Treuericam Vesaliam à perfidis Iudæis illic commorantibus callidè sæpe ad laborem euocatus est. ille verò prõptum se puerili simplicitate exhibens, iussus est humum in profundum quẽdam terræ locum deportare. Adueniente interim Paschali solennitate, sæpius ab hospita sua admonitus est, vt ab impijs Iudæis sibi præcaueret, aliàs dubio procul ab illis laniandus deuorandusque. Sed puer, qui ex suo ingenio aliorum mores vitamque iudicabat, neglectâ hospitæ admonitione, vni Deo se totum committebat: ac mulieri sępius importuniusque monenti respondebat: Ego me totum meaque

Sur. 19. Aprilis passus est anno 1287. 13. Cal. Maij.

omnia

omnia Deo committo, cui cura eſt de nobis.

Interea ſolenni Dominicæ Cœnæ adueniente die, puer Chriſto deuotus peccata ſua oris confeſſione coram Chriſti ſacerdote expiauit; ſacroſanctiſque corporis ac ſanguinis Chriſti myſterijs ſe muniuit: lætuſque, ab omni inſidiarum ſuſpicione alienus, ad opus à Iudęis inuitatus & pellectus, venit. Sed Iudæi, qui ſiccis faucibus Chriſtianum ſanguinem eo die vel maximè ſitiebant, altero qui acerbiſſimæ paſſionis Chriſti memoriæ ſacer eſt, conceptum animi furorem ſumma crudelitate in innocentem puerum effuderunt.

Iudęi eum immaniſſimè cruciant.

Primò enim apprehenſum omni clamandi facultate priuarunt, impreſſo in os eius globo plumbeo: inde ſuſpenſum ad columnam ligneam, erectis ſurſum pedibus, miſeris modis diuexarunt, torſeruntque, eo conſilio, vt ſumptum à puero Chriſti corpus reuocarent educerentque. ſed cùm fruſtra id conati eſſent, ira odioque grauiore prouocati, totos ſe ad membrum myſtici corporis Chriſti atrociſſimè excarnificandum contulerunt. Itaque multa, eaque profunda eius corpori cum flagellis impreſſere vulnera; atque etiam cultro quodam, qui hodieque apud eius reliquias aſſeruatur, totius corporis venas barbarâ immanitate inciderunt, forficibuſq. ex omnibus corporis partibus ſanguinem expreſſerunt, corpuſque totum vulneribus conciſum, triduo ſuſpenſum reliquerunt.

Habebant autem Iudæi illi famulam Chriſtianæ religionis ſacris initiatam, quæ clam viſâ nefariâ eorum in puerum crudelitate, maximo animi dolore impulſa, Iudicem Veſalienſem acciuit, eumque in locum, vbi pius puer tam immaniter tractabatur, introduxit, ad cuius inopinatum aduentum obſtupeſcentes Iudęi, ſtatim muneribus bene magnis illum aggreſſi ſunt, feceruntque

runtque vt officij sui oblitus, ab æquitate & iustitia, per summum scelus se abduci pateretur. Puer autem viso Iudice, exultabūdus, vt potuit, sui liberationem postulabat: sed iniustus Iudex victus amore pecuniæ, pueri preces neglexit. Tum puer: Si tu mihi, inquit, opitulari non vis, opem mihi ferat benignus Deus, & sanctissima Mater eius. Iudice igitur donis muneribusque corrupto abeunte, puer à Iudæis interfectus est: atque vt facinus nefarium silentio tegeretur, nocte intempestâ corpus clàm per muros tractum ad naues Moguntiam ituras detulerunt. Sed omnipotens Deus elusis eorum conatibus nauem tota nocte errabundam ne vno quidem milliari ab vrbe recedere permisit. orto inde sole, timore & tremore correpti anxia inter se consilia captant, quomodo corpus Martyris absconderent: neque enim ratio in aquas illud demergendi occurrebat. Tandem cōspiciunt prope Baccaracum cryptam vepribus obsitam, vbi nunc conditum cernitur Wildhelmitarum Cœnobium Windofdesbachium: eò igitur cum corpore properantes in eam cryptam illud proiecerunt, ac summa cum celeritate se inde proripuerunt. *quibus verò deinde manifestatum sit indicijs miraculisq́;, vide p. 3. c. 16. §. 2.*

Iudex pecunia corruptus opem puero negat.

Diuinitus retardantur conatus Iudæorum.

§. 2. Puella item à Iudæis necata.

ANno ab Incarnatione Domini 1271. contigit in villa Teutoniæ Pfortzheim, vt anus quædam maligna & malorum inueterata, puellam septennem orbam parentibus, Iudæis, quibus erat familiaris, venderet occidendam. hanc igitur in secreto super plura paria linteaminum, obstructo eius ore, ad singulos fere mēbrorum articulos incidunt, sanguinem diligenter exprimunt, & in ipsis linteaminibus recipiunt. Exsangue corpusculum iuxta oppidum in profluētem proijciunt

Thomas à Cantiprato de Apib. l. 2. c. 29.

ijciunt, lapidum congerie obruunt: verùm tertio vel quarto inde die, manus ad cælum erectę indicio à piscatoribus inuētum, in oppidum infertur. horret populus nefas, & à Iudæis id perpetratum cōclamat. Erat in vicinia Marchio de Badem, qui re cognita venit ad spectaculum triste, statimque ipsum corpus erectum in pedes tendit ad Principem manus, siue vindictam, siue misericordiam implorans, & post horę dimidiatæ spatium, iterum se defuncti more supinum deponit. Adductis igitur impijs Iudæis, statim in testimonium horrendæ necis, omnia corporis vulnera copiosum sanguinem effuderunt: ex quibusdam indicijs capta vetula & conuicta, maximè cùm eam filia eius paruula prodiderit; adeo in pueris & vino veritas. Iudæi sceleris machinatores cum anu nefaria in rotam acti ac suspensi: duo se mutuò iugularunt.

§. 3. *Septem alij pueri à Iudæis incisi.*

Fontanus rerum memorabiliū l. 1.

IVdæi aliquot anno 1510. ob venerabilem Eucharistiam indignè tractatam comprehensi, in Marchionatu Brandeburgensi, fassi sunt, intra aliquot annos, se Christianorum infantes septem trucidasse, & acubus enecasse.

§. 4. *Simon puer Tridentinus.*

Ioannes Matthias Tiberinus medicus. quod Baronius in notis Martyrologij ait eum scripsisse eodem quo passus est anno, sc. 1475. 24. Martij.

IOannes Matthias Tiburinus, Senatui, Populoque Brixiano salutem. Rem miram, qualem à Passione Domini, ad hęc vsque tempora, nulla vnquam ætas audiuit, ad vos scribo. Crudeles Iudęi non solùm res Christianorum rabiosâ vsurarum fame consumunt, sed in capita nostra, perniciemque coniurati, filiorum nostrorum viuo sanguine pascuntur. Nuper in ciuitate Tridentina, tres familiæ Iudæorum considebant, quorum capita fuere Tobias, Angelus, & Samuel; hi ea in hebdomade, quam nos sanctam appellamus, die Martis,

Martis, 12. Cal. Apr. anno Incarnati Verbi 1475. conuenerũt in domum Samuelis, vbi Synagoga, & eorum templum, spectandi gratia vitulum viuentem, qui ad eos ea luce de Leuigi pago delatus erat: & dum inter se plurima vario sermone conferrent, Angelus ex corde rabido hanc vocem effudit: In ista Parasceue & carnes & pisces abundè nobis sunt; vnum tantùm nobis deest. Respondit Samuel; Et quid tibi deficit? tunc coniectis oculis ad inuicem, taciti intellexerunt quod de Christiano infante immolando loqueretur, quem in contemptum Domini N. I. C. mactant atrociter, & exhausto sanguine vescentes in azymis suis, à fętore, quo grauiter olent, Christiano se cruore præseruant, huncque suum appellant Iobel, id est, Iubilæum. Die autem Iouis omnes in Synagoga congregati ad Tobiam dixerunt: Animaduertimus neminem plus votis nostris posse satisfacere quàm te, quotidie enim cum Christicolis versaris, & pęne omnes tibi familiares sunt. Negat Tobias, & periculum in negotio multis assignat rationibus; at illi suis eum execrationibus adstringunt, & nisi pareat, minantur se ei perpetuò interdicturos Synagogâ. Tobias videns omnes in eum conspirasse, & pręmium iam sibi fore propositum, cæca auri cupidine captus; Aggrediar, inquit, libenter, Patres, prouinciam hanc. Verùm, vt nostis, pauper sum ego, & ad commodè viuendum ars mea non sufficit. Responderunt omnes: Affer puerum huc; nulla enim vnquam erga te nos arguet ingratitudo. Tunc ad Samuelem conuersus proditor, inquit; Nulla claue postes tui claudantur, vt si mihi quispiam opportunè obtigerit, intro possim illum leuiter impellere. Et transactis vesperis egressus, cœpit totam viciniam solus obambulare. Postquam verò locum illum attigit, quem Fossatum vocitant incolæ, insignem

Iudæi in Parasceue mactant Christianos pueros.

Tobias recipit se puerum Christianum suffuraturum.

Simeon 29. mensiũ infans. signem puerum ante fores patris super ligno sedentem conspexit nomine Simonem, qui nondum 29. mēses natus, adeo formosus erat in cunctis, vt in eo non comprehenderetur quod iure reprehendi posset. Et accedens lustrat neminem in puerum aduertere. porrigit Tobias digitum blandus infanti. speciosus puer, benignus vt erat & facilis, candida manu capit molliter indicem, sequitur ducentem.cumque genitoris sedem pertransisset proditor,rabida dextra prensat manum infantis pulcherrimam, & nunc illum trahit, nunc genibus in terga impressis eum impellit. tunc respiciens puer cœpit cum lacrymis pios extollere vagitus,& dulce matris inuocare nomen: exanimatus illico proditor denarium extrahit argenteum, & porrigens infanti, illum blando sermone compescuit:tali itaque capta occasione, in domum Samuelis puerum detulit; hîc Samuel velut Tigris expectans ad sanguinem, corripiens puerum ocyus in suum thalamum sustulit.Prætereo hic quanta tunc dracones illi affecti sunt lætitia: vlulabant siccis faucibus super Christianum sanguinem,& ne puer peregrino loco deterritus clamorem effunderet,alij porrigebant viuas,alij poma, alij res alias,quibus vt plurimùm infantes delectantur,donec silente puero,dies se cum nocte coniungeret. Interea mater pueri vt eum abesse vidit, percusso pectore, vnà cum coniuge totam vrbem explorabat.Pueri,& omnes, apud Iudęos eum inquirendum afferebant; fecissentque, nisi ob tenebras noctis densas, domum sese recipere compulsi fuissent.

Tobias infantem blandè abducit.

Atrocissima pueri innocentis excarnificatio. Silentium nox indixerat, cùm Moyses vnà cum reliquis atrocissimis Iudęis benignum illum deportantes infantem, ingressi sunt vestibulum, quod cum primis Synagogæ foribus adiungitur; ibique in scamno iuxta caminum residens puerum

rum suis genibus excepit. Porrò circumfusi omnes vestem ei ad vmbilicum & cubitos vsque verso ordine detraxerunt, colligentesque fluentem tunicam, succinxerunt lateri, ita vt à fœmore vsque ad talos detractis caligis nudaretur. Et apprehendens sudarium Samuel, quod eius pendebat à cingulo, colloque circumuoluens, comprimebat puerum, ne vagitus effunderet: alij verò manus pedesque continebant. Tunc producto Moyses cultro, summum virgæ perforauit infantis, correptaque forfice, cœpit maxillam dexteram iuxta mentum dilaniare, & particulam carnis abscissam in parato ibi cratere reposuit. Colligebant adstantes sacrum sanguinem, & alterno ordine, forfice porrecta, quilibet sibi frustulum viuæ carnis exscindebat. Sic fecerunt omnes primi, donec vulnus oui rotũditatem multùm excederet. Et si quando cedente laqueo puer gutture peritrepebat, admotis crebrò manibus ad os, illum crudeliter suffocabant. Hoc Moyses ita peracto, dexteram tibiam confestim eleuauit infantis, eamque suis super genibus statuens, aggreditur exteriorem partem, quæ inter cauillam & cruris musculum interiacet, similiter eodem ferro conuellere, & capta forfice vicissim carnem viuam, viuo cum sanguine lacerabant. Postmodum sęuissimus senex ille, tanti sceleris caput, semimortuum erigens infantem, petijt Samuelem à sinistris pueri secum considere, & vterque sanctissima illius brachia, instar Crucifixi violenter extendentes, hortabantur reliquos vt sacrum illud corpus duris acubus infoderent. Collecti ergo omnes circum, incipientes à vertice vsque ad plantas, illum densis ictibus perforabant, dicentes: Sicut IESVM Deum Christianorum, qui nihil est, trucidemus istum; sic inimici nostri confundantur in æternum. Iam plusquam

Scindunt particulas è maxilla pueri.

Acubus corpus eius foratur.

Zz per

per horam miserandus puer terribili durauerat in supplicio,& interdicto spiritu,collapsis viribus deficiebat, attollens graues oculos in cælum,Superos aduocare videbatur in testes, & fatigatam tandem ceruicem demittens, sanctum Domino reddidit spiritum.Tunc Moyses & omnes reliqui oculos & palmas eleuantes in cælum, egere gratias Deo, quòd de Christianis vindictam simul & sacrificium obtulissent: relictoque illic corpore cum plausu summo per tecta discurrentes,ineffabilem lætitiam se percepisse demonstrarunt: & descendentes ad cœnam,seruis præcepit Samuel, vt sub cadis vinarijs illud occulerent: timebant enim proclamationes Antistitis,&(crebrescente in eos magis magisque fama)ne furore populi capti & cęsi ad torturam subitò traherentur. Altero die, qui passionem Domini cunctis in Christum credentibus in memoriam reuocat, restrictis labentibus in vrbem fluuijs, parentes infantis vnà cum cohorte Prætoria vbique quęrentes non inuenerunt eum. Die autem Sabbathi conuenientes Iudæi in Synagoga, cunctis cernentibus, cadauer super almomor (ita mensam, vbi Psalmos, Antiphonas, Hymnosque decantant, aut altare vocant) extenderunt: perfectisque orationibus suis, rursus in eodem loco reposuerunt corpus. Tertio verò die, qui sanctum Pascha Christi fidelibus attulerat, vt præsenserunt Iudæi omnium pene mentes in eos esse intentas, inito consilio,libratisque multorum opinionibus, dixerunt: Proijciamus illud vestitum in flumen, quod nostra subterfluit domo; & euntes ad Pontificem, dicamus, quoniam illud in domum nostram aqua deduxit, & crate ferrea retentum non potuit vnà cum flumine delabi. Talibus visis nemo credet Iudęos puerum extinxisse.Placuit omnibus sententia; & ascendens ad Pontificem prodi-

Decedit è vita S. Puer.

proditor, rerum seriem eo quo fuerat institutum ordine, aperuit. Tunc gauisus Pontifex Prętorem & Præfectum Tridentinæ ciuitatis illic vbi iacebat puer, iussit secum accedere, quem extractum, pannis inuolutum, annotatis diligenter vulneribus, in Basilica S. Petri collocarunt, vbi maxima populorum languentiumque confluente frequentia multis maximisque in dies fulget miraculis. Ecce Christiane, IESVM inter latrones rursus crucifixum. Ecce quid facerent Iudæi, si inter Christi fideles haberent imperium. Ob hoc scelus Iudæi omnes catenis sunt constricti, carceribus non prius egressuri quàm debitas pœnas luant.

Pueri corpus claret miraculis,

Iudæi omnes capti.

§. 5. *Simon alius eandem coronam meruit.*

EOdem nomine nuncupatur puer alius, cui sors eadem contigit. Non procul ab vrbe Vilnensi, sub ferias Christi Domini existentis ab Inferis, à Scholastico nostro repertum est cadauer pueri nouem annorum (Simonem parentes vocabant) multis vulneribus arte quadam concisum, ad sanguinem ex omnibus venis eliciendum; ita recens à cæde, vt etiam calere & pene spirare videretur. haud dubie criminis suspicio pertinebat ad Iudæos, hominum genus in huiusmodi immanitate versari solitum, quique ipsi pecunia perfecerunt, vt res in quæstionem non adduceretur.

Ex literis Societ. anno 1192.



CAPVT VII.

TRVCIDATI, TELIS CONFOSSI.



ENIVS eſt tormenti genus, quo velut inſcio corpori ſanguis elicitur, & vitali ſuccedit calori exſuccus pallor: atrocius illud, cùm truculento ore lictor, minaci ſupercilio, terrifica voce, aut mucrone tenellum cominus trucidat, aut eminus telis certo deſtinat vulneri locũ, aut ſagittis pectus configit. ſed tali delectetur ſcopo ſæua crudelitas, volent ſagittæ, & pectus totum cooperiant, vt erycij horreat in modum: immoto latere perſtabit animoſus puer. Verùm quid ita inſuetus doloris puer, aſſueta dolorem inferre tela non ſenſiſti? *Sagittaueras*, inquit & ipſe, *tu Domine cor meum ſagitta amoris.* Atqui vita ſpoliaris. Et lubens, ait, vt meliore fruar: licet verò caueam vis inimica confringat, nullum tamen telum hac incluſam auiculam poteſt appetere: quot hiabunt in corpore vulnera, tot patebunt feneſtrę, quibus auras illa æthereas præpeti petat volatu.

§. 1. *SS. Innocentes Protomartyres.*

Martyrol. Rom. 28. Decemb. IN Bethleem Iudę celebratur Natalis ſanctorũ Innocentium, qui ab Herode Rege pro Chriſto interfecti ſunt.

Nicephorus l.1.c.14. De his ſic Nicephorus: Herodes cùm voto ſuo excidiſſet, captumque ei conſilium minus ſucceſſiſſet, cùm vindictę in Magos cupiditate, à quibus illuſum ſibi eſſe putabat, incenſus, tum periculo regni amittendi concitatus, contra infantes, qui nihil ei iniurię intuliſſent, indignationem

irámque

irámque euomit, & aduersus naturam omnem insurgit; Bethleemiticos enim pueros vniuersos, qui bimuli, teneriorésve essent, edicto interficiẽdos sancit: in communi & vniuersali Innocentium cæde, simul occisurum se esse eum, cui per ęmulationem insidias struebat, existimans: & lugere, eiulareque omnes alios (proh hominem ab omni misericordiæ humanitatisque sensu alienum!) volens, vt ipse modò metu omni leuaretur. Obseruauerat is certò stellę exortum, quòd eam biennio antè à se in Perside visam Magi dixissent: atque inde coniecturâ acceptâ extra sensum affectionemque omnem positus, infantes contrucidauit. quod profectò quispiam ne aduersus inanima quidem commiserit: quippe tenellos flores conspiciens, per commiserationem ab eis excidendis se abstineret: neque carpere, vt ita dixerim, pergeret, quę comprehendi non possent. Hæc ille.

Augustus Cęsar (vt refert Macrobius) inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum audiens, ait: *Melius est Herodis esse porcum, quàm filium.* *Li. 2. Satur. c. 4.*

Numerus infantium horum dicitur in Calendario Græcorum, die 29. Decemb. fuisse ad 14. millia. idem dicitur in Liturgia Æthiopum. Cur autem iisdem infantibus nomen & honor Martyrum deferatur, consule August. Martyriũ verò lauit eos à peccato originis, sicut alios communiter pueros lauat Baptismus; nam secundum Cyprianum, præfatione libri de Exhortatione Martyrij, Martyrium est Baptismus, & Baptismo aquę prẹstantior. Porrò Martyrium conuenit cum baptismo in tribus effectibus: primò enim remittit peccatum originale in infantibus. 2. martyrio configurantur Domino, immo magis quàm baptismo *Aug. Epist. ad Hieron. 28. de natura & origine animarum.*

baptiſmo aquæ. 3. remittit omnem pœnam peccato debitam. Quid igitur mirum, ſi infantes Bethleemitici Martyrum catalogo adſcribuntur, qui etſi non loquendo, at certe moriendo Chriſtum confeſſi ſunt?

Auguſt. ſerm. 2. *Quàm beata ætas*, inquit Auguſt. *quæ necdum Chriſtum poteſt loqui, & pro Chriſto meretur occidi: nondum opportuna vulneri, & iam idonea paſſioni!* Et alibi: *Qui iure dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas, quædam perſecutionis pruina decoxit.* *Idem ſerm. de Sanctis in appendice 72.*

§. 2. *Duo Regis filij.*

Beda hiſto. Angl. l. 4. c. 16. Ceadualla Vectam inſulam expugnaturus, promiſit, ſi voti compos fieret (quamuis nondum Chriſti ſacris imbutus) quartam inſulæ idolorum cultui adhuc deditæ partem, ſe Chriſtianę fidei exercitijs liberam permiſſurũ. quod & præſtitit. Inter primitias verò eorum, qui de eadem inſula credendo ſaluati ſunt, duo Regij pueri, fratres vid. Arualdi Regis inſulę, ſpeciali ſunt Dei gratia coronati. Siquidem imminentibus inſulæ hoſtibus, fuga lapſi ſunt de inſula, & in proximam Vitorum prouinciam tranſlati. vbi cùm occultandos ſe à facie Regis victoris credidiſſent, proditi ſunt, atque occidi iuſſi. quod cùm audiſſet Abbas quidam, habens non longè inde Monaſterium, venit ad Regem, qui tunc eiſdem in partibus occultus curabatur à vulneribus, quæ ei inflicta fuerant prælianti in inſula Vecta; poſtulauitque ab eo, vt ſi neceſſe eſſet pueros interfici, priùs eos liceret fidei Chriſtianę ſacramentis imbui. Conceſſit Rex, & ipſe inſtructos eos verbo veritatis, & fonte ſalutari ablutos de ingreſſu regni æterni certos reddidit: moxque illi inſtante carnifice mortem læti ſubiere temporalem, per

quam

quam ſe ad vitam animæ perpetuam non dubitabant eſſe tranſituros.

§. 3. *S. Chenelmus.*

TEmporibus Henrici III. Imper. Renelphus Rex Merciorum Chenelmum filium ſeptennem Quandridæ ſororis filię alendum commiſerat. illa falsò ſibi regnum præſagiens, infantulum tollendum è medio ſatellıti, qui alumnus pueri erat, mandauit. Qui puerum venatum ducens inter fruteta obtruncauit. Quod cęlatum in Anglia, ſtatim Romæ innotuit diuinitus. Nam membrana ſuper altare B. Petri ſuperne delapſa, elementis Anglicis ſcripta, columba deferente, & necatum, & ſepultum per ordinem prodidit. Quæ à quodam Anglo interpretata eſt. & mox epiſtola Papę Regibus Angliæ compatriotam martyrem indicauit. Vnde frequenti cultu corpus leuatum eſt innocentis cum magna ſolennitate: cumque deferretur Vincelcombam, Clericorum cantu & Laicorum plauſu excitata, Quandrida Parricidalis femina e feneſtra cœnaculi, in quo ſtabat, caput extulit, & forte pſalterium habens præ manibus, continuatione lectionis peruenerat ad pſalmum, *Deus laudem meam ne tacueris.* quę à fine neſcio quo præſtigio, retrograde dicens, nitebatur canentium lætitiam infirmare. Tunc verò vi diuina oculi veneficæ à cauis orbibus euulſi, cruore polluerunt verſum illum; *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum.* Extant vſque hodie in ipſo libro cruoris ſigna, immanitatem mulieris & vltionem Dei ſpirantia.

Antoninus p. 2. tit. 15. Variarum hiſt. 1 ſec. c. 7. §. 5. Vvilhelm. Malmeſbur. de geſtis Reg. Angl. V[illegible] in Martyrol. Vincentius c 3. Petr. in cat. l. 10 c. 9.

Pſal. 108.

§. 4. *S. Brixius puer.*

SAnctus Brixius martyr de ſacro fonte leuatus eſt à S. Liuino, qui apud matrem eius nobilem & religioſam matronam Craphaildem hoſpitabatur,

Ex G[illegible] ſis Cl[illegible] ficio [illegible] vetus [illegible]

Molanus 12. Nouēb.

batur, cum qua etiam immaniter est trucidatus eodem die quo B. Liuinus, eò quòd ipsa palam quereretur, sanctum Episcopum immeritò esse interfectum. Natalis neutrius celebratur: in festo tamen translationis reliquiarum Ecclesiæ S. Bauonis, in Missę sacrificio commemorationem habet innocens filiolus per sequentem Collectam: *Propitiare nobis, quæsumus Domine, famulis tuis, per Sanctorum Confessorum tuorum Bauonis, Landoaldi, Macarij, atque Amantij, & BB. Martyrum tuorum Liuini, Adriani, Brixij, & SS. Virginum, Barbaræ, VVincianæ, Landradæ, Pharaildis, & ceterorum, quorum reliquiæ in præsenti Ecclesia requiescunt, merita gloriosa: vt eorum pia intercessione ab omnibus semper muniamur aduersis.*

Cùm autem Cornelius Iansenius Episcopus Gandensis feretra quædam Sanctorum visitaret, quæ in subterraneis locis propter Gueseos latuerant, in eo quod dicebatur & credebatur esse S. Adriani martyris, internuncij S. Landoaldi, inuenit reliquias totius corpusculi S. Brixij integras atque illæsas cum ceteris, in quibus scriptum erat: *Hic requiescit S. Brixius puer, Martyr Christi preciosus, sanctissimi Liuini Episcopi & Martyris in baptismate filius. Has reliquias transtulit Dominus Betto Abbas Gandensis Cœnobij in istud scrinium 5. Id April. Anno* 1175.

§. 5. *Puer cum parente suo à Barbaris trucidatur.*

Nilus Monachus de interēptione Patrum in Sina apud Metaphr. & Sur. 14. Ian.

CAptum virum Christianum quendam Barbari cum filiolo vespere in cœna præbibendo inuitabant poculis, & benignis verbis, volentes ludere ludum sibi consuetum & gratum (erat autem id quod ad delectationem agebatur, hominis cædes) mittunt ad eum calicem, vt bibat vni ex suis filijs, cùm alterum paulò antè mactassent.

Ille

Ille autẽ vix quidem accepit inuitus, vt cuius appetitus eſſet metu mortuus ante corpus: accepit tamen metuens: bibens enim ſignificabat ſe neceſſitate adductum id facere, vt qui violentis oſtenderet ſonis id à ſe fieri præter animi ſententiam: Non enim quietè fauces permeabat potus, ſed in genis quodammodo reſtagnans, ad mentum veluti ad vallem aliquam aſperam, cum maximo ſonitu deuorationis, vix peruaſit thoracem. Cùm ſic ergo tandem per vim potum accepiſſet, mittunt qui eum interficeret. Erat autem is iuuenis: nam eis quoque cædes committunt, ab ineunte ætate prouocantes eos ad crudelitatem: ille autem ob ebrietatem bacchico furore percitus ad tam inhumanum opus magno contendit ſtudio, quam ex actione capiebat voluptatem, riſu indicans: & ad iacentem accedens, primùm quidem eum ferit in colli vertebris, & cùm propter oſſium duritiem parum ſcidiſſet, protinus illinc quidem tollit enſem, per iacentis autem latus eum tranſadigit. Deinde cùm rurſus in prima vertebræ ſectione certiùs & opportuniùs percuſſiſſet, reuertitur exiliens, manu enſem in aëre quatiens. Puer verò præ dolore diu quidem palpitauit, & ſubſultauit, & eiulans volutatus eſt in ſanguine. Tandem autem cùm in ſpiram conuolutus caput inclinaſſet ad ventrem, & pedes ad eum contraxiſſet, vt qui vellet erigi, illa conuerſatione ad prunas appoſitas ſe deuoluit. Cùm verò maiorem, vt eſt conſentaneum, ex igne ſenſiſſet dolorem, rurſus quidem pedibus & manibus neceſſariò inſtar piſcis ſubſiliebat, aſſiduè erigens partẽ quæ torrebatur. Cùm verò non poſſet ampliùs ſibi ipſi opem ferre, vtpote quòd vnà cum ſanguine excretę eſſent vires, rogo liquefactus interijt duobus ſimul affectus ſupplicijs, nempe enſis, & ignis.

Crudeliſſima pueri cædes.

Deuoluitur in ignem.

§. 6. *Duæ sub Rege Dunaan passæ Virgines.*

Baron to. 7 anno 522. ex Metaph. adstipulātur Græci Zonaras, Cedrenus, Nicep. &c.

DVæ eximia pulchritudine Virgunculę matrem viduam ad martyrium properantem sequebantur, quarum prior annorum duodecim cùm Regem audiret Christi nomen blasphemo ore, & maledictis insectantem, Tyranni oculos consputauit. Qui autem circumsistebant, non zelum, & id quod iure fuerat factum, laudantes, sed tempori seruientes, ipsam & sororē ense mox conficiunt; & cùm ex defluente sanguine manibus planè feri homines accepissent, eum matri offerunt: Rex enim ita iusserat. Illa verò (ô fortem & generosum animum!) & lubenter eum gustat; & cùm ad cælum sustulisset oculos: Tibi, inquit, Christe Domine, hoc meum sacrificium offero, & tibi Martyres exhibeo castas Virgines, quæ egressæ sunt ex vtero meo, cum quibus me quoque connumeratam introduc in tuum thalamum, & (vt dicit diuinus Dauid) ostende *Matrem propter filios lætatem.*

Psal. 112.

§. 7. *Pueri aliquot S. Clementis Ancyrani discipuli.*

Metaphr. apud Sur. 23. Ianu.

TRedecennis fere erat Clemens, cùm parētibus orbatus à Sophia optima matrona adoptatus est: quo tempore cùm fames inuasisset Galatiam, & omnibus similiter hominibus & pecoribus afferret exitium, ipse tollens infantes Gentilium, quicumque relicti fuerant orbati parentibus, & quicumque rursus propter paupertatem in viam proiecti fuerant, & amictu quo corpus tegerent, & alimento egebant necessario, alebat, vestiebat, instituebat, & (quod his erat longè maius) ad Deum adducebat: ea quidem quæ ad corpus pertinebant, ex fidelis Sophiæ pecunijs lætus suppeditans; quæ autem ad doctrinam pietatis, & morum ornamentum, & animæ vtilitatem, à domo ipse

Zelus animarum in puero.

mo ipse proferens ex sapientia spiritus. Quod quidem ita doctrina sua cęlesti irrigauit, vt procedente tempore excitaretur eorum animus, & tándem cum ipso Clemente decertarent. Quocirca non solùm multos habebat filios, sed eos bonos, & bene educatos Sophia, quę priùs carebat filijs, veluti quandam ciuitatem ex his construens adolescentibus, Deo vndique circumdatam, qui est murus longè tutissimus.

Cùm autem ad Domitium, cui Amesenorum data erat administratio, deducerentur Martyres, Sophia, quę filiorum aut martyrum potiùs amore tenebatur, ab eis abesse non potuit, sed prompto & alacri animo sequebatur, cum eis qui ab ea alebantur pueris. De quibus cùm relatum esset ad Maximianum, iubet, vt si voluerint quidem discedere à Clemente, eis permittat domum redire: sin verò ab eo non facilè recedant, vt eos morti dedat. Cùm hæc ergo in pueros lata esset sententia, eos apprehendentes milites conabantur per vim auellere à Martyre: cùm ab eo autem disiungi non sustinerent, ipsos se humi deijcientes, & ambabus manibus pedes illius amplectentes, non priùs dimiserunt, quàm vnusquisque eorum ense vitæ finem acceperit, cùm constantiam & prudentiam supra ætatem ostendissent, & apertè monstrassent, perfectum hoc donum descendisse desuper à patre luminum, boni animi & instituti munificentissimam remunerationem. Atque locus quidem, cui puerorum corpora sorte obtigerunt, appellatur Campus. Sophia eorum corpora tumulauit. Pueri aliquot necantur.

§. 8. *Alphonsus puer.*

ANno 1583. in Salsetana insula, Goæ vicina, à Barbaris occisi sunt quinque è Societate IESV, inter quos Alphonsus Paciecus, cuius breuia- *Ex lit. Soc.*

breuiarium quidam Alphonſus item nomine, puer 15. annorum, quòd vltro noluiſſet tradere, vtramque ei manum amputarunt, ac deinde in fidei confeſſione perſiſtentem, crudeliſſimè pugionibus confoderunt; atque ita generoſius puer ſine manibus victor occumbens apprehendit vitam æternam.

§.9. *Pueri 15. à S. Paphnutio conuerſi ſagittis confodiuntur, vnus igne crematur.*

Metaphr. apud Sur. 28. April.

B. Paphnutius ibat per totam ciuitatem quærens qui ad brauium ire vellent; noctes autem in diuinis precibus tranſigebat. Cumque exijſſet ab vrbe, inuenit ſexdecim pueros ad gymnaſium euntes, illorum Senatorum filios, qui martyrium ſuſtinuerunt. Beatus igitur Paphnutius cùm ante illos ſtetiſſet, eoſque ſalutaſſet; Miror, inquit, filij, quòd velitis à veſtris parentibus abalienari, qui Christi regnum ſibi delegerunt, & in cęlis regnant, nuncque in illa Sanctorum Dei metropoli cum Angelis eius ſe oblectant. Obedite igitur mihi, ô filij, & credite Deo meo, in quem & parentes veſtri crediderunt, ac me ſequentes veniatis ad Arianum Pręſidem, & confiteamini IESVM regem ſæculorum, & vno animo eatis ad cælos, ad illum veritatis magiſtrum, & vera diſciplina erudiamini. Statim puerorum mens verbis B. Paphnutij confirmata eſt. itaque ſimul Deo crediderunt, dicentes: Eamus, eamus Pater Paphnuti, nihil impedimento ſit noſtrę alacritati: iam enim à mundo hoc alienati ſumus, & corda noſtra in cęlis ipſis verſantur, vbi eſt & domus parentum noſtrorum. B. igitur Paphnutius ante illos currebat, velut aliquis paſtor gregem ſuum ducens; cumque ad tribunal veniſſet, clamans voce magna: Tribunal, inquit, tribunal, contra te denuo veni, Ariane Tyranne, tu cum Apol-

line

line tuo,& ego cum Domino meo IESV CHRISTO. Arianus autem iussit milites gladios educere,& B.Paphnutium circumdare, sed subitò ille à Spiritu sancto ereptus fuit.

Id cùm sexdecim pueri vidissent, ascenderunt ad tribunal,vociferantes:*Christiani nos sumus;en vt liberè hoc dicimus*. Quibus Arianus: Vbi sunt parentes vestri? an vt infantes vos petulantes estis? Habemus, inquiunt pueri, ætatem ad respondendum tibi valde idoneam: Nos sumus illorum filij,qui martyres fuerũt,& nunc apud Deum sunt. Sacrificate, inquit Præses, ne corpora vestra sub tormentis dispereant. Respondentes autem pueri,dixerunt:Crucia nos quibusuis tormentis:non enim sacrificamus. Arianus verò cùm in illos intuens quendam vidisset alijs natu minorem, annum ferè decimum tertium agentem: Quidnam, inquit, ô fili tibi proderit,si morte pessima sublatus fueris? Quin potiùs audi me, fili mi, vt apud nos sis,& plurimas pecunias tibi largiar,scribamque ad Imperatores, qui honore te decorabunt, modò iustis dijs Apollini & Dianæ sacrifices, de quibus & diuina Imperatoris maiestas scripsit, quod hi sunt dij viui. Tunc puer: Et vbinam est Imperatoris edictum, in quo de ipsis dijs ita scriptum fuit? Tunc Arianus iussit edictum proferri. Quod cùm sacerdotes sumpsissent, ipsum adorarunt. Similiter & Præses assurrexit, & edictum amplexatus est, pueroque dedit. Illud cùm puer accepisset ac legisset,inuenit septuaginta Deos in illo scriptos,de quibus Diocletianus scripserat,vt adoratio & libamen eis offerretur. Iussit autem Arianus ignem ad aram accẽdi: cumque thus accepisset, tam ipse,quàm reliqui homines, in ignẽ coniecerunt. At puer pro thure, ipsum Imperatoris edictum in ignem coniecit, dixitque: *Vnus est Deus Pater Domini nostri IESV Christi:qui verò in edicto*

Liberè Deũ confitentur.

Pueri tredecennis mira constantia.

70. dij Diocletiani.

edicto Imperatoris tanquam dij scripti sunt igne redarguentur. Sacerdotes autem cùm suorum idolorum libellum comburi vidissent, vellebant crines è capitibus suis, & in furorem conuersi gladijs se lacerabant. Arianus ea re indignatus iussit puerum in arâm tolli, & viuentem comburi. Illum igitur abreptum milites in mediam ardentis ignis flammam iniecerunt. Æquales verò pueri alta voce sic eum rogabant: *Frater & consors nostrorum certaminum, memento nostri apud altissimum Deum: nam propter tuam prudentiam primitiæ Deo ipsi, & sacrificium tu ante nos oblatus es. Itaque & Præses animi tui fortitudinem, & ipsi Græci prudentiam tuam obstupuerunt.* Hæc cùm illi dicerent, puer spiritum suum in medio igne Deo reddidit. At Præses maximè indignabatur, quòd Imperatoris edictum combustum fuerat: quamobrem cùm reliquorum puerorum nomina denotasset, iussit illos iaculis transfigi. Statim igitur milites extra vrbem illos circumdederunt, & quindecim pueros illo die iaculis transfixerunt: perfectumque fuit illorum martyrium, & immortale Dei regnum ipsi etiam possederunt.

Viuus crematur.

14. pueri iaculis transfiguntur.

§. 10. *S. Christina virgo annorum vndecim sagittis configitur.*

Ado Archiepi. Treuir. 9 Cal. Aug. Sur. 24. Iulij. Marul. l 5. c. 6.

APud Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natale S. Christinæ Virginis; quę in Christum credens Deos aureos Vrbani patris sui Pręfecti contriuit, & pauperibus distribuit. Ob hoc iubente patre alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem coniecta est. Post hoc cùm diutissimè & crudelissimè dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. Iterum carceri tradita, Angelo visitan-

visitante sanata est, & resecta. Deinde cum magno saxi pondere in lacum Vulsinum iactata, Angelico præsidio liberata est. Quam successor patris eius Dion multis iterum supplicijs afflixit. Sed orante illa, simulacrum Apollinis, quod adorare iubebatur, in fauillam subitò redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conuersa sunt. Nouissimè successor prædicti Iulianus, post fornacem candentem, vbi quinque diebus illæsa permansit, post serpentes à venefico immissos, sed Christi fide superatos, post abscissionem linguę, sagittis eam configi pręcepit: sicque Martyrij cursum consummauit anno ætatis suæ vndecimo.

Sagittis configitur virgo annorum vndecim, quod idē asserit Beda.

§. II. *Item S. Eutropia virgo duodennis.*

ITa loquitur Brienna S. Febroniam animans ad Martyrium fortiter perferendum: Filia mea Febronia, recordare quod te secundum iam annum agentem in manus meas à nutrice tua acceperim, & ad hanc diem nemo faciem tuam vidit: feci vt cum mundi huius mulieribus non versareris; en vt hactenus te custodiui immaculatam. Nunc autem quid faciam tibi filia mea? Oro ne senectutem Briennę dehonestes, ne laborem spiritalis matris tuæ inanem efficias. Memoria repetas certatores illos, qui ante te fortiter & gloriosè Martyrium passi sunt, victoriæ coronam ab illo cælesti certaminum Præside percepisse; non viros solùm, sed etiam mulieres recordare. Recordare, quemadmodum puella Eutropia, duodecim annos nata, Martyrium sustinuerit. An non semper Eutropię obedientem animum, & eius tolerantiam, ac patientiam admirabaris, cùm eam Iudex ipse vinculis exolutam, sagittis peti iussit, vt præ metu fugeret? Sed illa matrem ita sibi dicentem audiens: Filia mea Eutropia, vide ne fugias.

Metaphr. apud Sur. 15. Iunij in vita S. Febroniæ.

Febronia optime à teneris instituta.

gias manus ſibi poſt terga deuinxit, & ſagittis percuſſa in ſolum cecidit, & ſtatim ſpiritum emiſit, & matris preceptum non violauit. Nonne puellæ huius patientiam tu ſemper admirata es? Et illa quidem puella erat omnium literarum rudis atque ignara: tu verò & aliarum magiſtra exiſtis.



CAPVT VIII.

AQVIS, VEL ALITER SVFFOCATI.

QVid intereſt, rigidóne, an liquido tumuletur quis elemento? aquíne, an igne? terráne, an aëre finiat quis vitam? mortis cauſa eſt attendenda; non mortis genus. Nulla pro Deo morienti mors eſt indecora, metuenda nulla. At qui aquis aliáve ſuffocantur via, Deum nequeunt lingua fideli confiteri. Non hìc Stentorea voce eſt opus: ingens eſt in auribus Dei clamor, amor; elinguis loquitur, præfocatus eructat verbum bonum, opera ſua ſummo dedicat Regi. Non illum oris obſtructio, non ſuffocantes aquæ, non informis lethi nodus ab alta trabe nexus, vnquam ſupprimat, in altum ſemper nititur, euaditque victor.

§. 1. Pueri Iſraëlitarum filij.

1.Machab. c. 1. MVlieres, quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur ſecundum iuſſum Regis Antiochi; & ſuſpendebant pueros à ceruicibus per vniuerſas domos eorum. Et l. 2. c. 6. *quas infantibus ad vbera ſuſpenſis*

cum

cùm publicè per ciuitatem circumduxissent, per muros præcipitauerunt.

§. 2. S. *Marcellinus puer.*

ARgeus, Marcessus, atque Marcellinus puer, fratres, passi sunt in Ponto, ciuitate Tomis. Qui Marcellinus sub Licinio Principe inter tyrones comprehensus, cùm nollet militare, dicens se Christianum, nulla ratione debere terreni, Principis adscribi militiæ, cæsus ad mortem, & diu in carcere maceratus est. Et dum sic detineretur in vinculis, & Argeus & Marcessus fratres eius ipsum visitassent, & ipsi deprehensi quod Christiani essent, coguntur idolis immolare, cùm essent inter militares adscripti. Sed non consentientes à Tribuno suo decollati sunt. Marcellinus verò in mari mersus, Martyrium consummauit. qui passi sunt 4. Non. Ian. hæc Ado.

Pet. de Nat. li. 2. c. 36. Et Ado.

§. 3. *Puer quidam nobilis.*

CArthagine filius cuiusdam Nobilis, annorũ circiter septem, iussu Cyrillę, à parentibus separatus est, matre sine verecundia matronali, solutis crinibus post raptores tota vrbe currente, infantulo clamante vt poterat: *Christianus sum, Christianus sum.* Cui etos obturantes, insontem animam in suum gurgitem demerserunt.

Victor li. 3. persec. Vandalica. Baron. to. 6.

§. 4. S. *Martiel & S. Nona cum filijs* 12.

S. Martiel & S. Nona ciues Legionis fuerunt, & genere Nobiles, qui filios habuerunt numero 12. Christianæ Legionis cultores sanctissimos, quorum vndecim cum patre Martiele vno die martyrium passi fuerũt acerbissimum: quos cùm S. Nona vidisset extinctos, vnicum filium paruulum brachijs complexa, flexis genibus, & multis perfusa lacrymis, Deum orauit, vt eam cum filio à vitę periculis eriperet. Et cùm hoc dixisset, re-

Lucius Marineus Siculus. de rebus Hispan. l. 5. Meminit etiam horum Io. Marianal. 4. c. 12. de rebus Hisp. sed Marcellum vocat.

pentè lacus exortus est, qui statim matrem cùm filio diuinitus absorbuit. cuius aquam bibentes infirmi sanantur; vbi Legionensis ciuitas circa lacum, templum ædificauit, quod S. Nonæ dicitur.

§. 5. *Thomas Scherodus pro fide suspensus.*

In historia Anglicana.

ANno 1578. decima septima Februarij die, Londini puer 14. annorum, liberalis admodum formæ Thomas Scherodus, post sex mensium captiuitatem, post catenas, post inediam, post alia plura tormenta, in arce Londinensi patibulo appensus est, solùm quia diuersis quæstionibus à Iudicibus institutis satisfacere nolens, confessus fuit penes Papam, supremam Ecclesiæ esse potestatem,

§. 6. *Infans in odium fidei intoxicatur à matre.*

Ioã. Hayus in hist. Indica anno 1599.

INfantem recens natum mater Mahometana suo primum consensu atque adeo rogatu, & precibus baptizatum, ipsa postea, vicinos & consanguineos petulanter insectantes non sustinẽs, irata veneno sustulit, quod cum lacte infantis ori ingessit, in profesto Ascensionis. Infantulus in tetro illo & miserando septemdecim horarum cruciatu Christum non loquendo, sed moriendo confessus, ante altare vitam finiuit in ipso Ascensionis die, qui à Natiuitate quadragesimus erat, & à baptismo decimus octauus. Scripsit P. Emanuel Pinerius, puerum, postquam animam Christo reddiderat, tantâ, tamque inusitatâ specie vultus gratiâ resplenduisse, vt beatæ animæ gloriam, quam ad Christum ascendens erat consecutus, videretur iam vultu repręsentare.

CAPVT

CAPVT IX.

LAPIDIBVS OBRVTI, PENITVS CONTRITI.

GRANVM sinapis commendant sacræ paginę quod tam exiguum cum sit, tantam tamen surgat in arborem, vt aduolantes ab alto volucres in eius ramis placide conquiescant. Non minori vos, pueri, dignos admiratione prędico. quibus exiguitas prima non obfuit, quo minùs in altum surrigentes caput, cœli incolas euocaretis, suauique Dei allapsu, ac familiaritate frueremini: paruum quidem est sinapis granum, sed magnæ acrimoniæ capax, quam tamen non prodit, nisi disruptum, penitusque contritum. quis tantam in tam paruo claudi puerorum pectusculo virtutem existimasset? omnino, diffringi debuit & velut pilo contundi, vt conclusa sese vis exereret, & suauis ad circumfusos late populos odor emanaret.

§. I. *Mammes puer.*

TEmporibus Aureliani erat in ciuitate Cæsarea Cappadociæ puer septem annorũ Mammes nomine. Hic mortuis parentibus decretum Aureliani dę cultu idolorum abhorrens, in montem, cuius sylua densissima erat, secessit, ibique viuebat lectioni tantùm & orationi vacans, & lacte gregis sui se pascens. Audita autem voce cælesti vt in campum descenderet, descendit, ibique virgam & Euangelium inueniens, ea tulit, & in mõtem ascendit. Legente autem eo librum quem inuenerat in campo, conuenerunt illuc diuersa ferarum genera quæ prostratæ ipsum adorabant, & post

Ex vita S. Mammetis pueri Speculum exem. dist. 8. § 97 & Petrus de Natal. l. 7 c. 72.

& post flexa genua, sursum ad eum respiciebant. Tandē egressis feris masculinis remanebat feminæ cum gregibus mãsuetis, vberibus lacte plenis, quas puer Dei cum suis mulgens, & coagulans, & caseos faciens, cùm sibi abundare vidisset, quærens à Domino quid inde faceret, responsum accepit, vt ad portam Cęsareę descenderet, & pauperibus distribueret.

Infõs puer agit cũ feris familiariter.

Hoc videntes quidam Præsidi Alexandro retulerunt quod in illo loco Magus esset, qui omnes feras syluarum maleficaret. tunc Iudex æquites duos misit ad eum: quibus ille obuians, in habitaculum suum duxit, eisque caseum & aquam apposuit. Quibus manducantibus, facta est congregatio animalium sedente eo, & legente Euangelium. quod videntes illi confugerunt ad eum. Confortauit autem eos puer sanctus ne timerent: & dimissi ab eo, visa Præsidi retulerunt. Puer autē sanctus eos sponte sequutus, coram Pręside Christianum se profitens, cùm sacrificare respueret, suspensus torquetur, cumque gratias agens in cęlum intenderet, audita est vox dicens: *Confortare Mammes, & viriliter age.*

Tunc depositus, & in carcerem missus plus quàm 40. viros fame pene deficientes ibidem inuenit. Orante autem eo, columba cælitus missa, portans lac & mel per fenestram intrauit. Accipiens autem illud Mammes, simul cum eis manducauit.

En vis orationis.

Post hæc puer in fornacem mittitur, sed statim ignis extinguitur. Deinde locato eo in amphitheatro, vt à bestijs laceraretur, ab eis illæsus relinquitur. Deinde alius quidam leo de monte descendens, per ciuitatem, nullum lęsit, sed festinans ad amphitheatrum, S. Martyri dixit: O natura hominis Spiritu S. cooperta, ecce tui causa cogor ab Angelis contra naturam loqui. Hæc eo dicente, am-

amphitheatri ostia ab Angelis clausa sunt, vt nemo egredi posset, & ascendens leo multitudinem Paganorum & Iudæorum laniauit, solusque Præses cum socio illæsus remansit, iubente Sancto ne eum læderet. Tandem sanctus puer ab Angelis euocatus lapidibus obrutus emisit spiritum. Obruitur lapidibus.

§. 2. *Sancta Emerentiana.*

EMerentiana Virgo Romana, collectanea B. Agnetis adhuc Catechumena, fide & charitate flagrans, furentes in Christianos Idolorum cultores, cùm vehementiùs accusaret, à concitata multitudine lapidibus obruta est: quę in cruciatibus orans ad sepulcrum S. Agnetis proprio sanguine quem pro Christo constanter effudit, baptizata, animam Deo reddidit. *Breuiariũ Roman. 23. Ianuarij.*

§. 3. *S. Quiricus infans cum matre Iulitta.*

IVlitta, admiranda sanè pietate Vidua, vt furorem Diocletiani fugeret, non effugeret, relicta possessione sua ad diuersa loca se recepit vna cum filio suo trimulo. Verùm eam Alexander Præses immani crudelitate ponè insecutus, & assecutus vix in ciuitatem Tarsum ingressam, tandem comprehendit. Et quidem cùm multis blanditijs frustra eam à fide Christiana abducere conatus esset, iubet ipsam, infante ab eius vlnis auulso, crudis boum neruis atrocissimè flagellari, puerum verò osculis & promissis deliniri. At puer manibus pedibusque renitens, inimici oscula auersabatur pro viribus, totoque animi studio ad matrem contendebat. Tanquam verò carnificis æ ferę vnguibus intercepta, vel aucupis laqueis implicata volucris alas agitabat puer, & omnibus modis è laqueis venatoris tentās euadere, manibus quidem eius vultum laniabat, pedibus verò lateribus insultans breuissimus Athleta, facilè amorem illum Dæmoniacum in furorem crude- *Ex Act. quæ Metaphra. fideliter cōscripsit teste Baron.*

lissimum conuertit: is enim arrepto pede ex alto tribunali subiectis eum gradibus lapideis allisit, vnaque cum sacro capite totum infantuli corpusculum aduersis petrarum aculeis, miserando prorsus spectaculo contriuit. Porrò mater vt vidit dulcissimum ventris sui pignus glorioso triumpho Martyrij coronatum, gaudio incredibili exultans, & iam animosior effecta, cœpit Tyrānum ad supplicia prouocare, *&c.* ac tandē præclarum certamen capitis truncatione finiuit, cuius corpus (vt tradit Molanus) Hucbaldus Milonis discipulus ex donatione Episcopi Niuernensis Elnonem attulit ad S. Amandi Oratorium anno 930. cùm autem deferretur, Clinicus Monachus, cui paralysis membra dissoluerat, restitutus est, fratresque conuocauit, vt Hucbaldo afferenti corpus Sancti Quirici, cum crucibus & cereis occurrerent ipseque pompæ interfuit cum magno stupore cernentium. Coronati sunt circa annum Domini trecentesimum secundum, temporibus Diocletiani & Maximiani Imperat. coluntúrque 16. Iunij.

Quiricus gradibus allidītur.

Mol. de Natal. SS. Belgij idē asserit Guiliel. Gazæus hiftor. Eccles. Belgij.

§. 4. *Duodecim pueri Cantores, qui communiter 12. Apostoli dicuntur.*

Victor l. 3. Baron. to. 6 anno 484. Martyrol. Rom. 13. Iulij.

Clerus Carthaginensis quòd sanctos Martyres sepulturę mandauerat, exilio lacrymabili mulctatus est. Parantes igitur vniuersi dorsa sua verberibus, alacres ad exiliū pergūt. De multitudine autem pergentium Confessorum, id est, Ecclesię Cathaginensis Clericorum suggerente quodam ex Lectore Theucario perdito quos ille nouerat vocales, strenuos, atque aptos modulos cantilenæ, designatione sua debere dicit, duodecim infatulos separari, quos ipse dum Catholicus esset, discipulos habuit. Statim illo suggerēte, sub festinatione dimittuntur, & vi barbarici furoris,

bis se-

bis senus numerus puerorum de itinere reuocatur; segregantur corpore, non spiritu, à grege sanctorum. qui timentes præcipitium, cum suspirijs lacrymarum, ne diuellerentur, constringebant manibus genua sociorum, quos violentia tamen hæretica minacibus separans gladijs Carthaginem reuocauit. Sed cum ijs quasi cum tali ætate, non blanditijs ageretur, superiores suis inuenti sunt annis, & ne obdormirent in morte, lucernam sibi euangelici luminis accenderunt. Indignantur ob hoc grauiter Ariani, & se superatos à pueris erubescunt: vnde accensi, subdi fustibus iubent quos ante paucissimos dies verberibus varijs dissipauerant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rursum pœna restaurata recrudescit. factum est Domino confortante, vt nec ætas minor deficeret in dolore, & magis animus cresceret roboratus in fide: quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi 12. Apostolorum, chorũ conspicit puerorum: vnâ degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur.

§. 5. *S. Maximus puer Monachus cum S. Liberato.*

SEptem fratres non naturâ, sed gratiâ, simul in Monasterio commanentes, confessionis certamine expleto, immarcessibilem peruenerunt ad coronam: scilicet, Liberatus Abbas, Bonifacius Diaconus, Seuerus Subdiac. Rusticus Subdiac. Rogatus, Septimus, & Maximus, Monachi. Hos Tyrannus post multa tormenta iubet adhuc inauditis supplicijs adigi, & maioribus vinculis onerari, nauimque imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eâdem omnibus alligatis in medio pelago igne supposito concremari. Incedebant itaque cum fiducia ad supplicium quasi ad epulas concurrentes, vna voce


Victor in Appendice ad li. 3. de persecut. VVadal. ex quo Baron. to. 6. anno 484.

per ambitum platearum Domino decantantes, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; quando pro fide Domini Dei nostri perferemus præparatum supplicium, ne amittamus acquisitæ fidei indumentum*. Sed & populus Dei clamabat: Ne timeatis, neque formidetis minas neque terrores præsentium tribulationum, sed potiùs moriamur pro Christo, quomodo ipse mortuus est pro nobis.

Vnum tamen, vehementi conatu, qui inter eos infantulus videbatur, nomine Maximum, cupiebant authores malorum à Sanctorum consortio separare, dicentes: Infantule quid festinas ad mortem? dimitte eos, insaniunt; & audi consilium nostrum, vt possis inuenire vitę remedium, & tanti Regis adire palatium. Tunc ille ætate quidem puerili, senili tamen maturitate, clamabat: Nemo me separet à S. Patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis, qui me in monasterio nutrierunt; cum ipsis sum in timore Dei conuersatus, & cum ipsis desidero passionem suscipere, cum quibus credo me & futuram gloriam inuenire. Nolite putare quia potestis seducere pueritiam meam: simul nos voluit Dominus septem congregare, simul dignabitur omnes vno Martyrio illo coronare. Quomodo nemo perire potuit de septenario illo numero felicium Machabæorum, ita etiam septenus nostrę congregationis numerus nullum inueniet detrimentum. Nam si negauero Deum, & ipse negabit me coram Patre suo in cęlis.

Perducti itaq; cum festinatione ad nauale supplicium, pro voluntate infandi Regis vel crudelium Ministrorum, extensis manibus & pedibus, clauati potiùs fuerunt quàm ligati. Et cùm ignis fuisset lignis iniectus, statim imperio diuino, videntibus cunctis extinctus est: cumque sępius re-
nouare-

nouaretur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum extinguebatur rogus globo flammarum. Et cùm exinde magis Tyrannus furore simul esset & rubore repletus, iussit eos remorum ictibus enecari, & ita singulos in modum canum, cerebris comminutis, extingui. qui tali genere mortis, debitum spiritum feliciter Domino reddiderunt. Nec expauerunt lignis quatientibus mortificari, quibus semper fuit spes omnis in ligno. Sed cùm in mari venerabilia corpora iactarentur, illico (quod contra naturam est æquoris) eâdem hora pelagus littori illęsa corpora reddere maturauit, nec ausum fuit (vt moris est) triduana dilatione, in profundo retinere, ne pręcepto Dominico minimè paruisset. Ad quod miraculi genus, & ipse Tyrannus, licet impœnitens, expauit. gaudens verò multitudo corpora SS. Mart. in monasterio Biguæ continuo Basilicę quæ dicitur Celebrinę, diligentissimè sepeliuit. **Contunduntur remorum ictibus.**



CAPVT X.

IGNE, VEL CALORE PEREMPTI.

FERVNT aliquando Chaldæos ignem Deum suum circumferentes, cum omnium prouinciarum dijs habuisse conflictum, in quo scilicet qui vicisset, hic esse Deus ab omnibus crederetur. Quo audito Canopi sacerdos (erat Canopus idolum Ægyptiorum) tale quid excogitat: hydriam fictilem minutissimis plenam foraminibus, cera obturatam, **Narrat Ruffinus Eccl histo. l. 11. c. 26.**

taſn, deſuper etiam varijs coloribus pictam, & aqua repletam ſtatuit in Deum. Adſunt Chaldæi itur in conflictum, circa hydriam ignis accenditur, cera reſoluitur, ſudante hydria ignis extinguitur, & victorem agnoſcit. Quam id noſtræ quoque rei aptè quadrat? hoc puerorum Martyrium de fide certamen fuit: illi fictitios deos ſuos prædicare; hi vnum verum Deum eſſe: illi colenda ſimulacra proponere; hi conſpútare. Quid multa? igne lis examinata: infracti pueri pyras conſcendunt & ſtillante viſcerum adipe, aqua diuinæ gratię hoc veluti vaſculo contenta, vbi ſe diffudit, incendium omne reſtinxit, rogos compeſcuit, flammas conſopiuit. O glorioſam de ignibus reportatam victoriam! ô præclarum de Deo morte conſignatum teſtimonium! ô verè rubum Moſaicum, virentem in flammis, lucentem nec combuſtum! An non hoc ipſum eſt quod ore
Iſaiæ c.43. prophetico Iſaias prędixit? *Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* At dicet aliquis, nonne multi ignibus domiti fuere? extima tantum veſtimenta lambit flamma, corpus vſtulauit. de corpore quidem flamma & tyrannus; ſed de flamma & tyranno inuictus animus triumphauit.

§. I. *Puer in ignem inſilit & cum matre crematur.*

Ex Metap. Baron. to 7 anno 522. DVm S. Aretas iugulum offerret, vt inter ſocios primus omnium coronam Martyrij cō-ſequeretur. quædam mulier habēs puerū prætercurrentem, non plus quàm quinque annos natū, cùm videret ea quæ fiebant, & ad ſimilem accēſa eſſet emulationem, citiſſimè accurrens, cùm ipſa quoque accepiſſet Martyrum ſanguinem, ſe illo vnxit, & filium. Deinde ipſum Regem ludificabatur eum vocans Tyrannum, & quàm maxima poterat

rerat voce dicens: *Erit Hebræorum Regi sicut Pharaoni.* Illius verò satellites ijs quæ dicebatur audito, comprehensam statim mulierem ducunt ad ipsum Regem, & maledicta quibus ipsum acerbè appetebat, renunciant, cum magnâ accensione. Ille autem cùm neç ei fecisset dicendi potestatem, nec eam quidem interrogasset, eam condemnat vt igne moreretur. Statim ergo fuit congregata materia, & ignis ei subiectus, & flamma in altum sustulit, sulphure, pice & sarmentis nutrita: Deinde etiam fuit alligata mulier, & eam lictorum manus complectebantur, vt cùm fuisset et onus portatu facile, sic in mediam flammam recta conijceretur. Puer autem, qui solus remanserat, dolebat, indignabatur, ægre ferebat, non secus ac recens nati pulli, non ferens Matris absentiam. Porro autem in pyram vertens oculos, & amicissimâ linguâ matrem requirẽs, videt Regem sedentem in excelso, & ad ipsum accurrit, oculos habens plenos lacrymis, deinde se prouoluit ad eius pedes pro matre rogãs, vt poterat. Ille autem eo accepto, genibusque imposito (erat enim puer situs & elegans, & qui vt puer, suauiter balbutiebat) rogabat cum quo mallet versari, & quem magis diligeret. Ille autem matrem dicebat, matrem; & eam deflebat assiduè: propter eam autem, inquit, veni, & rogo, ô Rex, eam solui, vt me quoque assumat ad martyrium. Illa autem ad hoc me sæpe hortata est. Attendẽs verò Rex verba pueri: Quid est autem hoc, inquit, quod dicis Martyrium? ô quæ etiam infantes sapientes reddit tua Domine gratia! *Pro Christo*, inquit, *mori, & rursum viuere.* Sed quis est hic Christus? rursum dicit Rex. Puer autem: Veni huc, inquit, ad Ecclesiam, & eum tibi ostendam: ad aliquam sacram imaginẽ Saluatoris ex more in ecclesia pingi solitam puer alludens. Ita, quidem *cùm esset paruulus, loquebatur vt paruu-*

Pueri supra ætatẽ consilium

Rex frustra blanditur puero.

1. Cor. 13.

vt paruulus; sed quid pòst? Interim autem cùm matrem aspexisset, flens dixit: Sine, sine me venire ad matrem: video enim eam trahi, & malè affici à lictoribus. Rex autem: Cur, inquit, huc venisti matre relicta? sed sis hic nobiscum, & dabo tibi quoslibet fructus pulcherrimos, hoc ille quidem dixit, tanquam cum simplici puero atque adeo puero se loqui existimans. ille verò longè supra ętatem prudentiâ præditus, planè renuebat, dicens: Non hic manebo, matrem desidero: nam arbitratus te esse Christianum veni pro ea rogaturus: cùm Iudæum autem inuenerim, tecum nec volo quidem versari, neque sustineo omnino à te aliquid accipere. Hoc autem mihi solum concede, ô Rex, vt ad matrem reuertar.

Regem stupore affecit pueri sapientia. Quidam autem ex ijs qui circumstabant, excogitantes aliquid sapientis, censebant, vt infans adduceretur ad Reginam, sic teneram ætatem conantes allicere: Nam cum Rege quidem consuetudinem, existimabant esse puero insolitam, & vt virilem & asperiorem: quod si audierit Reginam & mulierem, prompto & alacri animo eam secuturum, vt qui apud matrem blandè educaretur, & molliori delectaretur consuetudine. Verùm rursus pueri intelligentia superauit illorum calliditatem; nec eis quidem omnino ad hęc dabat responsum, sed vehementer solùm vocabat matrem, & in eam cum animo totos defigebat obtutus. Cùm eam autem vidisset inijci in ignem, vehementiùs inflammatus visceribus, audet statim puer aliquid fortius, & cùm stetisset ad genua Tyranni Dunaan, se inclinans, acriter ipsum Regem mordet in femore. ille autem simulatque sensisset morsum & fuisset conturbatus, eum repente abijcit, & eum tradit cuidam ex Senatu vt ab illo aleretur maximè Iudaicè &

Puer ęquè Reginam cótemnit.

Puer mordet Regē in femore

cè &

cè & abiuraret Christianismum. & ille quidem abibat, accepto puero, admirans ea quæ facta fuerant, & simul etiam narrans alijs. Interim autem puer eo nesciente, cursu contendit ad matrem & insilijt ad mediam fornacem; matremque (vt ei videbatur) amplexus, & pulcherrimum bustum se ei tradens, fit cum ipsa hæres coronæ Martyrij. Ita plane Deus: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* *Psalm. 8.*

§. 2. S. Eulalia.

S. Eulalia Emeritæ, in vrbe prouinciæ Lusitaniæ Metropolitana, Christianis parentibus nata est. Hæc cùm rumor percrebuisset Datianum Hispaniæ Præsidem ab Imperatoribus destinatum, vt Christianam religionem penitus exterminaret, multosque Christi athletas fide & pietate robustissimos horrēdis supplicijs excarnificaret; hæc virgo nobilis & diuitijs inclyta, spretis vitæ, huius oblectamētis, sponte ad Præsidem contendere, eumque tyrannidis arguere decreuit. At verò parentes eius de filiæ suæ dignitate ac vita corporali vehementer solliciti, eam domi, quam ruri procul ab vrbe habebant, inuitam retinuerunt, ne in apertum se periculum conijceret, & crudeli morte, perpetuum parentibus atque cognatis luctum relinqueret. Itaque domi aliquamdiu summo parentum studio & diligentia detēta, cū Christi amore æstuaret incredibili, nocte quadam reseratis clanculū foribus per inuia sentibus & vepribus plena ad vrbem, Angelico comitatu præsidio contendit, & primo diluculo tribunal intrepidè adiens exclamauit: Quis furor aut mētis insania vos, ô ciues exagitat, vt mutis & nullo sensu præditis simulacris honores supplici corpore deferatis? Dij omnes, Deæque nihil sunt: sed & ipse Maximianus nihil. Præsto illico fuere carni-

Lud. Gran. catechismi li. 2 c. 19. & Martyrol. Rom. vbi dicit fuisse annorum 12. Fortun. l. 7. ad Bod. Eulalia Emerita tollit ab vrbe caput. Vitā quoq; scripsit Trugillo 10. Dec. ex Isido. & Prud. aitq; hanc esse aliā ab Eulalia Barcinonensi etiā puellula apud Isid. Idem ait Baron. vide supra c. 4. §. 11

carnifices qui ferreis armati furcis mortem, & atrocissima quęque intentabant. sed & ipse Datianus Pręses dæmonum fraudibus pariter instructus affuit, qui blanditijs incensum amore diuino Virginis animum ad relicta spretaque mundi oblectamenta reuocare conabatur. At illa: sponsum, inquit, nobilem, diuitem & immortalem habeo, qui Christus est, mundi Saluator. Tum Iudex: Tuam, inquit, animaduerte filia pueritiam, & in te ipsam misericordia mouere. Dijs thus offeras, teque morte liberes. Cui Virgo ait: Christiana sum ego, nũquam factura quod iubes. Tum iudex ei curatorem dedit, & imposuit, vt verberibus afficiendam curaret: dum autem verberaretur, benedicebat Domino, & maledicebat Imperatoribus & illorum Dijs. quibus rebus factus certior Iudex, iussit vt ad se duceretur; cuius pulchritudinem cùm cerneret, ostendit se in illius teneram ætatem misericordia motum esse, dicens: Quid puella tibi prodest ista obstinatio? eas, & Dijs immoles, neque velis istas pœnas perpeti. Virgo respondit: Quid tibi profuit miser, vt spoliata verberarer tuo iussu? existimabas me à veritate separari posse? aberras miser: meum enim tantummodo corpus est in tua potestate. at ille solus animam meam possidet, qui eam creauit. & vt meam voluntatem cognoscas tibi dico quod nunc tuis Dijs & Imperatoribus maledico.

Iudex autem hoc responso summa ira percitus, suum solium in platea poni iussit, & Virginem ante se duci, vt ibi torqueretur. imperauitque; expediri virgas arborum cum suis nodis, illisque eam cædi. Tunc Virgo dixit: Senex miser, ne speres me tuis minis moueri posse, cùm his me valde robores. Cum autem Iudex id cerneret, dixit ministris, afferte oleum bulliens, & in illius mammas fundite: quod cùm facerent, inquit

Virgo:

Virgo: hoc tuum oleum bulliens nihil mihi obfuit, immo me in meum Dominum IESVM Christum, amore ampliùs inflammauit, qui quidem animam meam videre cupit. Quod cùm videret Iudex, Carnificibus dixit: Afferte statim viuam calcem, & in ea imponite; deinde superponite frigidam, vt in ea comburatur. tunc dixit Virgo. Ita te infernalis ignis torqueat, cùm tantopere elabores, vt Dei famulam torqueas.

Hoc autem tormento non contentus crudelis Tyrannus, iussit afferri ollam plumbi fusi plenam, & vt super lectum ferreum distenderetur. mandauitq; vt priùs tormentum ei ostenderetur, si fortè vellet à sententia discedere; quod si perseueraret in proposito illud plumbũ in eius corpus infũderetur. Virgo verò oculis ad cęlũ versis, hoc tormentum expectabat, at plumbũ congelatũ est, & manus eorum qui fundebant cõburebat, Virginem omnino non lęsit: quod Iudex cùm videret semper magis ira accendebatur, & vt virgis iterũ crudeliter cęderetur, imperauit; deinde tegulis fractis & acuminatis vulnera fricarentur, hoc autem tormento perfecto cùm Tyrannus Virginis constantiam cerneret, dixit: Noli tibi persuadere fieri posse, vt hinc victrix exeas, alia enim parata sunt supplicia, quibus profectò vincaris. Virgo respondit: Me vincere nequis: is enim qui pro me pugnat, in me vincit. Tunc crudelis Tyrannus iussit, vt ad eius corpus funalia accensa admouerent, in quo tormento Virgo, dixit: Iam assum est corpus meum, vires tamen mihi minimè deficiunt; iube vt aspergar sale, vt cælesti sponso cibus sapidus sim. Hoc cum audiret Tyrannus, tanta fortitudine perterritus, iussit vt in caminum ignis ardentis immitteretur, & inde minimè remoueretur, donec penitus absumpta esset. Virgo autem in igne hymnos Deo canebat,

quos

quos cùm Tyrannus audiret,& videret nihil amplius tormentorum sibi reliquum esse, attonitus & admirans dixit: Nos victos esse existimo: hæc enim puella in sua falsa opinione perseuerat, & nullum dolorem percipit: at ne inaniter glorietur, de fornace extrahatur, ei capilli radantur,ac per forum ad dedecus nuda pertrahatur. Illa verò: Licet, inquit, sim humi inhonorata, capillis spoliata, nuda & informis, is tamen cuius amore hæc patior, non ideo à me alienabitur: at verò vindictam de te sumet grauissimam. Quod audiens Tyrannus,inquit: In equuleo eam imponite, & ad latera ignem admouete. quo facto, cœpit Virgo Deum laudare his Psalmistæ verbis: *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.*

Psalm. 65.

Prudentius autem, inquit, quod Virgo in hoc tormento existens, carne iam sua pectinibus ferreis lacerata, dicebat: Hęc signa Domine quę ferrum in corpus meum imprimit, literæ sunt quibus tuum sanctum nomen in mea carne scribitur, quę tuas victorias & triumphos prædicant. Tunc Carnifices laqueum ex capillis eius confecerunt,quo imposito illius collo, eam extra ciuitatem interficiendam perduxerunt: & equuleo imposita, ibi iterum distenta fuit, & verberibus affecta illudque cor rabidum à dęmonibus stimulatum non contentum ijs tormentis quibus affecta fuerat, iussit vt ad illius latera funalia accensa admouerentur: Tunc Virgo dixit:Cur tanta crudelitate in me vteris Calphurniane? iam oculos adaperias,& me rectè cognoscas,vt in die nouissimo agnoscere possis, cùm ad thronum sponsi mei. I. C. vbi tuæ crudelitatis meritas pœnas dabis, pręsentabimur. Virginis constantiam admirantes non pauci, idololatria penitus relicta, ad Christum se conuerterunt.

Carni-

Carnifices verò vndique eam igni circumdederunt, quæ os adaperiens ardentem flammam excipiebat: ſtatimque viſa fuit illius ſanctiſſima anima ſub columbæ ſpecie quæ in ſublime volabat. Crudelis autem Tyrannus cùm non potuerit in corpore viuo perficere quæ cupiebat, de mortuo vindictam ſumpſit, iuſſitque vt dedecoris cauſa per triduum ſuſpenſum coram omnibus eſſet: diuina verò prouidētia ſuper illud maximam niuis copiam demiſit, & illius membra pulchra reddidit; capilloſque lauit, qui carnificum manibus ſanguine perfuſis fœdati erant, & corpus flammis aſſum, nigrumque effectum, dealbatum fuit. *De prodigioſo S. Eulaliæ ſepulcro, vide c. 16.*

§. 3. *Pueri duo S. Luciani diſcipuli.*

ADmirandum plane eſt duorum puerorum S. Luciani Martyris diſcipulorum certamen, quod Luciani germanis actis conſcriptum habetur, his verbis. Maximianus cùm duos quoſdam pueros genere fratres, illuſtri loco natos, curaſſet ſiſtendos, primò quidem conabatur eos quibuſdam promiſſis ineſcare, quibus exiſtimabat pueros maximè alliciendos. poſtea iuſſit eis afferri ex ijs quæ erant apud ipſum ſacrificijs, & quæ videntibus pueris ſacrificauerat, vt & guſtarent, & nullis malis afficerentur: Illis autem auerſantibus, & deflentibus, & vt poterant, lingua eis balbutiente dicentibus, quod non ſic didiciſſent à parentibus, ſed alius eſſet modus, quo ij vtebantur: minatus eſt, & ab ira mutatus: quin etiam varijs eos affecit verberibus. Cùm verò pueri fortiter reſiſterent, & nullo modo cederent, eos vtique diuina roborante virtute, quidam è Sophiſtis, qui illic aderat, ſimul cum Imperatore, & ad hæc eum incitabat, & inducebat, pollicitus eſt ſe ſtatim effecturum vt *Baron. to. 3 anno 311. Ex Metap. Sur. 7. Ian.*

ipſi comederent: ridiculum enim eſſe dicebat, ſi à pueris adhuc balbutientibus viderentur ſuperari Rom. Imperatores. Tale quid ergo machinatur. Cùm ſinapis quandam acutiſſimã & toleratu difficillimam excogitaſſet confectionem, eorum quidem capita pilis nudauit, cùm autem medicamenti id quod erat craſſiſſimum illeuiſſet, vt ex maiore materia, repentina & maior ſimul virtus profundum penetraret, in igne accenſum illos intulit balneum. Hoc in loco pueri, cùm veluti quodam fulmine icta eſſent eorum capita, hac ipſa hora fuerunt inclinati ad ſolum vſque, nec multò pòſt cadens eorum ætate minor, prior eſt mortuus, cùm non potuiſſet reſiſtere magnitudini flammę accenſę in caluaria. Cùm autem alter vidiſſet fratrem cecidiſſe, quam maxima potuit voce, bona verba eſt effatus, fratris exultans victoria, eumq; amplexatus eſt, & oſculatus, & eum proclamauit victorem, aſsidue exclamans: *Frater mi viciſti.* Donec hoc dictũ eloquens eumq; complectens, & oſculans, ipſe quoque expirauit, & iacuit fratrem iam vlnis tenens. Accidit autẽ illo tempore hæc perpeſsio maxima, & ijs qui videbant maximè miſerabilis, ipſa quidem certè, ætate attrahente plurimorum animos ad miſericordiam. Et eos quidem ij qui ad ipſos genere attinebant, cùm ſuſtuliſſent, ſepelierunt cum alijs pueris, propter cauſę communitatem: Et hoc eſt martyrium (nempe Eccleſia Martyrum) circa Nicomediam; quod nominatur Martyrium infãtium vſque in hodiernũ diẽ. hæc de ipſis Luciani acta.

§. 4. *Alexander & Cuthia, paruuli.*

Surius 11? Aug. ALexander & Cuthia Præpedignæ filij, cum ea baptizati ſunt à B. Caio Epiſcopo, quos Diocletianus in exilium iuſſit deportari, & flammis concrematos apud Oſtiam in aquas iactari.

§. 5. *Euo-*

§. 5. *Euodius cum fratribus duobus & matre Theodota.*

SEcundo Augusti celebratur natale S. Theodotę cum tribus filijs suis, in prouincia Bithyniæ, vrbe Nicea, tempore Diocletiani, sub Consulari Nicetio, & Comite Leocadio. Qui hanc per multos dies blandimentis & terroribus cogere voluit, vt eius coniugio necteretur. Sed cùm sancta femina nullo modo consentiret, ferro vinctam cum filijs Consulari Bithyniæ, Nicetio destinauit. At ille filium eius primogenitum Euodium, Christum fiducialiter confitentem in conspectu matris fecit fustibus cædi. cui mater pia clamabat: Noli fili timere ista verbera, per ipsa enim ad æterna Christi gaudia pertinges. Tunc Consularis Nicetius iussit cuidam Hirtaco vt apprehendens B. Theodotam, priùs illi illuderet, & postmodum inter publicas meretrices constitueret, quam ille volens tenere, de naribus eius cœpit sanguis vehementer effluere. qui clamans dixit Nicetio: stat circa eam iuuenis pulcher, auratis vestibus indutus, ex cuius manu pugnum accepi in naribus. Consularis ergo Nicetius iussit ignem copiosum accendi, & B. Theodotam cum tribus filijs suis immitti. 4. Non. Aug. *Ado 2. Augusti.*

§. 6. *Pueri septem S. Iuliani socij.*

S. Iulianus cùm puerum Celsum multosque milites conuertisset, orauit, vt quos Christo acquisierat, baptismum reciperent. Cuius quidem pio desiderio ita satisfactum est. Erant septem filij relicti, defuncti viri primarij vrbis Antiochenę, vbi hæc contigerunt, qui ex genere Carini Imperatoris descenderant, quos Imperatores, licet Christianos, patris eorum gratia retinentes, iusserunt sine aliqua persecutione Christianæ religioni deseruire. Hi habebant secum Presbyterum. *S. Antonin. 1 p. de plurib. Mart. c. 1. §. 21.*

rum, qui sacra mysteria eis celebrabat. In quo iussi diuinitus, vt vna cum Presbytero carcerem peterent, vt Celsus puer & milites baptismi gratiam susciperent. Quod cùm fecissent, vt tetigerunt ianuas carceris, omnia claustra patefacta sunt, & intrantes, cum B. Iuliano Dominum orauerunt. Hoc audiens B. Iulianus, dixit: Gratias tibi bone IESV, refero, qui dignatus es ita implere desiderium meum, vt hi quos per me tibi acquisisti, per baptismi gratiam, vera fidei membra confirmētur, & quos Imperatorum impietas quasi agnos paruulos inter agmina luporum reliquerat, ad tui sancti nominis confessionem aggregentur. Hoc audiens Martianus, contremuit; & eductis de carcere, dixit: Quid vobis contigit, ô infantuli, vt optetis mori sine aliqua persecutione, quibus concessum est arbitrio vestro viuere, & Deum vestrum colere? Ad hæc senior eorum, respondit: Massa auri, naturæ suæ claritatem obtinet; sed nisi per manus artificis, igne, malleo & limis in partes dissipetur, dignum capite Regis diadema nō perficitur. ita & nos quidē Christiani sumus, sed nisi Iuliani vestigia secuti fuerimus, diadema Regis ęterni esse nō possumus, Martian. desperans eos se à sentētia deducere posse, septē illos pueros fratres flāmis concremari mādauit.

§. 7. *S. Fausta.*

Simeō Metaphr. Sur. Feb.6. licet Latina Martyrol. habeant 20 Septemb.

IMperante Maximiano S. Fausta Christi Martyr erat in ciuitate Cyzico, diuitibus & fidelibus nata parentibus. Ab eis autem educata in Christi dogmatibus relicta est orphana, cùm esset annos 13. nata, & de cætero vacabat ieiunio & orationi, diuinarumque scripturarum meditationi. Quamobrem conuenienter voci Domini, non poterat *abscondi ciuitas supra montem posita*, sed eius peruenit fama vsque ad aures Imp. Maximiani: statim-

Matt. 5.

ſtatimque mittit primum ſui palatij, nomine Euelaſium, in ciuitatem Cyzicum, vt quæreret Fauſtam, Chriſti ſponſam, ſic iubens: ſi ei quidem perſuaſum fuerit vt ſacrificet, recte habuerit: ſin minùs, proijce eam in fluentum.

Euelaſius autem vadens Cyzicum inuenit ipſam ætate quidem infantem, fide vero & prudentia valde ſenem. Quamobrem cùm ipſa ducta fuiſſet ad tribunal, vis ei afferebatur, vt dijs qui non ſunt, ſacrificaret. Sancta autem dixit ei: Ego ijs dijs non ſacrifico, qui ſunt ſurdi & cæci, & nullo ſenſu prædití cùm ſunt opera manuum hominum: habeo enim patrem & ſponſum IESVM Chriſtum in cęlis, nec poſſum eum relinquere; ne perdam meam hæreditatem, quam habeo apud Dominum. Euelaſius autem dicit ei: Sacrifica Fauſta dijs, ne male & acerbè moriaris. Reſpondit Sancta: Ne putes me eſſe tanquam vnam ex ſtultis mulieribus: Nam etſi ſum parua ætate; attamen cor meum eſt magnum & perfectum apud Deum. Euelaſius verò multa ira repletus iubet tonderi eius caput ad ignominiam & ludibrium: & ſic eam in ligno ſuſpenſam fortiter verberari. Sancta autem Fauſta cùm valde torqueretur, ſuſtulit oculos ſuos in cælum, & orauit Dominum: & poſtquam ſatis oraſſet extitit ſtatim fulgur e cælo, adeo vt multi morerentur: Euelaſius autem id videns, valde timuit: & cùm S. Fauſtam vocaſſet, dixit ei: Dic mihi quęnam ſis, te enim aſpexi facientem opera Magica. Sancta verò dixit. Audi me Euelaſi, & fac imaginem quę habeat meam figuram; & deinde affer omnia tormenta, & ipſa quoque inſcribantur in imagine: ſit tibi notum, quod quomodo hæc imago non ſentiret tormenta, ita nec meum corpus ſentit tuas pœnas & ſupplicia: anima enim mea eſt tota animo ſtabilita in Domino.

S. Fauſta dirè verberatur.

mino. de cetero, fac cito in me quod velis.

Tunc iussit eam in loculo inclusam clauis affigi & secari. Lictores autem cùm citò fecissent id quod fuerat imperatum, erat sancta intra loculum psallens, & Dominum glorificans:& defessi ij qui eam secabant, facti sunt tanquam mortui. Iuerunt autẽ ad Euelasiu, & ei dixerut: rogamus te Domine, Mulierem quã dedisti nobis ab hora prima vsque ad horam 6. secates, nihil potuimus efficere: mutauit enim sex serras, & neque potuerunt eam omnino tangere; quin etiã ignẽ loculo admouimus, illa verò psallebat, dicẽs; *Cũ ambulaueris in igne non cõbureris, & flamma non ardebit in te.*

Clauis cõfigitur, secatur.

Isaie 43.

Hæc cùm audisset Euclasius, non parum fuit animo anxius; & dicit S. Faustę: O Mulier me stupore affecisti, faciens opera mirabilia: sum octoginta annos natus, & nũquam vidi talia. De cetero adiuro te per Deum cui credis, dic mihi omnẽ veritatem. Respondit S. Fausta, & dixit ei: Rogo te Domine mi, mentem diligenter adhibe; id enim quod dicitur, est virtus diuina, sicut tu quoque adspexisti, & citò tibi persuadebo, vt sis socius meæ religionis. Ille autem dixit: Dic liberè veritatem, ego verò attentè audiam. Sancta eum de fide Christiana sigillatim instituit, & Euclasius cùm Dei virtutem cognouisset esse magnam & insuperabilem, compunctus à S. Spiritu, cœpit cogitare & conuerti ad bonum, & de cetero iussit relaxari Faustam. Tunc currens vnus ex seruis Euclasij, renunciauit Imperatori Maximiano rem totam. Imperator valde motus animo, cùm maxima celeritate vocasset Maximinum suum Præfectum, qui erat sæuissimus, eique per deos adiurato mandata dedisset, Cyzicum misit ad Euclasium, quem iratus alloquens, Dic mihi, inquit, sceleſtum caput, quemadmodum ausus es relinquere maximos deos, & eos despicere, credens stultis

Euclasius resipiscit.

ſtultis Chriſtianis, & eis accedens? Dixit Euelaſius: Per meum caput, ſi tu quoque Fauſtam audieris, citò agnoſces Deum viuum, & eris beatus. Pręfectus verò Maximinus valde ira commotus iuſſit eum ſuſpenſum in ligno fortiter verberari. Dum diu autem verberaretur, ad Dominum clamabat dicens: Domine Deus omnipotens, qui opem tuliſti ancillę tuę Fauſtę, in omnibus quę ei acciderunt afflictionibus, & meis oculis oſtendiſti tua mirabilia, me quoque humilem libera ab hoc ſæuiſſimo & immaniſſimo Præfecto: quoniã te deſideraui Domine, propter multa & magna tua mirabilia. Quæ poſtquam ipſe eſſet precatus, rurſus iuſſit Præfectus lampades ignis eius admoueri lateribus: quod cùm factum eſſet, maxima celeritate, B. Euelaſius rogauit S. Fauſtam, vt pro ipſo oraret. Sancta autem his auditis, valde miſerata, cœpit pro eo orare, & ſic dicere: Domine Deus meus, dona mihi gratiam tuam, & accipe Euelaſium in numerum tuorum iuſtorum, quoniam es benedictus in ſæcula: amen.

Euelaſius atrociter verberatur.

Lampades eius laterib. admouentur.

Tunc Præfectus iuſſit quoque S. Fauſtam ſiſti pro tribunali, vt quæ perſuaſiſſet Euelaſio fieri Chriſtianum. Cùm autem veniſſet Sancta, dicit ei Pręfectus Maximinus: Sceleſtum caput, quomodo auſa es venerandum Sacerdotem Euelaſium à dijs maximis auellere, & ipſum ad Deum tuum adducere? Fauſta dixit: Spero in bono & benigno Deo meo, qui vocauit Euelaſium, vt fieret filius veritatis, fore vt te quoque vocet ad eius adorationem. Dixit Præfectus: Fauſta, ne putes me eſſe ſtultum, vt eſt is qui fuit perſuaſus. & ſtatim iuſſit eã ligari, & clauos eius talis infigi. Cùm hæc autem facta eſſent maxima celeritate, Sancta ne omnino quidem ſenſit tormenta. Videns verò Præfectus hunc cruciatum eam non attingere, vocata cohorte, dixit: Si quis hoc difficiliùs &

Fauſta rurſus tormenta nõ ſentit.

maius inuenerit supplicium, id ei valde proderit. Tunc respondens vnus ex eis nomine Claudius, dixit Præfecto: Domine mi, si tua Celsitudo iubet eam citò mori, obijciatur bestijs: Præfectus autē iussit hoc fieri; & cùm ducta fuisset nuda in stadium, in eam emiserunt leęnam: leęna verò accurrens eam adorauit: & post hæc plurimæ in eam emissę bestię, currentes ad eius pedes se proiecere. Tunc cùm rursus vidisset Præfectus alienum miraculum, & quod erat præter omnem opinionem, iussit eam pędibus trahi per terram. Cùm autem nuda traheretur B. Fausta, clamauit ad Dominum, sic dicens: Domine IESV Christe, tege tuum figmentum: & statim nubes descendit de cælo, & texit eam: posthęc autē rursus vir alius nomine Eusebius, dixit Præfecto: Si tua iubet Celsitudo, da mihi in eam potestatem. Dixit verò Pręfectus: Accipe eam. Cùm in eā autē accepisset potestatem Eusebius, adduxit fabrum ferrarium, & cùm ipse fecisset clauos ferreos, eius caput clauis confixit, frontemque, & oculos, & pectus, & tibias, perinde ac crepidam. & cùm hęc omnia facta essent, Deum apud se orabat dicens: Domine IESV Christe, ago tibi gratias, quòd tu sis cognitor cordium! gloriatio & corona iustorum: Me quoque humilem & indignam tuam famulam dignare inueniri in stadio tranquilli ad te portus, & Maximinum Præfectum fac confirmari in tuo timore, & adduc eum in fide & charitate eorum qui te confitentur solum verum Deum, vt sciant omnes te esse solum Deum, & te decere gloriā in sæcula sæculorum; amen. Cùm vidisset autem Eusebius se nihil proficere, victum à tenera Virgine, iussit afferri sartaginem, & in eam inijci picem & resinam, & sulphur, & inijci S. Faustam simul cum S. Euelasio, vehementissimo igne subtus accenso. Cùm hoc au-

Ferę nihil eā lædunt.

Caput eius & corpus clauis cōfigitur.

hoc autem factum esset, & SS. Martyres stantes in sartagine psallerent, ignis fuit extinctus, & refrixit sartago. Tunc cùm Præfectus Maximinus vidisset Sanctorum fidem & tolerantiam, dixit: Deus æterne, qui fecisti Euclasium connumerari cum S. ancilla tua Fausta, me quoque suscipe humilem & peccatorem, & me cum duobus connumera, vt ego quoque vilis & minimus, impleã sanctam trinitatem, *&c*. Statimque currens, venit prope sartaginem, vbi erat S. Fausta, & S. Euclasius: & cùm extendisset oculos suos in cælum, & se signasset signo crucis per totum corpus, dixit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & ego vobiscum sum. cùm verò exuisset suas vestes, & rursus fecisset id quod est in Christo signaculũ, se iecit in sartaginem. Tunc Fausta magno gaudio repleta, dixit: Gloria tibi Christe Deus, qui non vis perire aliquem, sed omnes esse saluos, & ad agnitionem venire veritatis, ecce enim sum in medio duorum tanquam vitis fructum ferens, & triplex funiculus non disrumpetur, quoniam dixit Dominus Deus noster: *Vbicumque fuerint duo aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum*, ea hæc dicente, extitit vox è cęlo, dicens: *Venite ad me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã vos*. Cùm hęc ergo audijsset, & magno gaudio repleti essent, & Dominum laudassent, & ei gratias egissent venerandas suas & sanctas Deo in pace tradiderunt animas, mensis Feb. 6.

Maximin. credit in Christum.

Nota designo crucis per totum corpus.

Matth. 18.

Matth. 11.

Animas simul tres emittunt.

§. 8. *Iacobi pueri duodecennis, in Iaponia perpessum cum parentibus Martyrium.*

Ex literis Societ. Iesu anno 1613.

ARimandonus intelligens se apud Regem malè audire quod animi sui remissione fides Christiana vigeret adhuc Arimæ, & de se penitus actum veritus, nisi denuo ad rem Christianam prorsus labefactandam animum viresque seriò adhibe-

adhiberet, Gubernatoribus suis illico mandat, vt ex prima nobilitate octo, quos eis nominauit, omnibus artibus adoriantur, vt vel ad breue tempus Christianam religionem deponerent, si in perpetuum nolint abijcere, & hoc ipsum non nisi ore tenus; sed Gubernatores nihil ab eis obtinere potuerunt. Ex ijs octo, tres quos maximè pertinaces esse animaduerterant, igni tradere, vnà cum vxoribus, & liberis decernunt: nec mora, mandant vt rectà ciuis cuiusdam domum petant, neque ex ea pedem efferant. Illi exultantibus animis eò sponte aduolant, ipsi se in carcerem sistunt. Dies erat Dominica sub vesperam, quinta Octob. anno 1613. Vni nomen Adrianus, secundus & tertius vocabatur Leo. Ioanna Adriani, Martha, Leonis primi vxor, liberis Iacobo qui duodecimum, & Magdalena quæ 20. agebat annum, & Paulus Leonis secundi filius. Dies Martis illuxerat cùm certi nuncij Gubernatorum nomine vinctos adeũt, & eo quòd Christiani essent, ea ipsa die (septima videlicet Octobris) igni tradendos denunciant: quod nuncium licet eis nequaquam nouum fuerit, nouis tamen eos gaudijs cumulauit, quòd optatam sibi diem tandem aduentasse viderent, qua voti compotes, parato sibi pro Christi fide incendio fruerentur.

Dum igitur lacrymantes præ gaudio singuli pro se Deo gratias agunt, certatim ad eorum vestigia prouoluti Sodales Congregationes Martyrum imprimis, tam faustum eis nuncium lętis acclamationibus gratulantur, alij eorum apud Deũ intercessionem, alij rem Christianam commendant, alij sudarium, vel quicquid demum illud sit, quo vsi sint, sibi flagitant. Ad hæc beati Martyres sese excusare, erubescere, reniti. Immo ipse Iacobus puer, vbi se à Christianis, qui eius latus frequentes stipabant, & Martyrem inclamari, & a-

pud Deum intercessorem deposci, audiuit, modeste, & piè. Videte, inquit, quomodo me Martyrem vocetis, necdum confecto certamine: ego quidem Martyrij coronam adspicio, sed nondum eā sum assecutus, quam quia Dei benignitate assecuturum me spero, magna animi alacritate ad eam contendo.

Dum se igitur ad triumphum comparant, primùm quotidianas vestes elegantioribus mutant, tum oblatum sibi Sodalitatis B. MARIÆ V. candidum, ad talos vsque defluentem, habitum singuli superinduunt; cùm ecce milites introeūt, veniaque postulata, quam læto sanè, & animo, & vultu vltro dedere Martyres, manus transuersas in modum crucis à tergo colligunt; Iacobum, quòd puer esset admodum, liberum sinūt. Verùm ęgrè ferens se sine vinculis esse, colligari sibi manus semel atque iterum flagitauit: sed ad colligadas puero manusculas funes aptos deesse causati sunt milites.


Ergo supradicti Sodales veluti supplicationem instituunt, quo ordine possunt circumfusam multitudinem digerunt, præeunt quini, seni, septeni longo & directo ordine. Sequuntur Martyres niueo B. Virginis habitu, singuli æquo interuallo disiuncti: quos, ad vtrumque latus, medios tenent Confraternitatis Curatores, cum facibus cereisque accensis. extremum agmen obtinent plurimi magnâ funalium & luminum copiâ triumphalis pompę speciem augentes, & B. Virginis Litanias decantantes.

Forte aderat vir quidam Nobilis qui bene merendi de Martyribus voluntate, quod supererat lutosæ viæ Iacobum in humeros sublatū ad Martyrij locum vsque gestare cupiebat. Cui Iacobus: Christus Dominus rhedáne, an equo, ductus ad crucis supplicium properauit? sanè non arbitror: ne me

ne me igitur ad mortem pedibus ire vetato; laborem certa mox sequetur quies. Appositè ad tempus: sed hoc magis incensus vir ille Nobilis, puerum Martyrem vi correptum & multū reluctantem in humeros sublatum gestauit. Vix ad supplicij locum ventum erat cùm quasi signo dato Christianis omnibus in vnum conuolantibus magni repente recursus vndique omnium facti, qui vestium fimbrias Martyribus tangere, & particulas abscissas auferre gestirent. sed pari Martyrum modestia cohibiti sunt. Iam singuli ad palos alligabantur cùm Christiani circumfusi partim vt Martyrum cruciatus vehementissimos vtcumque leuarent, partim vt inuictam eorum fidem magis ac magis excitarent, suaui cantu Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam percurrere cœperunt. Verùm etsi vix milites ignem circumposuerant, cùm coagmentata sarmenta ignem concipiunt, inuicti Martyres in tam horrendi incendij carnificina veluti doloris, sensu expertes, gaudijs perfusi videbantur. Longum esset singula de singulis commemorare: certè Magdalena quo animo perstiterit in medijs flammis, satis ostendit cùm ardentes prunas, quibus circumsepta ardebat, letabunda arripuit, easque summo vertici (quod venerationis apud Iaponios est) supertulit. Et Iacobus item noster solutis igne vinculis, prunas quas vicerat, festiuus calcans, ad matrem gratulabundus accedit, terque sanctissima IESV & MARIÆ nomina aliquanto contentiore voce, quam non pauci distinctè perceperunt, inclamans, beatæ matris funus cumulans, ad eius latus extinctus concidit: Continere se non potuere plurimi, maximè Sodales Congregationis Martyrum, quin & vitæ immemores, & periculi quod adibant, in medios ignes insilirent, & viuacibus flam-

flammis vndique correpta corpora, grassantis incendij eriperent iniurijs, adeo vt & eorum corpora, & trabes ipsæ quibus alligata fuerant & quidquid est eiusmodi, breui asportata fuerint, ne prunis quidem, vel cineribus ipsis, in supplicij loco relictis. Episcopus Ludouicus Cerqueica, debita inquisitione facta, eos veros Christi Martyres esse pro concione declarauit.

Vide p. 3. c. 7. §. 9. & c. 7. §. 5.



CAPVT XI.

IVGVLATI, MINVTATIM DISSECTI.



SEQVVNTVR alij qui tormenta corporibus suis atrocissima exceperunt maiori fortitudine, quàm ætate. Verùm quid agis truculente lictor? mucronem vti iugulo imprimas? vt trisulca teneras fauces sica aperias? O agnelli quis hîc vos tutabitur? Age tamen feritas, educ de vagina fulminantem aciem, gladium expedi, securim, machæram, frameam, verutum, acinacem, rhomphæam, & quicquid denique chalybs ferro mixtus acuit, illud totum appara, puerulos inuenies paratiores ad cædem ferendam, quàm sis ad inferendam. Ecce iugulum porrigunt, & quo vultu paulò antè cupedias, eodem nunc plagam expetunt. quos vel frigore fulminantis gladij facile putâras deterrendos, ij non nisi exsangues vim animi deponunt. Sed est quod insuper in pueris stupeas; non vno vulnere occubuisse satis est,

iuuat

iuuat ire per totum corpus in vulnera, totiesque cędem inferre quot numerantur membra,immo minutatim vnúquodque eorum dissecare, vt perisse putes, tot inter manus ac vulnera,corpusculum. O minutal, feritatis ferculum exquisitum! Vobis hæc Angeli, sunt frustula in extremum iudicij diem colligenda;tibi Deus colliganda.

§. 1. S. Agnes.

D Ambros. serm. 91. Surius 21. Ian. de eadem Prud. Peristeph. Hieron. ad Demetr. Antoninus 1.p.

SEruus Christi Ambrosius Virginibus sacris: Qualiter passa sit Agnes beatissima,ad memoriam reuocemus. Tertio decimo ætatis suæ anno, mortem perdidit, & vitam inuenit, quia solum vitę dilexit authorem. Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa: corpore quidem iuuencula, sed animo cana: pulchra facie, sed pulchrior fide. Dum à scholis reuertitur, à Præfecti Vrbis filio adamatur. cuius parentes dum requisisset, & inuenisset, cœpit offerre plurima & plura promittere. Denique detulerat secum preciosissima ornamenta, quæ à B. Agnete veluti quędam stercora sunt recusata. Vnde factum est, vt iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo. Et putans eam maiora velle accipere ornamenta, omnium lapidum preciosorum secum detulit gloriam: & per seipsum & amicos, & notos, & affines cœpit aures Virginis appellare, diuitias, domos, possessiones, familias atque omnes mundi huius diuitias repromittere, si consensum suum coniugio non negaret.

S. Agnes petitur à Præfecti filio.

Ad hęc B. Agnes tale dedisse fertur iuueni responsum. Discede à me fomes peccati,nutrimentum facinoris, pabulum mortis: Discede à me, quia iam ab alio amatore præuenta sum,qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrhauit me, longè te nobilior & genere,

Nota cóstantiã tenerrimæ Virginis.

nere, & dignitate. Ornauit me ineſtimabili dextrocherio: dextram meam & collum meum cinxit lapidibus precioſis: tradidit auribus meis ineſtimabiles margaritas, & circumdedit me vernãtibus atque coruſcãtibus gemmis. Poſuit ſignum in facie mea, vt nullum prẹter ipſum amatorem admittam; induit me cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornauit me. oſtendit mihi theſauros incomparabiles, quos mihi ſe daturum, ſi ei perſeuerauero, repromiſit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris, vel adſpicere alium, & illum derelinquere, cum quo ſum charitate deuincta; cuius generoſitas celſior, poſſibilitas fortior, adſpectus pulchrior, amor ſuauior & omni gratia elegantior. à quo mihi iam thalamus collocatus eſt, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. Iam mel & lac ex ore eius ſuſcepi: iam amplexibus eius caſtis adſtricta ſum; iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt, & ſanguis eius ornauit genas meas; cuius mater virgo eſt, cuius pater feminam neſcit, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudine ſol & luna mirantur; cuius odore reuiuiſcunt mortui, cuius tactu fouentur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt; ipſi ſoli ſeruo fidem, ipſi me tota deuotione committo: quem cùm amauero caſta ſum, cùm tetigero, munda ſum; cùm acepero, virgo ſum. nec deerũt poſt nuptias filij, vbi partus ſine dolore ſuccedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur.

Cum profitetur corpus Chriſti ſuo eſſe corpori ſociatum innuit abſque dubio fidem Eccleſiæ illius æui fuiſſe, Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia.

Audiens hæc inſanus iuuenis, amore carpitur cæco, & inter anguſtias animi, anhelo cruciabatur ſpiritu. Inter hæc, lecto proſternitur, & per alta ſuſpiria, amor medicis aperitur: Fiunt nota patri, quæ fuerant inuenta à medicis, & eadem paternâ voce quæ fuerant iam dicta à filio, ad petitionem Virginis reuoluũtur. abnegat Agnes beatiſſima & ſe nullo pacto prioris aſſerit ſponſi fœdera

dera violare: cumq; pater diceret in fastibus Præfecturæ se agere, & idcirco non sibi quemuis illustrissimum virum etiam posse preferri: cœpit tamen vehementissimè inquirere quis esset sponsus, de cuius se Agnes potestate iactaret. Tunc extitit quidam est Parasytis eius, qui diceret hanc Christianam esse ab infantia, & Magicis artibus ita occupatam, vt dicat Christum suum sponsum. Audiens hæc Præfectus, lętus efficitur, & missa apparitione cum ingenti strepitu, suis eam tribunalibus pręcipit sisti. & primò quidem blandis eam sermonibus secretius prouocat: deinde terroribus pulsat. Sed virgo Christi, nec blandimentis seducitur, nec terrore concutitur: sed eodem vultu, eodem animo perseuerans, & terrentem similiter sicut blandientem, animo deridebat. Videns itaque Symphronius Præfectus tantam in puella constantiam, parentes eius alloquitur; & quia erant Nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequenti namq; die, Agnetem sibi pręsentari iubet, & iterum, iterumque repetens, replicare cœpit de iuuenis amore sermonem. cumque omnis sermo eius casso labore deficeret, sisti eam iterum suis tribunalibus iussit; cui & dixit: Superstitio Christianorum, cuius te magicis artibus iactas, nisi à te fuerit segregata, non poteris insanias abijcere pectoris, neque ęquissimis consilijs prębere consensum: vnde te ad venerandam Deam Vestam properare necesse est, vt si perseuerantia Virginitatis placet, eius die noctuque sacrificijs reuerendis insistas.

Agnes sistitur ad tribunal.

Ad hæc B. Agnes dixit: Si filium tuum, quamuis iniquo amore vexatum, tamen viuentem hominem recusaui, hominem vtique, qui est rationis capax, qui & audire & videre, & palpare, & ambulare potest, & flore lucis huius cum bonis frui: si

Sapiẽs responsum.

frui: ſi ergo hunc cauſa amoris Chriſti nulla poſ-
ſum ratione reſpicere, quomodo poſſum idola
muta & ſurda, & ſine ſenſu, & ſine anima colere,
& ad iniuriam ſummi Dei, ceruicem meam va-
nis lapidibus inclinare? Audiens hæc Præfectus
Symphronius, dixit: Cupio conſultum infantię
tuæ, & adhuc te Deos blaſphemantem idcirco
differo, quia annos tuos infra ſenſum adſpicio:
noli ergo temetipſam ita deſpicere, vt motus deo-
rum incurras. B. Agnes dixit: Noli infantiam
corporalem ita in me deſpicere, vt putes me te
velle habere propitium. fides enim non in annis,
ſed in ſenſibus inuenitur: & Deus omnipotens
mentes magis comprobat quam ætates. Deos au-
tem tuos, quorum motus me incurrere non vis, i-
pſos iraſci permitte, ipſi loquantur, ipſi hoc mi-
hi prçcipiant, ipſi iubeant ſeſe coli, ipſi iubeant ſe
adorari. Verum quoniam ad hoc video te tende-
re quod impetrare non poteris, quicquid tibi vi-
detur exerce. Symphronius Præfectus dixit:
Vnum tibi e duobus elige: cum virginibus Deæ
Veſtæ ſacrifica, aut cum meretricibus ſcortabe-
ris in contubernio lupanaris; & longe erunt à
te Chriſtiani, qui te ita magicis artibus imbue-
runt, vt hanc calamitatem intrepido animo te
poſſe perferre confidas. Vndé, vt dixi, aut ſacri-
fica Deę Veſtæ, ad laudẽ generis tui, aut ad igno-
miniam natalium tuorum eris publicæ abiectio-
nis ſcortum. Tunc B. Agnes cum ingenti con-
ſtantia dixit: Si ſcires quis eſt Deus meus, non iſta
ex ore tuo proferres; vnde ego quia noui virtutẽ
Domini mei IESV Chriſti, ſecura contemno
minas tuas, credens quod neque ſacrificem ido-
lis tuis, neque polluar ſordibus alienis. Mecum
enim habeo cuſtodem corporis mei Angelum
Domini: nam vnigenitus Dei filius, quem igno-
ras, murus eſt mihi impenetrabilis, & cuſtos mi-
CG hi eſt

hi eſt nunquam dormiens, & defenſor mihi eſt nunquam deficiens. Dij autem tui, aut ærei ſunt, ex quibus cucumæ meliùs ſiunt ad vſus hominum; aut lapidei ex quibus ſternuntur plateę. Diuinitas ergo non in lapidibus vanis habitat, ſed in cælis: non in ære aut aliquo metallo, ſed in regno ſuperno conſiſtit: tu autem & ſimiles tui, niſi ab iſtorum cultu receſſeritis, ſimul vos pœnæ concludent. ſicut enim illi igne conflati ſunt, vt funderentur; ſic colentes eos perpetuo incendio conflabũtur: non vt fundantur, ſed vt cõfundatur in æternũ, & pereant. Ad hæc inſanus Iudex iuſſit eam exſpoliari, & nudam ad lupanar duci ſub voce Præconis, dicentis Agnem ſacrilegam virginem, Dijs blaſphemiam inferentem, ſcortum lupanaribus datam. Statim autem vt exſpoliata eſt, crine reſoluto, tantam denſitatem capillis eius diuina gratia conceſſit, vt meliùs videretur fimbrijs eorum quàm veſtibus tecta. Ingreſſa autem turpitudinis locum, Angelum Domini ita pręparatum inuenit, vt circumdaret eam immenſo lumine, ita vt nullus poſſet eam præ ſplendore reſpicere. Fulgebat enim tota cellula illa quaſi radians ſol in virtute ſua, & quanto quis curioſior oculis eſſe voluiſſet, tanto ſibi viſus aciem obtundebat: cumque ſe in oratione Domino proſtrauiſſet, apparuit ante oculos eius ſtola candidiſſima: & apprehendens eam induit ſe, & dixit: Gratias tibi ago Domine IESV Chriſte, qui me in numero ancillarum tuarum computans, veſtem hanc mihi largiri præcepiſti: ita namque ad menſuram corpuſculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio candore conſpicuum, vt nullus dubitaret hoc Angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis: in quo, omnis qui fuiſſet ingreſſus, adoraret, & veneraretur, dans honorem immenſo lumini, & mun-

Nudatur virgo, & ad lupanar ducitur.

Ecce prõptum Angeli cuſtodis officiũ

Accepit cęlitus veſtem.

mundior, egrederetur foras, quam fuerat intus ingreſſus, cumque hæc agerentur, Præfecti filius, qui author erat huius ſceleris, venit ad locum cũ ſodalibus ſuis iuuenculis, inſultaturus puellæ, cum quibus libidinis ſuæ ſe poſſe credebat ludibrium exercere. & ingreſſos ante ſe furentes pueros, & turpiter ſæuientes, cum omni veneratione, & ingenti admiratione egreſſos, cœpit impotentes arguere, atque vanos & molles, ac miſeros iudicare: & irridens. locum in quo virgo orabat, audacter ingreſſus eſt: & videns tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo; ſed irruens in eam priuſquam eam vel manu contingeret, cecidit in faciem ſuam, & præfocatus à diabolo expirauit. Videntes autem ſocij eius quod moram faceret, putabant obſcœnis eum operibus occupari. & ingreſſus eſt vnus ex iuuenibus, qui ei familiarior erat, vt cõgratularetur inſultationi eius: & mortuum eum inueniens, exclamauit voce magna, dicens: Piiſſimi Romani, ſuccurrite, magicis artibus iſta meretrix Præfecti filium interfecit. Fit repente concurſus populorum ad theatrum, & varia furentis populi acclamatio. Alij dicebant Magam, alij innocentem, alij ſacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium ſuum interijſſe, cum ingenti tumultu venit ad theatrum, & ingreſſus locum in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingenti clamore dicebat: Crudeliſſima omnium feminarum, ad filium meum voluiſti apodixin, & ſignum tuæ artis magicæ demonſtrare? & cùm talia atque alia huiuſcemodi verba repeteret, & cauſas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatiſſima Agnes. Ille cuius voluntatem volebat perficere, ipſe in eum poteſtatẽ accepit: quare autem omnes qui ad me ingreſſi ſunt, ſani ſunt? quia vniuerſi dederunt

Præfecti filius à diabolo præfocatur.

 hono-

honorem Deo, qui misit Angelum suum, & induit me hoc indumento misericordię, & custodiuit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo consecratum est, & oblatum. Videntes ergo splendorem Angelicum adorabãt omnes, & abcedebant illęsi Hic autem impudens statim vt ingressus est, sæuire cœpit & fremere: cumque manum suam ad me contingendam aptaret, dedit eum Angelus Domini in reprobam quam conspicis mortem. Dicit ei Præfectus: In hoc apparebit quia non magicis artibus ista gessisti, si deprecata fueris Angelum ipsum, vt restituat mihi filium meum sanum. Cui B. Agnes dixit: Licet fides vestra hoc impetrare non mereatur à Domino, tamen quia tempus est, vt virtus Domini mei IESV Christi manifestetur: egredimini omnes vt solitam ei orationem offeram. cumque vniuersi fuissent egressi, prosternens se in faciem planam, rogare cœpit Dominum, vt iuuenem suscitaret: orante autem illa, apparuit Angelus Domini, qui eleuauit eam flentem: & confortans animum eius, iuuenem suscitauit, qui egressus foras cœpit voce publica clamare, & dicere: Vnus Deus in cælo, & in terra, & in mari, qui est Deus Christianorum: nam omnia templa vana sunt: dij qui coluntur omnes vani sunt, & penitus nec sibi possunt, nec alijs aliquod auxilium exhibere. Ad hanc vocem omnes Aruspices & templorum Pontifices perturbantur, & fit per eos vehementior quàm fuerat seditio populorum. Atq; omnes vna voce clamabant: Tolle Magam, tolle Maleficã, quæ & mẽtes mutat, & animos alienat.

Redit idẽ ad vitam precibus Virg.

Christum palam cõfitetur.

Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit: sed veritus proscriptionem si contra templorum Pontifices ageret, & Agnem cõtra suam sententiam defensaret: vicarium ad seditionem populi iudicem dereliquit; ipse autem tristis abcessit,

cessit, quòd eam non potuit post resurrectionem filij sui liberare. tunc Vicarius Aspasius nomine, iussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, & in medio eam præcepit iactari flammarum. Quod cùm fuisset impletum, statim in duas partes diuisæ sunt flāmæ, & hinc atque illinc seditiosos populos exurebat, ipsam autē penitus in nullo cōtingebat incendiū. Eò magis non hoc virtutibus diuinis, sed maleficis reputantes, dabant fremitus inter se populi, & infinitos clamores ad cælos. Tunc B. Agnes expandens manus suas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini nostri IESV Christi, benedico te, quia per filium tuum vnigenitum euasi manus hominum impiorum, & spurcitias diaboli impollutο calle transiui. ecce & nunc rore cęlesti perfusus per Spiritum sanctum focus iuxta me moritur, flamma diuiditur, & ardor incendij huius ad eos, à quibus in me ministratur, effunditur. Benedico te pater prædicande, *&c.* Cumque complesset orationem, ita omnis ignis extinctus est, vt nec tepor quidem incendij remaneret. Tunc Aspasius Vrbis Romæ Vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur eius gladiū mergi præcepit. Atque hoc exitu, roseo sui sanguinis rubore perfusam, Christus sibi sponsam & martyrem consecrauit.

S. Agnes in ignem conijcitur

Oratione flammas extinguit.

Iugulatur.

§. 2. *Mauritij Imperatoris filij.*

PHocas tyrannus cùm in Mauritij Imperatoris necem velut furijs quibusdam raptus esset, primum liberos ipsos in conspectu patris occidit, deinde verò & ipse Mauritius resectionem capitis sustinens, ferro cęsus occubuit, egregia animi virtute in summa ea calamitate exhibita: cùm namque liberorum nutrix infante vno Im-

Niceph. l. 18 c. 40. Eutropius l. 17 rerum Rom. Io. Zonaras to. 2. annal. de Mauritio.

 periali

periali ſubtracto, puerum ipſa ſuum lactentem ad cædem protuliſſet, Mauritium adſtantem percuſſoribus arcanum ſuppreſſi pueri ſui conſilium indicaſſe ferunt; quod minimè æquum eſſe duceret, vt in alium (cùm ab ipſo Deus pœnas expeteret) animaduerteretur. Atque eo infante iugulato, cædes eiuſmodi pro ſanguine lacteum liquorem profudit.

§. 3. *S. Pelagius.*

Baron. to. 10 an. 9‧5 ſcribit quo que eius martyrium R badenera 30. Iunij

Plures ſunt qui Pelagij prçclarum Martyrium conſcripſere. antiquior autem cçteris, qui tum vixit, eodemque in loco verſatus interfuit, Raghuel, totius rei geſtæ hiſtoria eſt perſecutus, qui primam cauſam cur puer decennis detineretur in carcere, eam aſſerit, quòd cùm in bello aduerſus Gallęciam ab Arabum Rege excitato, captiuus Ermoigius Epiſcopus remanſiſſet, ductus Cordubam, vt ſe nexibus liberaret, eundem Pelagium ſobrinum ſuum decem annorum reliquerit obſidem, puerum elegantiſſimæ formæ, atque ſpectatæ virtutis; quique totum illud triennium & ſemis, quo manſit incluſus, venturi prçſcius, ad Martyrij præparationem impendit. Cùm verò venuſtus facie non ad Martyrium, ſed ad delicias Tyranni educeretur e carcere, ab eodemque mille modis ſuaderetur ad turpia: magnis ille animis renitens, comparauit ſibi ea occaſione Martyrium: quod quonam modo tranſactum fuerit, & conſummatum, ab eodem authore ſic accipe.

Acta Martyris Pelagij per Raghuelem eius temporis ſcriptorem.

Interea, poſt conſtantem ſcilicet fidei exhibitam confeſſionem, cùm eum ioculariter Rex tangere vellet, abuti ſcilicet, Tolle canis, inquit S. Pelagius, nunquid me ſimilem tuis, effeminatum exiſtimas? & illico veſtimenta quæ indutus erat, ſcidit, & fortè in palęſtra ſe athletam conſtituit, eligens potiùs dignè pro Chriſto mori, quàm turpiter

piter cum diabolo viuere, & vitijs inquinari. ipſum verò adhuc ſuaderi poſſe Rex exiſtimans, ſuis præcepit tyronibus, vt eum ſuaſorijs delinirent lenocinijs, ſi forte apoſtatando, tantis acquieſceret regalibus pompis. Sed ille adiuuante Domino fortis ſtetit, & intrepide permanſit, Chriſtianum ſe ſolummodo prædicans, Deique per ſęcula præceptis obſecundare ſe dicens. Eius feruentiſſimum Rex ſpiritum contra ſe perſiſtere videns, atque in ſuis deſiderijs ſpretum eſſe intelligens, ira ſtimulatus, Appendite, inquit, illum in forcipes ferreas, ac ſtrictum tamdiu ſurſum, deorſum, viciſſim leuantes deponite, quouſque aut animam exhalet, aut Chriſtum eſſe Dominum deneget: quod B. Pelagius forti animo pertranſiens, ſtabat intrepidus, qui adhuc pro Chriſto pati non recuſabat. cuius cùm immobilem Rex conſtantiam videret, iuſſit eum membratim gladio ſcindi, & in flumen proijci. Quâ miniſtri poteſtate acceptâ, per tam immania in eum exerto pugione ludibria debacchati ſunt, vt putares ſacrificia componere de eo, quem immolari, eis inſcijs, in conſpectu Domini noſtri IESV Ch. erat neceſſe. & qui iā electus manebat in cælis, adhuc durius patiebatur in terris: nam alius brachium radicitus amputauit, alius tibias diſſecuit, alius etiam ceruices ferire non deſtitit. Interea ſtabat Martyr intrepidus, ex quo guttatim ſanguis diſtillabat pro ſudore profluus, nullum interim pręter Dominum IESVM Chriſtum inuocans, pro quo pati non recuſabat, dicens: *Domine eripe me de manu inimicorum meorum.* Quem ſane diuina poteſtas non deſeruit, faciens illum in pœnis Confeſſorem, ac ſub gladij mucrone, glorioſum in cælis Martyrem. Porrò manus, quas ille ad Deum leuabat, illi ſceleratiſſimi gladio amputabant. Inter quæ beatiſſimus Pela-

Crudeliſſimè cęditur puer Pelagius.

gius fessus anhelabat. Et quia qui hominum misereretur non aderat, Deum solummodo inuocabat. clamabat quidem athleta fortissimus, sed pręsens certamini præerat Dominus: *Veni*, inquiens, *accipe coronam, quam tibi ab initio mundi promisi*. Inter hęc spiritus migrauit ad Deum, corpus verò proiectum est in fluminis alueum; sed post hæc nullatenus defuêre fideles, qui illud quærerent, atque in sepulcrum honorifice deferrent, cuius quidem caput tenet cæmiterium S. Cypriani, corpus verò cespes S. Genesij. O verè dignum Deo Martyrium, horâ septimâ cœptum, vespere autem eodem die consummatum! Igitur hic beatiss. Pelagius ætate circiter tredecim annorum & semis passus est Cordubæ, Habdarraghma Rege imperante, die videlicet Dominica, hora decima sexto Cal. Iul. æra 963. regnante Domino IESV Christo, qui viuit &c. Hactenus scriptio Raghuelis.

Ætas S. Pelagij.

§. 4. *Ioannes puer Hispanus.*

Bozius to. 1. l. 11. c. 1.

ANno 1576. captus est à Malauaribus Indis, cis Gangem, in ora Commorinensi puer annorum duodecim, cui nomen Ioanni, natione Hispanus: cumque formosâ ac liberali specie foret, dono donatus est cuidam Regulo, qui eximiâ pueri indole delectatus, nihil non egit vt à Christi cultu illum deduceret: inter cętera est pollicitus, se illi in matrimonio collocaturum filiam, quam pulcherrime ornatam iussit in medium procedere, vt eius aspectu, blanditijsque delniretur. Vbi verò post multa tentata se nihil ille proficere vidit, furore succensus, atrocissimum supplicium mandat apparari. Nihil eo consternatus impubes, petito temporis spatio, quo supplicaret Deo, intrepidus ad extremum se nihili omnia facere est professus. Itaque summos primo digitos, deinde manus in plura frusta paulatim

latim secuerunt, idemque brachijs ambobus fecere; moxque ad pedes & crura venerunt, minutatimque illa conciderunt: cumque sępius ab ipso immanissimi tortores carnificesque exigerent, vt Christo nũcium remitteret, inuictus hilarisq; respondebat, se nunquã id facturum, & ad adstantes conuersus, in quibus multi erant captiui Christiani, ad eadem perferenda hortabatur, affirmans se nunquam tantùm lætitiæ cepisse, nunquam gustasse tantum suauitatis. quæ cùm perorâsset, animo ardentissimo ad Superos euolauit. hæc ę literis Francisci Monclari Societatis IESV.

§. 5. *S. Floccellus à feris discerptus.*

FLoccellus Martyr puer decennis, passus est apud Vrbem Augustodunensem, temporibus Antonini Imp. sub Valeriano Pręside. Cùm enim Præses audisset quod Floccellus Sanctos Martyres in eorum passionibus confortaret, iussit eum teneri, & suspensum in equuleo diutius flagellari: deinde carcere vnà cum leone recludi, vt ab eo deuoraretur. Orante verò puero, leo subitò moritur. Statimque septem lucernæ cum candelabris ei præsentantur: quarum lumine tenebrę carceris repelluntur. Quod audiens gentilis quidam, filium suum cœcum, surdum, & mutum ei obtulit. Cui sanctus Martyr confestim visum, auditum, & loquelam restituit: & ipsum cum patre ad Christum conuertit. Quæ cùm Pręses audisset, ipsum in ignem maximum extra vrbem mitti fecit. Sed puer ab Angelo sibi à dextris assistente hortatus ignem ingressus est; & continuò tempestate, & imbre valido ingruente ignis extinctus est. Quem Præses iussit linguâ & palmis clauis configi. Et dum nihilominus Christum confiteretur, stolâ indutus lineâ, feris in platea exponitur, & ab eis discerptus, martyrio coronatur 14. Cal. Oct.

Ex gestis eius Petrus in Catalogo l. 8 c. 92 Vincent. in spec. hist. c. 1. 5. Marul l. 5. c. 5

§.6.Fran-

§. 6. *Francisci & Matthæi, Arimandoni Ioannis filiorum, cædes.*

Ex literis Societ. Iesu anno 1613.

ARimandonus Ioannes ex Iusta, secũda vxore, susceperat filios Franciscũ & Matthęum, ille erat octennis, iste sexennis; vterque egregiæ indolis, qui iussu Arimandoni Michaelis natu maioris fratris impiè necati sunt, hac ratione. Arimandonus, dum in curia subsistit, Gubernatoribus per literas mandat, vt quamprimùm & secretò Franciscum & Matthęum occidant. Gubernatores in tenebrosam domum detrudunt infantes, dumque inibi inclusos per 40. dies detinent, falso rumore in vulgus spargunt, infantes Meacum versus cum sororibus profectos. Innocentes pueri pro suo se modulo ieiunijs & orationibus adeo strenuè exercuerunt, vt aut aduentantem mortem præsagire viderentur, aut peculiari Spiritus Sancti instinctu ad hæc moueri. Neque hic omittenda quæ ab ijs gesta sunt ea ipsa nocte qua necati sunt. Cœnæ instabat hora, cùm Franciscus ad suos conuersus: Ego, inquit, in pœnam criminis, quod hodie admisi, abstinere cogito: forte militi cuidam per iocum caput attrectauerat manu, eaque re eum contristasse ratus, tãtum crimen ieiunio vindicandum statuerat: verùm hunc ex eius animo scrupulum euulsit ille ipse miles, nihil se ea re lęsum asserens, vnà cum Matthęo cœnaret; rogat obnixè, & homini acquiescit. Itaque Matthęus cubitum discesserat, cùm Franciscus quinquies, prouolutus in genua, recitauit salutationem Angelicam: & eo penso absoluto, meditabundus aliquamdiu steterat, cùm ad Ignatium (erat hic honorarius puer) Heus tu, inquit, ego cruciatuũ Christi in cruce acerbitatem paulò antè meditans, lacrymas tenere non potui, eorum vicem dolens, qui tantum beneficium non agnos-

agnoscũt. Fleuit vbertim Ignatius, tam maturum in tam immatura ætate iudicium admiratus: cùm ergo tantum deuotionis sensum cerneret Ignatius in Francisco, vt eum ad mortem, quam imminentem sciebat, pararet, ita eo audiente B. Virginem est precatus: Sanctissima Dei parens MARIA virgo, per acerbissimæ passionis IESV Christi filij tui merita, te supplex rogo, vt si fortè me hac nocte mori contigerit, mei memineris: pia mater, tuis virgineis manibus animam corpusque committo. Hæc eadem verò ingenti animi sensu iterauit Franciscus, & trigesies ter IESV & MARIÆ nomina inuocauit: quæ cùm authore Ignatio quinquies iterum repetijsset, lustrali aqua frontem muniens, se ad somnum composuit. Interea Ignatius magno animi sensu, atque ingenti lacrymarum vi orare perseuerabat, pro his, quos, antequam euigilarent, trucidandos nouerat. Plurima igitur nocte ingreditur miles, Matthæum pugione transuerberat, Franciscum iugulat; & in hunc modum innocentes pueri dormientes hanc vitam cum ęterna procul dubio commutarunt: licet enim exploratum non sit, eos in Christianæ fidei odium à fratre interfectos, innocentia tamen, & labis expers ætas, vnà cum iniusta nece, beatam in cælis vitam degere testantur non obscure, in quorum cæde summorum & infimorum ingens cùm esset luctus, solus Arimandonus Michaël, parentis horum frater natu maior, & à fide Apostata, omnis sensus expers, non solùm aliquãto placatior in suos, suorum cęde effectus est, sed ex eo eius crudelitas in Christianos est latiùs debacchata.

CAPVT XII.

VARIO TORMENTORVM GENERE NECATI.



Xigva sunt puerorum corpuscula, sed quanta quanta sunt, Christe, tua sunt: creatione tua sunt, dilectione quoq; tua esse volunt; & dum volunt maximè, quis credat in tam parua republica magnum etiam ortum esse dissidium? singula certant membra hanc sibi vendicare palmam. Cor vult transfigi, à ceruicibus reuelli caput, manus, pedesque à trunco rescindi, corpus totum ignibus concremari; fitque vt vnumquodque alteri dum pio certamine hanc tentat laudem præripere, vnum corpus non vno tibi vulnere litet. Bene est, inquit Agonotheta noster, laudo virtutem, infractum laudo pectus: & si plura fuêre, pœnarum genera, plura erunt & præmiorum,
Io. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*. Ergo tyranni segnis furor accendatur: suscitet se in iras lictor: expediantur virgę, scorpiones, taureæ, lamnæ, sartagines, aut quicquid atrox potuit Phalaris, quicquid Busyris excogitare; erit ad excipienda tormẽta puer, quàm illi ad inferenda, paratior. Non ipsa crudelitas tot pœnaram modos, tot suppliciorum genera, quot virtutum constantia puerorum (ô diuinam vim!) suppeditabit.

§. 1. Puer Machabæus.

2. Mach. c. 7. *Contigit septem fratres vnà cum matre sua apprehensos compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos.* (Sex igitur vario tormentorũ genere crudelissimè interfectis) *Antiochus cũ adhuc adolescentior superesset, non solùm verbis hortaba-*

hortabatur, sed & cum iuramento affirmabat, se diuitem & beatum facturum, & translatum a patriis legibus amicum habiturũ, & res necessarias ei præbiturum. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocauit Rex matrem, & suadebat ei, vt adolescenti fieret in salutem. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo, itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. peto à te, nate, vt aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: vt intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, vt non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, & suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen, tu verò qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur: & si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur seruis suis. Tu autem ô scelestè, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus, in seruos eius inflammatus; nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti: nam fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exolues. ego autem sicut & fratres mei, animam, & corpus meum trado pro patriis legibus, inuocans Deum maturiùs genti nostræ propitium fieri, teq́ue cum tormentis & verberibus confiteri, quod ipse est Deus solus. In me vero & in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum iustè superducta est. Tunc Rex accensus ira, in hunc super omnes crudeliùs desæuit, indignè ferens se derisum, & hic itaque mundus obijt,

per

per omnia in Domino confidens, nouissimè autem post filios, & mater consumpta est.

§. 2. *S. Maioricus.*

Victor de persecutione VVādal. Martyrol. Roman. 6. Decemb.

SAncta Dionysia cùm suum vnicum filiū admodum adhuc teneræ ætatis, & delicatum, timore pœnarum formidolosum conspiceret, verberans illum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna, ita confortauit, vt matre multò fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Catholica baptizati sumus. non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens inuitator, vestem non inueniat nuptialem, & dicat ministris: *Mittite eum in tenebras exteriores. Vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium.* Illa pœna timenda est, quæ nunquam finitur, illa desideranda vita, quæ semper habetur. Talibus itaque filium solidans verbis, velociter Martyrem fecit. Venerabilis verò adolescens Maioricus nomine, in certamine confessionis spiritum reddens, cursum palmiferum consummauit, amplexansque mater illam hostiam suam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ in sua domo maluit sepelire, vt quotiens super sepulchrum eius Trinitati preces effundit, alienam se à filio nunquam, confidat.

Matth. 22.

§. 3. *Sptem filij S. Fælicitatis.*

Cōscriptum est hoc Martyrium ab Ecc. Romanæ Notarijs. Passi sunt verò anno Christi 75 Soteris Papæ 1. 10. Iulij.

ANtonini Imper. tempore, Publius Præfectus productam in carcere Fælicitatem cum filijs, sic affatur: Fælicitas, miserere filiorum tuorum, & noli floridam illam iuuentutem, dementiâ tuâ in pestem ante oculos positam tecum abripere. Respondit constans matrona: Misericordia tua, impietas, & exhortatio, crudelitas est; & conuersa ad filios: O filij, inquit, ô chara ventris mei

mei pignora, mentem oculosque ad cælum erigite, ibi vos expectat Christus cum Sanctis suis, pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amore Christi exhibete.

Audiens hæc Publius, iussit eam colaphis cædi, dicens: Itane me præsente ista monita dare audes, vt spretis Deorum nostrorum iussis, furibunda mente in necem ruant? & statim amota matre filium eius Ianuarium natu maximum blandis ad se verbis vocauit, multaq; ei obtulit, si Dijs sacrificare vellet: sed cùm ille munera contemneret, & iudex fulmine verborum adolescentem terrere niteretur: Quid, inquit, inani verborum strepitu aures meas obtundis? ego enim Christi virtute hęc facile superabo; Iudex eâ contumeliâ prouocatus, virgis atrociter cęsum in carcerem recipi iussit; inde verò Fœlicem secundum adduci. is pari constantiâ iudicis minas, blanditiasque ferens: Túne, inquit, existimas vel me, vel aliquem fratrũ meorum à Domini nostri IESV Christi amore auellendum? Hoc audiens Præfectus, isto amoto, iussit sisti tertium, Philippo illi nomen erat; & hic simili audaciâ in iudicem, & inania Deorum simulacra inuectus, iterum est receptus in carcerem. Mox adfuit quartus Silanus, ad quem Iudex: Vt video, conuenit vobis in pessimâ matre, vt spretis Principum mandatis, vnum omnes interitum subeatis: cui Silanus. Immo si tua tormenta sane puerilia timuerimus, in æternum interitum, suppliciaque horrenda incidemus. amoto Silano iussit pręsto esse Alexandrum, qui pari constantiâ respondit. Vitalem ergo producens, fortè vel tu, inquit, vitam amplexaberis. Respondit Vitalis: Nos quamdiu Christo per fidem coniuncti sumus, vitam habemus, mori nec possumus: qui verò impuris sacrificijs dęmônem habere propitium nititur, is sibi multas mortes imprudenter machi-

machinatur. Tunc Præfectus eâ pueri prudenti
dicendiq́ue libertate grauiter irritatus: Et qu
est, inquit, dæmon? Cui Vitalis: Omnes dij ge
tium dęmonia, & omnes, qui ijs diuinos honor
tribuunt. Publius hoc quoque per contemptu
amoto, postremum tandem prodire iussit. Mart
lis is erat, & tenerâ ætate puer, animo tamen
supplicia pro Christo perferenda promptissim
Hunc iudex alloquio dedignatus, auerso vul
Heu, inquit, crudelitatis fautores effecti, Augu
rum instituta contemnitis, & in vestra pern
permanetis. Puer verò contra exclamans: O,
quit, si nosses quæ pœnę idolorum culto
constitutæ sint, aliud saperes.

Auditis ergo singulis, gesta omnia scriptis c
signata misit Antonino: Imperator verò eâ p
rorum constantiâ vehementer excandescens
uersos ad Iudices eos misit excarnificandos
primus quidem plumbatis diu grauiterq́ue
sus pręclare in Christi confessione spiritum
didit. secundus, & tertius, fustibus mactati, e
giam animi constantiam ad extremum v
magno fidelium gaudio declarârunt. qu
præcipitio est interemptus. Reliqui tres g
ceruices intrepide subiecerunt, matre int
charissima sua pignora ad tam præclaram

D. August. ser. 110. de diuersis. tyrij palmam hortãte: ipsa enim (vt ait Aug
fœcundior virtutibus quàm fœtibus, viden
tantes, in quibus omnibus & ipsa certabat,
omnibus vincẽtibus etiam ipsa vincebat. I
erat ei hoc spectaculum iucundissimum: n

Hom. 3. in Euang. testatur D. Greg.) *Septẽ filios sic post se timuit*
carne relinquere, sicut carnales parentes solent
ne mortuos præmittant. Ergo de septem filior
lute secura, totiesq́ue & ipsa Martyr, simil
tis truncatione gloriosam victoriæ palm
consecuta.

§. 4. *Septem filij S. Symphorosæ.*

Symphorosa cum septem filijs suis apud Tiburtinam ciuitatem sub Adriano principe passa est. Hæc fuit coniux B. Getulij martyris, ex quo septem liberos procreauit, quorum nomina hæc sunt: Crescentius, Iulianus, Nemesius, Primitiuus, Iustinus, Stacteus, Eugenius; quos omnes Adrianus vnà cum matre detineri fecit, & ipsam Symphorosam iussit palmis cædi, deinde crinibus suspendi. sed cùm eam superare nullus posset, iussit eam alligato saxo in fluuium præcipitari; cuius frater Eugenius, Curiæ principalis Tiburtinę, corpus eius colligens, sepeliuit. Mane autem facto iussit Imperator septem figi stipites, ibíque filios eius ad trochleas extendi, & Crescentium in gutture transfigi, Iulianum in pectore, Nemesium in corde, Primitiuum per vmbilicum, Iustinum per membra distinctum, scindi per singulos corporis nodos, atque iuncturas. Stacteum lanceis multis, donec moreretur, in terra configi, Eugenium scindi à pectore vsque ad inferiores partes. Quorum corpora præcepit auferri, & proijci in foueam altam: & posuerunt Pontifices sacrorum, nomen loci ipsius ad septem biothanatos. Eorum corpora, vt habet Martyrologium Rom. postea Romam translata Pio IIII. summo Pōtificè in Diaconia S. Angeli, in piscina inuenta fuerunt. Extat adhuc (vt notat Baronius) Tiburi cisterna sicca, vbi illis persecutionis temporibus S. Symphorosa cum filijs aliquando delituit.

Petrus in Catalogo l. 6. c. 111. Sur. Breu. Rom. 18. Iuly.

§. 5. *S. Ponticus cum S. Blandina, multisque alijs Galliæ martyribus.*

Postremo die singularium certaminum aduentante, Blandina, & adolescens Ponticus circiter annos 15. natus (hi autem quoti-

Euseb. l. 5. c. 1. Surius 2. Iunij Ado, Beda, Molanus.

die introducebantur ad reliquorum supplicia contemplenda) in amphitheatrum inferebantur, vrgebanturque per gentilium idola iurare. Ac quoniam illi perstabant constantes, & ea despicatui ducebant, vesana multitudo contra illos aspere, & ferociter sæuiebat, adeo vt neque adolescentuli commiserarentur ætatem, neque mulierē omnino reuererentur. Omnibus igitur tormentis eos obiectare, & per quoduis supplicij genus vndique agitare cœperunt, & sine intermissione nunc hanc, nunc illum per ipsorum Deos iurare impellebant. Cęterum hoc nullo modo poterant efficere: nam Ponticus, qui ita erat à sorore exsuscitatus, vt eam gentes esse animaduerterent, quæ illum cohortata fuisset, confirmassetque post omnia cruciamentorum genera viriliter, & magno animo tolerata, extremum spiritum edidit.

§. 6. *S. Conon cum filiolo.*

Pet. in Catal lib 5. c 6.. Mart Rom. 29. Maij. Bed Vsuardus, Ado.

CONON Martyr cum filiolo suo annorum 12. passus est Nicomedię Isaurię ciuitate, tempore Aureliani Imper. sub Comite Domitiano, qui Nicomediam ingressus, S. Cononem tanquam Christianum teneri iussit; & cùm sacrificare nollet, eidemque acerrima supplicia minaretur, ille nolens sine filio gloriari, vnicum natum duodennem vt Christianum Comiti exhibuit, postulans eum ad cruciatus secum admitti. Quos Iudex in craticulâ iussit extendi, & prunis suppositis oleum desuper infundi, & cùm diu dum volutati incolumes permansissent, fecit eos in sartaginem succensam mitti: at dum neque sic vinci potuissent, mandauit illos appensos, flammis subtermissis exuri, manusque illorum malleis contundi. Qui dum orantes psallerent, cælesti eos voce vocante spiritum emiserunt:


runt: sepultique à fratribus sunt Nicomediæ tertio Cal. Iunij.

§. 7. *Multi pueri Malucenses.*

Franciscus Viera Goam è Maluco veniens, cùm paululum processisset, nauis in Syrtes & scopulos incidit, factoque naufragio, mari sese commisit imperitus homo natandi, & bis ad ima demersus, ab vrinatoribus denique semiuiuus ad littus extrahitur, quò cum cæteri quoq; comites fere omnes aliquâ etiam parte cõmeatûs tormentorumque receptâ, se contulissent, nouum eos periculum confestim excepit; cùm enim incolæ Mauri à Lusitanis hostiliter diffiderent, magna eorum manus ad eos trucidandos accurrit. sed nostri in locum naturâ munitum sese receperant, cuius opportunitate, itemque tormentorum vsu, ab hostium incursibus tamdiu se defenderunt, quoad nauis alia Malucensis ereptos eo periculo Malacam abduxit. Multa Franciscus, ac mira de Neophytis prędicat, qui eo præcipuè anno Christianæ fidei causâ crudeliter oppugnati, magnâ etiam ex parte varijs cruciatibus interfecti sunt: cùm quidẽ mulieres ipsæ filiolos partim sinu complexæ, partim manu trahentes, opulentis instructisque domibus consultò relictis, per syluas errarent, ne susceptam recèns Christianam religionem abiurare, aut deserere cogerentur: aliç verò vnà cum liberis in IESV Christi confessione fideliter persistentes, gladijs impiorum occumberent: multi præterea adolescentuli eiusdem fidei retinendæ causâ, ingentia maris spatia traijcerẽt, ex insulâ tranantes in insulam. atque etiam illud idem Franciscus addebat: Quo tempore Maurorum metu post naufragium, sese munito illo, quem diximus, continebat loco, eodem contendisse pueros non plus decimum aut

Organtinus lib. Epistolarum de rebus Indicis.

duodecimum agentes annum, qui noctu natantes veriti ne per imprudentia iaculis peterentur, clamarent: *Ne librate, Ne librate; Christiani sumus.* Quorum cõstantia nostri ad lacrymas vsque permoti, & cæterorum, quibus opem ferre non poterant, calamitatem miserati, eos in comitatum suum gratulantes acciperent.



CAPVT XIII.

INCERTO MORTIS GENERE OCCISI.



Svnt è pueris Christi pugilibus non pauci, quos in antiquis probatissimorum authorum monumentis incerto mortis genere, certam tamen Martyrij palmam legimus reportasse. Verùm quid ad ipsos attinet, meminerintque eorum fasti Ecclesiastici, an interierint eiusmodi apud nos monumenta? Non memores fasti Sanctos, sed Sancti fastos exornant. Si nominibus solùm fuisset Sanctorum probanda constantia, pluris iudicium hominum fuisset faciendum: nunc alium habuere Agonothetam: Spectaculum facti sunt Deo præcipue & Angelis, quibus nihil est incertum, ideoque certam à Deo, licet de incerto nobis mortis genere, coronam retulerunt. Martyres Christi sunt, pro fide mortem oppetiere: id abundè est; nam *Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt sequuti: & quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.*

§. I. S.

§. 1. *S. Hilarianus puer.*

S. Saturnino martyrij palmâ coronato, cum iuniore Saturnino & Felice Lectoribus, & Maria Sanctimoniali, filijs suis, Hilarianus adhuc supererat, qui ætatem suam paruulam ingenti deuotione vincebat. Hic patris fratrumque triumphis approperans iungi, diras Tyranni minas non tam exhorruit, quàm in nihilum duxit. Huic cùm diceretur: Patrem tuum aut fratres tuos secutus es? Subitò breui de corpore vox iuuenilis auditur, & angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis, *Christianus sum, & mea sponte, ac voluntate, cum patre meo & cum fratribus feci collectam.* Audires patris Saturnini Martyris vocem per dulcis filij meatus exire, & confitentem Christum Dominum linguam de fratris exemplo secuturam. Sed Proconsul stultus, non intelligens contra se non homines, sed Deũ in Martyribus dimicare, nec quia in puerilibus annis ingẽtes animos sentiebat, putabat puerum tormentis infantiæ posse terreri, denique, Amputabo, inquit, & collum tibi, & nasum, & auriculas, & sic te dimitto. Ad hæc Hilarianus puer, patris fratrumque virtutibus gloriosus, qui iam didicerat à maioribus suis tormenta contemnere, clara voce respondit: Quicquid facere volueris, fac, quia *Christianus sum.* Mox in carcerem recipi etiam ipse iubetur, ingentique cum gaudio vox Hilariani auditur, dicentis: *Deo gratias.* Hic certaminis magni pugna perficitur. Hic diabolus superatur, & vincitur: hic Martyres Christi de passionis futuræ gloria æterna iugi gratulatione lætantur.

Surius 11. Febr.

Hilariani virilis animus.

§. 2. *Decem Infantes anonymi.*

Decimo quinto Iulij, Alexandriæ decem infantes Martyrio coronati sunt, vt habet Petrus,

Pet. de Natal. lib. 11. cap. vlt.

trus, & Martyrologium Romanum. de quibus Beda, & alij.

§. 3. *Ruffinus, Syluanus, Vitalicus.*

Martyrol. 4. Sept. idē habet Pet. in Catalog.

ANcyræ in Galatia, natalis celebratur Sanctorum trium puerorum Ruffini, Siluani, & Vitalici Martyrum.

§. 4. *Modestus & Ammonius.*

Martyrol. 12. Feb. Petrus in Catal. l. 11. c. vlt. Beda pridie Id. Feb.

ALexandriæ SS. Modestus & Ammonius infantes Martyrio coronati sunt. De quibus plura non leguntur.

§. 5. *S. Paulillus.*

Martyrol. Rom. 13. Nouēb. & Petrus Catal. l. 10. c. 58. ex Adone Bed. pridie Id. Nou

SVb Geiserico Ariano Rege, Paulilli pueruli, germani SS. Paschasij & Eutychiani, etiā tunc in Africa diuerso mortis genere interemptorum, constantia enituit; qui cùm à fide Catholica diuelli non posset, fustibus diu cæsus, & ad infimam seruitutem damnatus, pro Christi nomine martyrio coronatus est.

§. 6. *VVion cum sorore Maria.*

Mombrit. to. 1. ex quo Coster. Dominica 1. Epiphan. conc. 1.

VVion decem annorum puer, cum sua paruula sorore Maria annorum tredecim, anno Domini ducentesimo quinquagesimo nono, Romæ multa est passus.

§. 7. *Claudius, Lupertius, & Victoricus pueri.*

Lucius Marineus Siculus de rebus Hispan. l. 5.

APud Legionem Hispaniæ vrbem, tres pueri martyrium constātissimè pertulerunt: quos cùm Romanus Præses ad se vocasset, dixit eis: Quid, cùm multa millia Romanorum præceptis obediunt, vos summa audacia (vt nobis nunciatur) vultis resistere? Pueri autem responderunt:

Luca 8.

Habetur in lege nostra, *Videntes non videant, & audientes non intelligant*. & ideo tot millia Romanorum vidisti: sed horum omnium mirabiliorē multitudinem videre non potuisti, à quibus te modò

modò superatum probabis. I i. quid nobis hodie, aut quid tibi per nos putas esse prestandum? Præses dixit: Prestandum mihi à vobis nihil quero: sed solùm scire volo, cui cõsentire vos dicitis, aut quam habetis cõfidentiam? Respondent pueri: Nobis in quo sit confidentia si vis scire, possumus te instruere: *Habemus confidentiam in Patrem, & Filium, & Spiritum S qui in Trinitate vnum sunt*, & in hoc confidentes, Imperatores vestros, & vos, qui ab eis ordinati estis, in agone constituti vincimus. Dixerunt etiam: Cùm ex patre diabolo sis, fac quicquid tibi persuadet pater tuus. Tunc Præfectus iussit eos interfici. qui laudantes Deũ, tradiderunt spiritum. sed qui pro *Trinitate* pati cupierunt, tres in vno tumulo sepulti sunt in ciuitate Legionensi, vbi nunc eorum corpora maximè honorantur. *SS. Trinitatis veneratio.*

§. 8. *S. Gosuinus.*

ROmæ 22. Maij S. Gosuini pueri & Martyris natale celebratur. *Molan in Martyrol.*

§. 9. *Pueri plures cum S. Laurentio Presbytero.*

NOuariæ 30. Aprilis S. Laurentius Presbyter, & pueri, quos ille susceperat educandos, Martyrij cursum consummarunt. ita Martyrol. Romanum. *Martyrol. Rom. 30. Aprilis.*

De his etiam (vt notat Baronius) tabulæ Ecclesiæ Nouariensis, quas vnà cum rebus gestis prædictorum Sanctorum Martyrum Romam missas accepimus. Plura de ijsdem in vita S. Gaudentij, eiusdem sedis Episcopi, quam recitat Mombritus to. 1 vit. Sanct. Passi sunt hi temporibus Valentiniani Imp. subita grassatione Gentilium in eosdem irrumpente. Ex marmoreo sepulcro sacris ossibus referto, medicus liquor manare consueuit.

§. 10. *Puer quidam S. Pauli Mart. socius.*

Martyrol. Rom. 30. Iulij.

MArcum & Mucianum Martyres cùm puer paruulus, ne immolarent idolis, alta voce moneret, verberibus iussus est cędi; cumq; vehementius Christum cõfiteretur, vnà cum quodam Paulo Martyres exhortante necatus est.

§. 11. *S. Cesellus & Camerinus.*

A. de Salazar. in Indiculo verũ Hispanie.


IN Sardinia S. Cesellus & Camerinus pueruli & qui duorum dumtaxat erant annorum, martyrio coronati sunt, postridie quàm S. Luxoriu palmam quoque reportauit.

§. 12. *Multi SS. Martyres pueri in persecutione VVandalica.*

Victor Vticẽsis de persecutione VVandal. l. 2. Sur. in vita S. Eugenij Episc. Carth. 13. Iulij.

HVnerico *Wandalorum rege persecutionem sæuissimam in Christianos, suasu Arrianę factionis, moliente, Episcopi, Presbyte Diaconi, & alia Ecclesię membra ad quatu millia nongentos & sexaginta sex, ad exiliu eremi compellebantur: inter quos & infant fuere quàm plurimi, quos genitrices magno quebãtur affectu, aliæ gaudentes, quòd Marty genuissent, alię retrahentes, vt morituros dilu rebaptizationis à fidei cõfessione reuocarẽt. N lum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, carnalis pietas aliquẽ inclinauit ad terram. D verò hic Dei exercitus cœpto itinere perge videre fuit anum tenentem manu infantul eumque his sermonibus consolantem: Curre mine mi: vides vniuersos sanctos, quomodo gunt, & festinant hilares ad coronas? Cumq; increparent, quòd importunè virorum se soc ti ingereret: Benedicite, inquit illa, & orate me ac paruulo hoc meo nepote, quo cum ad lium pergere destinaui, ne inueniat eum sc inimicus, & à via veritatis reuocet ad mor

Vide du Iarric l. 5. de Indijs Orient. c. 51. ubi infans, quòd à patre traditus esset baptismo, occisus est à matre.



CAPVT XIIII.

SPONTE SVA, ANTE SVPPLICIVM ANIMAM *emittentes.*

DICAMNE minori in pueros diuini amoris indicio id contigisse, vt quos effera crudelitas morti destinatos ad supplicij locum vocârat, post tot tamẽ cruciatus ex palmifera illa Martyrij arena Deus subduxerit? priusque eos emori voluerit, quàm vel in eos tormentorum vis desæuiret, vel ensis lactea colla percuteret? Errarem certè, & voluntatem adeo infractam minoris quàm par est, æstimarem, si Martyrij palmam ei denegandam arbitrarer. Neque verò sola his voluntas occumbendi fuit, sed tantùm non mortis spiculum violenta manu contortum non exceperunt; at spiritum sponte emiserunt, singulari Dei priuilegio medijs pœnis exempti, & ad triũphos velut per compendium viæ maturè transmissi. Quàm propè assequuntur pueri suo modo prototypon Christi, qui *Oblatus est, quia ipse voluit*! *Esaia 53.* Nec enim sinit Deus, vt quamuis sæpe, semper etiam, ac quo modo velit, sęuiat crudelitas, neque domitorem sentiat aliquando suum: pręcipuè verò, vt ex ijs, quos peccati impietas non attigisset, Tyrannorum furor, ac concepta rabies ex hac

ex hac vita omnes sine discrimine exturbaret.

§. 1. *S. Aquilina.*

Surius 13. Iunij. CVm Volusianus, Diocletiani Imp. anno s[...] ptimo, prouinciæ Palæstinæ administratio[...] nem accepisset, & inaudita quadam Tyranni[...] pietatis cultores prosequeretur, Aquilina virg[...] egregijs Christianæ virtutis tropheis inclyta, n[...] hil de solitæ pietatis studijs remittendum puta[...] sed quascunque poterat virgines & matronas, [...] colloquium suum pertrahebat, eisque & relig[...] nis Christianæ præstantiam, & impium idoloru[...] cultum, ardenter exponebat. Quocirca ad Pr[...] consulem à Nicodemo delata, Bylbi eius trib[...] nali sistitur: cumque esset annorum 12. formos[...] sima & specie valde liberali, Volusianus blan[...] tijs eam emollire tentauit, potiùs quàm carn[...] cum cruciatibus frangere. Quòd cùm Aquili[...] animaduertisset, Nolo, inquit, me misericor[...] prosequare: nam ea quæ à te misericordia æstin[...] tur, maiori me damno afficiet: quare peto vt [...] rocem te ostendas, & ferociam omnem in [...] tuam explices, quo cognoscas nullis frangi p[...] supplicijs vires nostras, Christi sanguine c[...] roboratas.

Aquilina 12. annorum.

Hæc cùm Volusianus intrepidè dicentem [...] dixisset, iussit carnifices colaphis eam cædere, & [...] sultans ait: Vide Aquilina, num istæ tormētor[...] primitiæ tibi suaues videantur. Ad hæc Aquil[...] Tu quidem Tyrāne non veritus es Dei imagin[...] colaphis fœdare; sed nec tibi in die iudicij [...] cet Deus. Aggreditur ergo Procōsul concep[...] furorem expromere, iubetque primò à duo[...] eam carnificibus distentam acriter verberari[...] Christi Martyr in eo supplicio exultans, Tyra[...] cruciatus contemnebat: deinde aures eius i[...] tis subulis perforari, ac cerebrum ipsum can[...]

Iosephus l. de Mach. ad Polyb.

ti

ti ferro exuri. Quo quidem cruciatu Virgo sancta aliquamdiu fatigata iacuit velut exanimis. Quocirca Volusianus ratus eam vitali spiritu destitutam, corpus eius canibus ac volucribus proijci iubet. vbi cùm totum diem proiecta iacuisset vulgi ludibrium, ecce nocte concubia Angelus Domini eam erigit, integrę restituit sanitati; pristino restitutam decori ad portas vrbis perducit, qua statim vltro patefacta, Ingredere, inquit, vade ad Volusianum, eiusque insaniam constanter redargue: Pergit illa fidens animo, & eum his alloquitur verbis: Nondum, ô Tyranne, Christi potentiam agnosces? etsi enim cordis lumine à patre tuo diabolo priuatus es, at corporeis saltem oculis crede, huc oculos flecte. Ego sum Aquilina, quæ hîc incolumis, vt vides, assisto. Volusianus ingenti stupore oppressus, animum in omnes tacitus versabat partes; tandem furens ait: Pessima hęc sectę Christianorum propugnatrix, quæ veneficijs suis vim tormentorum superat, gladio feriatur. qua quidem lata sententia, virgo Christi gaudio exultans, Creatori suo gratias agit: Vt autem ad locum certaminis & coronæ ventum est, obtento orandi spatio, horam vnam ardenti spiritu Deũ precata est, & ecce antequam cruentus carnifex gladium in virgineas vibraret ceruices, placidissimè animam efflauit. Carnifex tamen ne officio defuisse videretur, exsangui caput præcidit, ex quo lac pro sanguine in terram defluxit.

agit de eiusmodi tormentorũ genere.

§. 2. *S. Basilissa.*

NIcomediæ passio S. Basilissæ virginis & martyris recolitur: quæ annos nouem nata, cùm in persecutione Diocletiani sub Alexandro præside verbera, ignes, ac bestias diuina virtute superasset, in oratione spiritum Deo reddidit.

Baron. to. 3 an. Christi 309. Martyrol. Roman. 3. Sept.

§. 3. *S. Marinus.*

Vincentius in Speculo hiſt. lib. 14. ca. 38. 39. 40. ex quo D. Anton. 1 par. Marulus li. 5. c. 5.

MArinus Romanæ vrbis cuiuſdam Senatoris filius fuit, qui capeſſendi Martyrij deſiderio accenſus à Martiano Pręſide comprehenſus eſt. Qui cùm interrogatus genus ſuum ſeu conditionem, Chriſtianum ſe liberè profiteretur, & ſacrificare, vt ei ſuadebatur, contemneret, nec minas timeret, iuſſu Tyranni extenſus eſt, & duriſſimis loris in dorſo & ventre conciſus: poſt quod in carcerem truſus. Sequenti verò die in equuleo ſuſpenſus eſt, & corpus eius vngulis dilaniatum. Deinde ſerra lignea, cum lapide immiſſo deſuper, facta eſt, vt ſuper eum poſita, membra eius diuideret, quæ in nullo eum læſit. Poſthæc iuſſit ſuper craticulam igne ſuppoſito poni; ſed ſtatim fluuius de terra egrediens ignem extinxit. Addidit Tyrannus frixorium ſuper ignem vehementem poſitum, & in eum mitti Marinum iubet. Qui in eo poſitus Deum glorificabat, & ad Tyrannum aiebat: *Paraſti carnes ad edendum; iam nunc accipe partem tuam aliquam, & ede, donec aliæ parentur.* Hæc eo dicente deſcendit ros de cælo, & ignem extinxit. Miſſus exinde in caldariam pice plenam, igne ſuccenſam, vt capite in ea merſo deficere: qui ſponte in caldariam ſe iniecit, ſed caldaria in duas partes ſciſſa eſt, & pix effuſa. Sanctus autem in medio ſtans, Deum glorificabat. Non contentus Martianus, arenam præparari iuſſit, ibique ad eum poſitum leonem & leopardum mitti, vt eum deuorarent. Quę feræ inſtigatæ, de cauea exeuntes, ad ſanctum puerum acceſſerunt, & leo humeros eius blandiendo conſtringebat, pardu ad pedes iacebat. & Tyrannus: Quæ eſt iſta ph taſia quam video? Cùm autem iuſſiſſet beſti reduci in caueam ſuam, quantumcumque

h

hoc molestarentur, non poterant à pedibus Sancti amoueri, sed Sancto hoc eis iubente regressę sunt ad locum suum. Iterum ad eum mitti fecit leęnam & vrsam, quę currentes ad eum, sciderunt vestimenta eius, & corruentes ad pedes eius mortuæ sunt. Pòst immitti fecit pardum cum tigride, qui ascendentes ad collum eius, complexæ sunt eum, & vna ex eis ipsum osculabatur, alia sudorem de facie eius extergebat. Iussit & taurum adduci, & in dorso cauteriari, vt magis fureret: ipsúmque puerum ad cornua eius ligari: & ardentibus cornibus taurus non sentiebat, nec cauterium curabat, sed Sanctum Dei lingua lambebat. Post illa, in pyra lignorum accensa fecit poni, nihilque illum tetigit ignis. Ex eo autem mouentes, miserunt in caminum seu furnum ignitum, sed Angeli duo descendentes ad eum cum eo benedicebant Deum, nilque doloris expertus est. Adductus inde est in templum idolorum, factaque oratione, omnes dij corruerunt, & in puluerem redacti sunt. Videns hoc Romanus populus, exclamauit: Verè magnus est Deus Christianorum.

Confusus ergo per omnia Martianus, mandauit eum decollari. Exultans autem Sanctus, ait: Veni Pater gloriæ, accipe caput pueri tui. Pater quoque eius & mater hortabantur eum felici agone cursum suum perficere, scientes eum suscepturum coronam victoriæ. Qui oratione facta consignans se, pacem fratribus dedit, & flectens genua spiritum Dei reddidit. Scurra tamen iam mortuum percussit, & caput amputauit. Cùm autem præcepisset Martianus, corpus eius inter corpora latronum proijci, & custodiri, ne à Christianis acciperetur; facta inundatione aquarum & multiplicatione tonitruorum, & fulgurum, territi ministri fugerunt, & à fidęlibus corpus

pus acceptum sepulturæ est traditum. Martianus autem à Deo percussus terribili iudicio, vt vermes de ore eius ebullirent, coactus est confiteri Deum Christianorum verum esse Deum; & miserabiliter expirauit.

§. 4. *S. Vitus cum S. Modesto.*

Surius 15. Iunij. Passi sunt ann. Christi 303 Marcelli Papæ 7. Diocletiani & Maxim. 20.

QVo tempore Valerianus Præses sub Diocletiano Imper. persecutionem in Christianos mouit, peruenit ad eum, B. Vitum, nobilissimi viri Hylæ filium, annorum circiter 12. Christum colere & adorare. Itaque patre eius ad se vocato, ait: Quid istud rei est? si filium tuum vis habere sanum & incolumem, da operam, vt ab hac stultitia reuocetur. Pater minis Pręsidis vehementer exterritus, & de filij capite solicitus, nullum non mouit lapidem, vt filium sibi vnicum ab imminenti mortis periculo eriperet: Fili dulcissime, dicebat, discede ab hac mentis tuæ stultitia, quia inani labore mortuum hominem venerando conflictaris, ne Princeps pro suæ potestatis furore sæuiat acriùs in tui perniciem, & augmentum doloris mei. At Vitus: Vtinam, dicebat, mi pater, veritatis lumen intra mentis tuę oculos velles admittere, profectò tu mortuum illum hominem, qui crucis supplicium propter scelera nostra voluntariè sustinuit, pari mecu veneratione prosequereris: à cuius charitate (quod te certissimum habere volo) nemo me vnquam quacumque afflictione poterit separare.

Miracula edit B. Vitus.

Multi verò cæci per B. Vitum diuina gratia illuminabantur, sanabantur multi: sed & multa dæmonia voce publica, illius præclara merita fatebantur. Quæ cùm resciuit Valerianus, Hylam & Vitum suo tribunali sisti iussit; & Hylam quidem blandè iterum atque iterum monuit, vt videret quò imminentem suppli-

ciorum atrocitatem à filio, & sempiternam ignominiam à familia sua, ad eum vsque diem illustrissima, auerteret. Vitum verò minis horribilibus terrere conatus est, vt relicto Christi cultu, dijs sacrificaret. At Vitus Spiritu S. plenus, intrepide ait Pręsidi: Ego dęmonibus non assentior, neque sculptilibus vllam venerationem impendo: habeo enim Deum viuum, cui fideliter seruit anima mea. Hic Hylas eiulans magna voce dixit ad amicos suos: Plangite mecum, quæso, quia video perire vnicum filium meum. B. puer dixit: Non pereo sanè, si in congregationem iustorum liceat ingredi.

Præses Pueri constantia ad iram prouocatus, fustibus enim mactari, mactatumque cathomo cædi iussit. Sed cùm ministri manus in eum inijcere vellent, brachia eorum, & manus quoque Pręsidis arefacta sunt. Tunc Valerianus: Hem, inquit, hic puer magicis nos artibus superat. At Vitus: Non magicis artibus, sed diuinâ vos vindictâ persequente, hæc fiunt: Ego enim seruus Christi IESV sum, cuius virtute restitui potest: & eleuatis ad cęlum oculis, Deum precatus est, statimque sanam, & incolumem eam reddidit. *Curat manum Præfecti.*

Valerianus admiratione defixus Hylam aduocauit, traditoq; ei filio, Vade, inquit, & emenda hunc filium tuum, vt acquiescat, & sacrificet dijs, ne pereat. Parens igitur recepto filio, magna cum lætitia domum abijt, ac varijs illecebris piã pueri mentem emollire studuit. Tandem post cymbala & organa, post epulas & cantica, post varia puellarum blandimenta nequicquam adhibita, cubiculum tapetijs, & inęstimabilis precij gẽmis ornari, & omnibus delicijs instrui iussit, vt in eo puer luxurians, paulatim in obliuionem rerum cælestium veniret. At Vitus in illud inductus à patre, inclususque, in genua procidit, subla-

ſublatiſque oculis ac manibus in cælum: *Deus,* in-
quit,*pater dilecti pueri tui IESV, Domini mei, re-
ſpice in me, & miſerere mei,& cõfirma me virtute tua,
vt nihil in me valeat malignitas inimicorum meorum.*
Interim cubiculum illud inæſtimabili claritate
fulgebat,& videbantur in eo quaſi 12.lapides ni-
mio fulgore radiantes, aſperſuſq; in eo eſt odor
ſuauiſſimus,ita vt pater S.Viti,omniſque familia,
cum ingenti admiratione clamarent: Papæ,nun-
quam,nec in deorũ templis tanta mirabilia vidi-
mus. Attonituſque Hylas,dixit:Dij venerunt do-
mum meam:cœpitque curioſè inſpicere in cubi-
Hylas fit cæcus. culum, viditque Angelos duodecim alatos, inæ-
ſtimabili pulchritudine radiantes: ſed ecce dum
eos impuris oculis contẽplatur, miſer excęcatur.
Itaque prę nimio dolore horrendè eiulare cœpit,
prorſus vt ad eius clamores tota ferè ciuitas cum
ipſo Præſide cõflueret.Porrò Valerianus vt vidit
Hylam inter ſeruorum manus luminibus orba-
tum,& ingenti ſtridore clamantem,ſolicitè per-
quiſiuit,quinã id accidiſſet : & re intellecta,col-
laudataque deorum potentia ad fanum eum Io-
uis duxit, ante cuius aram votum nuncupauit
Hylas, dicens: Iupiter inuictiſſime Deus, ſi mihi
reddideris lumẽ oculorum, victimas innumeras
offeram tibi, taurumq; cõflatilem cum cornibus
aureis;& virgines ſacràs,ô dea Veſta,tibi dicabo.
Vbi multis precibus & votis diu fruſtra ſudatum
eſt , & acrioribus immo dolorum ſtimulis vrge-
retur, domum redijt,& ad Viti pedes ſe abijecit.
Tum Vitus:Si, inquit, ſanitatẽ conſequi velis,ne-
ceſſe eſt vt abiecto idolorum cultu,Chriſtum ve-
rum cæli terræque Deum agnoſcas. Ille doloris
aculeo victus, Agnoſco,inquit mi fili,tantùm ſa-
Recipit lumẽ Hylas per filium nitatem reſtitue,cui Vitus:Hæc confeſſio nequa-
quam ex fide procedit: Veruntamen vt agnoſcat
omnis populus Chriſti virtutem,eius potentia vi-
ſum

sum consequēris. His dictis, manibus oculis patris admotis, amissum lumen ei restituit. At ille qui iam erat dæmonis vinculis miserè adstrictus, nequaquam Christi gratiam agnouit, sed beneficium sibi à Deo collatum dæmoniorum virtuti impiè attribuit.

Hanc tam immanem patris sui impietatem Vitus cùm execraretur, & pater interim animo volueret, quibus potissimũ supplicijs filium suum exerceret; Angelus Domini religioso cuidam viro, Modesto nomine, apparuit, dixitque ei: Tolle puerum, & descende ad mare, vbi nauiculam inuenies, qua vnà cum illo transfretabis in regionem quam ostendero tibi. B. Modestus dixit; Domine, viam quam dicis nescio, & quò ibo? Angelus respondit: Ego vos ducam. Itaque Angelus Domini deducebat eos, & cùm ad mare ventum esset, inuenerunt nauiculam à Christo Domino ipsis præparatam. Dixit verò Angelus ad B. puerum: Ad quam regionem tendis? S. Vitus dixit: Quò nos Dominus duxerit, prompti & hilares sequemur. Dixit Angelus: Et vbi est naulum tuum? Respondit S. Vitus: Ille cuius nos serui sumus, mercedem tibi depẽdet. Et ita ascendentes in nauiculam, appulerunt ad locum quendam, quem Allectorium vocant, subitoque disparuit qui eos deduxerat; & cùm ad Silerum fluuium appulsi essent, fessa labore membra quieti tradiderunt. Ibi verò cùm se totos pietatis studio traderent, & cęlestium rerum meditatione puritatẽ Angelicam æmularentur, fuit illis aquilæ ministerio cibus porrectus, tãtusque ab hominibus eò quotidie confluentibus exhibitus honor, vt dæmonia, quæ ex obsessis corporibus fugabantur, eorum virtutes longe lateque diuulgarent. Peruenit tamen fama eius ad Diocletianum, cuius filius ab impuro spiritu miserrimè exagitabatur.

Angelus B. Vitum aliò deducit.

Nec mora, Imperator, si quam fortè per Vitum ... lio suo opem adhibere posset, per milites su... eum adduci iussit. Adductus cum Modesto Vitu... Diocletiani filium, nō sine multorum strage i... fidelium, qui impias in Christi numen voces ia... ctabant, à dæmone liberauit. Imperator & pu... ri virtute, & formę elegantia captus, blande le... niterque eum hortari cœpit, vt dijs sacrificare... seque ab omni suppliciorum ignominia vindica... ret, & opibus ac honoribus circumfluens, inte... regni sui primates ostentaret. Ad quæ Vitus: Eg... verò, inquit, & regnum, & diuitias, & honore... flocci facio, totusque ex vno Christo IESV... Deo meo dependeo, qui stola immortalitatis m... induet. Diocletianus hoc pueri responsum vehe... menter admirans iussit eum vnà cum Modest... ferro 80. pondo oneratū teterrimo carcere con... cludi. Inclusi ac omni solatio destituti, votis pre... cibusque Christi opem implorârunt. Et ecce re... pentè ingenti terrę motu carceris fundament... quassata sunt, & ferrea vincula instar cineris dis... sipata, & voces Angelorum cum suaui melodia auditæ, aliaq; multa, quibus exterriti carceris cu... stodes, pauidi cuncta imperatori nūciarunt. at il... le furore percitus, iussit Vitum in clibanum plū... bo, resina, & pice feruentem conijci: mox autem adfuit Angelus Domini, qui excussa ignis flāma, puerum planè illæsum & candidissimum eduxit. Imperator ea re in furorem ac rabiem versus, fe... rocissimo eum leoni obiecit, quem Vitus edito crucis signo ita domuit, vt prouolutus ad pedes eius plantas illius lamberet. tum Vitus: Non... dum, inquit, ô impijssimè, agnosces Creatorem tuum, quem bruta animalia venerantur? eo mi... raculo mille ferè homines permoti Christi fidē amplexati sunt. Diocletianus verò furijs totus agitatus B. Vitum cum Modesto & Crescentia, quæ

Dioclet. filium à dæmone liberat.

Blanditur ei tyrannus.

Mittitur cum Modesto in carcerem.

In clibanū cōijcitur, sed ab Angelo illæsus educitur.

Signo crucis leonē domat.

Multi credunt.

quæ Viti prædicatione in Christum crediderat, in catasta atrociter torqueri iussit: adeo vt dissipatis ossibus viscera apparerent: Cùm autem tam atroci supplicio cruciarentur, Vitus ingenti voce exclamauit: *Deus in nomine tuo saluos nos fac, & in virtute tua libera nos*, statimque terræ motus extitit, & terribiles fulgurum coruscationes, & crebra tonitrua omnes in effusam fugam compulerunt, corrueruntque templa idolorum non sine ingenti multitudinis strage. Ipse quoque Imperator territus, properè aufugit, percutiens manu frontem suam, & cum ingenti clamore dicens: Væ mihi, qui à tantillo puero turpiter superatus sum.

Torquentur atrocissimè.

Descendit autem Angelus Dòmini, & à catasta eos absoluens, repentè transtulit ad Silerum flumen: vbi S. Vitus cum alijs sub arbore quiescens, has ad Dominum preces fudit: Domine IESV Christe, fili Dei viui, perfice desiderium cordis eorum, qui in tuo sancto nomine voluerint gloriari de passione Martyrij mei. custodi illos Domine ab omnibus periculis huius sæculi, & perduc eos ad gratiam & gloriam magnificentiæ tuæ. & cùm compleisset orationem, facta est de cælo vox, dicens: *Vite, exauditæ sunt preces tuæ.* Tum S. Vitus dixit circumstantibus: Sepelite corpora nostra, & quicquid petieritis Dominum in vera salute vestra, percipietis per orationes nostras, & liberabit vos à nequitia diaboli. His dictis, beatæ sanctorum animæ cum gaudio cælum petiere, & corpora eorum à fidelibus preciosis condita aromatibus honorificè in loco, qui Marianus dicitur, sepulta sunt.

Angelus eos è cruciatibus liberat.

Sponte moriūtur.

Porrò anno Dominicæ Incarnationis 836. indictione 14. Ludouici Imp. anno 23. VVarinus Abbas Monasterij noui Corbeiensis obtinuit à viro religioso Hildewino, Abbate Monasterij S. Dionysij Parisiensis, B. pueri Viti

Trāslatiō S. Viti.

Lucani sacratissimum corpus (à temporibus enim Pipini Regis Francorum, vsq; ad illam diem in eo loco multis insigne miraculis permanserat, postquam Fulradus S. Dionysij Abbas, Roma in Franciam transtulit) illudque magna cum celebritate ac honore, Saxoniæ finibus inuexit, atque Idibus Iunij in Corbeiam nouam perueniens, spem salutemque patriæ totiusque Saxoniæ specialem Patronum cum incredibili populorum gaudio illic depofuit. Ab eo verò tempore, vt in gestis Saxonicis legitur, sub tanti defensione Aduocati, res Saxonum ita crescere cœperunt, vt dilatatæ iam ipsa sua magnitudine laborarent. Vnde non solùm in Saxonia, sed in cunctis ferè Europæ finibus eius nomini permultis consecratis templis, illius fidele patrocinium imploratur ab omnibus, quantique apud Deum sit, miraculis declaratur.

S. Vitus totius Saxoniæ Patron.

O clarissimum Christi puerum, ante sæcula cum electis omnibus prædestinatum, generali cunctorum sanctitate fulgentem! Nam nec Abelis ei deest Martyrium; nec paternum, vt in Isaac, Holocaustũ. & si non eàdem deuotione, tamen consummatius immolatum. Est hic alter Samuel, diuino alloquio adhuc puer dignus inuentus. est puer Dauid elegans, qui patri fratribusque despectus, in Deo autem ipsum ex millibus eligente confidens, non de Gethæo, sed de Tartareo Goliath, offensionis lapide triumphauit. hic Daniel supra ætatem abstinentiæ deditus, seniores sapientia anteiuit. Hic Hieremias adolescentulus ad genitorem incredulum, paternamq; domum & familiam plus satis exasperantem, mandata Dei imperterritus locutus est. Hic egregiè fortis Iudas Machabæus, Angelicis inter prælia cinctus est præsidijs. O gloriosissimum Christi Martyrem fornacis igne probatum! te inuocamus, vt ardenti charitatis æstu pectora nostra tuis precibus incendas.

Præclarũ S. Viti encomium.

Vide p. 3. c. 8. §. 4.

CAPVT

CAPVT XV.

POST ATROCIA TORMENTA FORTITER *superata liberati.*



Vos suprà commemorauimus inuictos pueros, & sacrâ Martyrij coronâ donatos, sequuntur alij item pueri, supplicio qui se pro Christi confessione deuouerunt; verùm non quòd ipsi tormentis, sed quòd ipsis tormenta cesserunt, liberati sunt, si hoc sit liberari. hos quo nomine appellem nescio. Nascente Ecclesia Martyres nominabantur, qui in confessione IESV Christi vsque ad necem perseuerātissimè mansissent: Confessores qui vel in carcere, vel in quæstionibus Christum citra mortem constanter confessi essent, parati vitam amittere: qui etiam aliquando martyres dicebantur, & à Tertulliano quidem Martyres designati. Certè si pro suppliciorum ratione erit gloria, talium Confessorum non minor est iudicanda, quàm eorum qui communiter Martyres vocantur, cùm difficultates omnes superârint; ascenderunt in palmam, licet hostis (ne quid pœnarum cumulo deesset) ad carpendos fructus non dederit moram. Immo grauiora forte hos, quàm illos sustinuisse, pie credi posset: illi siquidem lætabundi referunt adeptam palmam; his quam manu iam iam tenebant, hostis inuidia confregit:

Inuidia tali non inuenere Tyranni
Maius tormentum.

Tolerarunt alij flagella, palos per medium hominem adactos, olei feruentis (horresco refe-

rens!) & plumbi liquati infusionem. tolerarunt immanes bestiarum rictus, brachiorum crurumque confractionem, admotas ad membra faces, fartagines, cippos, equuleos, cruces, mortem denique atrocissimam:

Seneca. *Estne aliquid vltra? vita si cupias mori;*

Et quò maius est in moriendo lucrum, hoc maius in viuendo tormentum.

§. 1. *Puer quidam miraculosè liberatus.*

Theodoret. lib. 3 c. 14. Theatrum Numero 3124.

APud Daphnen, vbi Iulianus Imperator sacrificare consueuerat, impius quidam Sacerdos filium à tenera ętate clanculum ad pietatem formatum, quòd aufugisset Antiochiam ad magistram suam, quę eum apud Meletium Episcopum occultauerat, comprehendit, ac verberibus primùm plurimis multauit, mox etiam veru candens manibus, pedibusque ac dorso inflixit: tandemque conclusum in cubiculum obseratum reliquit, & abijt. Puer diuina ope miraculosè liberatus est.

§. 2. *Pueri cum. S. Rogatiano.*

S. Cyprian. epistola 81.

MEminit S. Cyprianus de quibusdam pueris cum S. Rogatiano passis, in hæc verba: Vt omnis vobiscum & sexus, & ætas esset honore, pueros etiam vobis gloriosa confessione sociauit diuina dignatio, repręsentās tale aliquid, quale Azarias, Ananias, & Misael, illustres pueri aliquando fecerunt; quibus inclusis in caminum, cesserunt ignes, & refrigerij locum flammæ dederunt, pręsente cum illis Domino, & probante quod in Confessores & Martyres eius nihil posset gehennæ ardor operari.

§. 3. *De filijs S. Liberati.*

Baronius to. 6 ex Victore l. 3.

CArthagine cùm iussu Cyrillæ venerabilis medicus Liberatus cum vxore & liberis in

exilium

exilium mitti iuberetur, cogitauit impietas Ariana à parentibus filios paruulos separare, quò posset per pietatis affectum etiam virtutem profernere genitorum. Disiunguntur tenera pignora filiorum. qui cùm vellet lacrymas emittere, authoritate vxoria increpatur, & in ipso meatu exitus sui, illico lacrymæ siccauerunt; ait enim coniux illi: En propter filios libertate perditurus es animam tuam? Computa eos non fuisse natos; nam & ipsos omnino vindicaturus est Christus. Nonne vides eos clamantes, & dicentes: *Christiani sumus?*

§. 4. *S. Dioscorus.*

ALexandriæ festum recolitur SS. Martij, Heronis, Arsenij, Isidori, & Dioscori pueri, quorum tres primos Iudex in persecutione Deciana varijs tormentis dilanians, cùm pari constantia videret armatos, tradi ignibus iubet: Dioscorus verò multipliciter flagellatus diuino nutu ad consolationem fidelium dimissus est. *Martyrol. Rom. 14. Decemb.*

§. 5. *Pueri Malabares.*

SVb ipsum fere tempus, quo aduersum Christi fideles Malabarica grassabatur impietas (ex quo facile diuini consilij ac destinationis appareat altitudo) ex eadem natione gloriosum Euangelio testimonium perhibebant Malabares adolescentuli sex circiter & triginta, ab nono ętatis anno, ad septimum vsque decimum. hosce, Lusitanâ, quâ vehebantur, naui circa Arabiam à Turcis exceptâ, cùm à Christo ad Mahometem traducere summâ ope Barbari conarentur, postquam alternis blanditiæ minæque nihil proderant, ad verbera, cruciatusque descendunt. adduntur ad ceteram immanitatem stillæ adipis igne liquati. Ea tormenta, multasque præterea iniurias puerorum virtus ac fides vicit egregia. *Maffeius Indic. hist. l. 16.*

Turcę obſtupefacti conſtantiâ, ab ijs vltrà vexandis tandem abſtitere.

§. 6. *Puer Cochinenſis.*

Petrus du Iarric in hiſt. Indic.

PVer Cochinenſis ſcholarum noſtrarum, quas breui tempore adierat, auditor, à Sarracenis captus, manibus pedibuſq; duro ſune conſtrictis, ad arboris truncum religatur: iamq; cminus impij lunato arcu, nî fidem Chriſtianam eiuret, deſtinant vulneri locum: at puer adamantinâ fidei loricâ tectus, reſpondit, malle ſe mortalis huius vitæ, quàm IESV Chriſti (quæ vera eſt vita) iacturam facere. Illi hoc tam conſtanti reſponſo attoniti, hoc tantùm. flagris eum atrocibus cecîderunt; quos quidem ictus non tantùm patienter pertulit, verùm etiam ſummo cum gaudio, quoniam dignus habitus eſſet pro nomine IESV contumeliam pati.

§. 7. *VVortinthonij pueri 4.*

Ribaden. in appendice ad Sanderũ de Schiſmate Anglicano c. 12.

THomas, Robertus, Richardus & Ioannes, fratres Wortinthonij dicti, patre nobili nati, & Sacerdotis Thomæ Wortinthonij, qui patris frater erat, nepotes; quorum maior natu ſeptemdecim expleuerat, minor vndecim annos necdum exegerat: omnes autem quatuor in prouincia Lanceſtre à iuſtitiæ miniſtris quadam in domo ſacerdotem, auunculum illorum quærentibus, capti fuerunt. Dici omnino non poteſt, quibus artibus Reginę Anglię Conſiliarij, eius Pſeudoepiſcopi, & Miniſtri, vſi fuerint in pueris iſtis peruertendis: quantoque è contra illi robore & ſpiritu præditi fidem Catholicam propugnarint, ac ne vocem quidem miſerint, quæ Sacerdotibus & Catholicis illis, de quibus interrogabantur, aliquâ ſaltem ex parte poſſet præiudicare. Primò namque ijs à ſe inuicem ſeparatis, ac duobus maioribus à minoribus alijs ſecluſis, Ioannem natu mini-

minimum toto die famelicum inediâ se confecturum dixerunt. Eidem deinde plurimum vini ingesserunt, sperantes iudicio destitutum faciliùs ad interrogata esse responsurum. Verùm ille, Deo protegente, etsi largiter bibisset, sano adhuc iudicio ad interrogata respõsurus, dicebat, se, quòd liberaliùs vinũ hausisset, ratione & iudicio offuscato eorum quęstioni satisfacere non posse: qua quidem ratione eorum manus effugit.

Hoc dimisso maximũ natu Thomam introduxerunt: quem cùm Comes de Arbi multis illecebris eò perducere conatus esset, vt Ecclesiarum suarum aliquam adiret, ac hæreticorum cõcionibus interesset: promittendo illi se eum in domum suam accepturum, liberaliter admodum habiturum: ille annis puer, animo autem viro similior, respondit, fidem se Catholicam omnibus Comitis beneficijs anteferre: vnde cùm etiam postea interrogaretur, vbi Missam audiuisset, quis esset, & vbi eius auunculus moraretur; adigentibus illis eum ad veritatem iuramento confirmandam, respondit, neutiquam se facere posse quod imperarent: iurare nolle. quòd necdum quid iuramentum sit sciret, & quando, & quomodo, & vtrum secundum Dei leges iurare liceret. Hæc quoad ille non perfectè didicisset, conscientiam suam neutiquam oneraturum dicebat. Quæ omnia etsi similiter in duorum aliorum fratrum examine obseruassent, & multa pertinaciter ex eis elicere tentassent, verbum tamen omnino nullum exprimere potuerunt, quod in alicuius Catholici prẹiudicium cessurum videretur.

Atque ne longiùs me diffundam, omniaque ea quæ totos illos quatuor menses, quibus pueri isti captiui tenebantur, acciderunt, in pauca conferam, dico eos sæpenumero per primarios viros ac prẹcipuos Reginẹ Ministros, Pseudoepiscopos,


Concio-

Concionatores, & iustitiæ ministros, aditos & examinatos, diuersis vijs tētatos; non blanditijs, non promissis, non minis, non scuticis, latum digitum à sua constantia & religione potuisse dimoueri. Immo cùm violenter in Caluinistæ cuiusdam Ludimagistri scholam deportati essent, vt corruptę societati immixti, sub disciplina, & institutione hęretici pręceptoris, blandè & secretò dulce hæreseos venenum imbiberent: nunquam librum legere vel audire voluerunt, qui religionis materias persequeretur, dicentes, in ijs quæ ad fidem sunt, ita se informatos instructosque esse, nihil vt nouâ doctrinâ, ac alio magistro indigerent.

Quin ne quid etiam miraculorum à Deo, qui ab ore infantium ac lactentium laudari vult, prætermissum videretur, ijdē pueri bono suo exemplo & verbis ita nonnullos condiscipulorum sui in amorem pellexerunt, vt Catholicam religionem amplecti, ac illos imitari se velle dicerent. Iam cùm de religionis nostrę negotijs interrogarentur, adeo firmas ac plausibiles eorum quæ dicebant rationes afferebant, quidam vt aliquando hæreticus concionator, qui falsæ suę doctrinæ zizania in puerorū illorum pectoribus serere moliebatur, ijs respondere ac satisfacere nullo modo potuerit. Quemadmodum ergo hæreticarum quęstionum summa erat, vt Ecclesias Anglicanas adirent, & Reginæ morigerarentur; ita ij vnum hoc responsum continuò inferebant, se in rebus temporalibus & ciuilibus obediēntiam ei pręstituros, in religionis autem negotijs illi nequaquam se teneri obedire. Postquam verò Deus eos abundè probasset, & per illos veritatis vim demonstrasset, ex hæreticorum eos manibus multifariam liberauit, ac aliquot mensibus euolutis, ad Seminarium Rhemense perduxit, vt aliquando

doctiores

doctiores in Angliam reuersi,hæreticos capitales suos inimicos deuincant.



CAPVT XVI.
PVERORVM TVMVLI.

NEscio quis grato vapore suffitus naribus sese meis insinuat!edissere tu transeunti mihi, qui adstas; quid molli tumulo se attollēs terra vult sibi? Est sepulcrū.Et pulchrū,nam pura veste cādicat,& sparsis vndique violis, calthis,hyacinthis vernat. Vestis candida signat integritatē;flores,teneram ætatem; diffusus odor,virtutum fragrantiam.Sacrum horrorem ipsa incutit loci religio: profare igitur quis hic iacet? Puer insons, qui simul viuere cœpit, & desijt, vt vita posset meliore frui:Placita enim erat Deo anima illius, *Sap.4.* propterea properauit cū Deus educere de medio iniquitatum. At iuxta quis ad dextram tumulus assurgit, purpureis vestitus rosis, rubra insignitus cruce, aureâ coronâ conspicuus,palma coruscans victrice? Martyrem tumulus tegit, aut saltem quicquid eius potuit tegi: rosæ, crux, corona, palma, sunt symbola Martyrij.Vt video exiguus est loculus. At magna medicamentorum apotheca. Ain' verò?Equidem. quot ibi cęcis lumen redditum, quot claudis gressus restitutus? quot tetri genij ex humanis corporibus, quę insederant, profligati! Cur ergo terrâ obruuntur? Id veteri ex Christicolarum more factum, qui defun-

defunctos humare solent. Et verò si formicæ sub terra cubile habent, quò tanquam in cœmiterium defunctarum corpuscula inferunt, quidni sacros quoque Myrmidones nostros terræ mandabimus? Tibi quidem in hoc assentior: sed rebus supra naturæ vim & ordinē effectis, cur obscurâ terrâ & tam bardo elemento non eruuntur, & in aram sacra lipsana sustolluntur? Si horum ossa & reliquias, vnde cælestem quandam vim & virtutem singularem emanare audisti, auro margaritisq́ue conuestiri curaueris, non mediocrem à Diuis ipsis gratiam inire poteris. Aliorum adsciscam vires: vos interim beatæ animulæ vota nostra adiuuate.

§. 1. *Anniuersarium ad sepulcrum S. Eulaliæ prodigium.*

Greg. Tur. l. 1. de gloria Martyrum c. 91.

EVlalia gloriosa apud Emeritam vrbē passa, magnum miraculū in die immolationis suæ populis profert. Sunt enim ante eius altare, quo sancta eius membra teguntur, tres arbores; sed ignarus ego cuius sint generis: cumq́ue iam medio mense decimo, quando eius passio celebratur, sint ab omni foliorum decore nudatæ, ea die, illucescente cælo, in modum columbę alitis, flores proferunt suauitatis, scilicet quòd sanctus spiritus eius in columbę specie penetrauerit cęlos, & quòd beatum eius corpusculum iam exanime, vestibusq́ue nudatum, nix cælitus decidua molli vellere contexisset. Quod miraculum si solitæ arbores protulerint æstate, scit populus sibi annum vel pressuris vacuum, vel frugibus plenum: quod si tardiùs flores ex more paruerint, cognoscit plebs hoc suâ fieri noxâ, nam priusquā erumpant, querula ad sepulcrum Martyris, ac mœsta decumbit, deprecans, vt solitam mereatur conspicere gratiam: sed nec psallendo proce-

dit, si hæc manifesta non fuerint: nam si placatur Martyr à lacrymis plebis, emergunt protinus ex arboribus gemmei flores, qui odorem nectareum spirantes animi mœstitiam & aduentu lætificent, & reficiant suauitate. Dehinc diligenter collecti, & in basilicam Sacerdoti delati, processio cum gaudio celebratur: nam & hos flores sæpius infirmis prodesse cognouimus. Scribit Isidorus in historia Goth. æra 491 Gothos ab Emerita abstinuisse, territos ostentis beatissimæ Eulaliæ.

§. 2. *Prodigiosa corporis S. VVernheri inuentio; prodigiosus tumulus.*

VT nefarium suũ facinus tegerent Iudæi, quo per summam immanitatem puerum innocẽtissimum Wernherum crudelissime necârant, nocte intẽpesta corpus eius clam per muros tractum ad naues Moguntiam ituras detulerũt. Sed omnipotẽs Deus delusis eorũ conatibus nauem tota nocte errabundam ne vno quidem milliari ab vrbe recedere permisit. Orto deinde sole, timore & tremore correpti anxia inter se consilia captãt, quomodo Martyris corpus absconderent. neque enim ratio in aquas illud demergendi occurrebat. Tandẽ consp.ciunt prope Baccaracum cryptam spinis obsitam, vbi nunc conditum cernitur Wilhelmitarum cœnobium Windofdesbachium. Eo igitur cum corpore properantes, in eam cryptam illud proiecere, ac summa cum celeritate se inde proripuere. Sed Christus nequaquam id diu latere passus, mox sua illic miracula declarauit. Vigiles enim castrorum medijs noctibus locum illũ immenso fulgore splendentem viderunt. Quæ res cùm animos omnium in magnam meritò admirationem raperet, studiose causam indagarunt, statimque repertum est cor-

Surius 19. Aprilis.

Diuinitus Iudæorum conatus retardantur.

eſt corpus ſuo etiamnum ſanguine tinctum, adductumque Baccaracum ad locum iudicij, vt ſolent cæſorum corpora. comperta autem rei geſtæ veritate, cùm omnibus eſſet admirationi odor ſuauiſſimus è Martyris corpore manans, tum etiam claritas nocturno viſa tempore, ſumma deuotione illatum eſt corpuſculum in S. Cuniberti ſacellum, in colle prope parochiam ſitũ, vbi vitta aurea in virginitatis teſtimonium capiti impoſita, ſerico exornatum linteo & violis, honorificè admodum, cum laboris ſui inſtrumento incluſum eſt in cedrino ſarcophago fortiſſimis ſeris munito.

Mox autem vtriuſque ſexus hominum magna accurrit multitudo, viſura tam ſtupendum nouæ rei miraculum. tum verò omnipotẽs Deus illico ſanctum puerum magnis & ſtupendis illuſtrauit miraculis, cæcis viſus, ſurdis auditus, claudis greſſus, mutis loquela, aridis, paralyticis, luſcis, & quibuslibet male affectis ſanitas, & mortuis vita reſtituta eſt. Immo verò vſque in præſens multifaria per martyrem ſuum Wernherũ Chriſtus miracula operatur.

§. 3. *S. Pancratij ſepulcrum.*

Greg. Tur. de gloria Martyrum cap. 39. qui vixit ante annos mille.

DE miraculis ad ſepulcrum S. Pancratij aduerſus periuros fieri ſolitis agit Greg. Turonenſis his verbis: *Ad ſepulcrum S. Pancratij Martyris ſi cuiuſquam mens inſana iuramentum inane proferre voluerit, priuſquam ſepulcrum eius adeat, hoc eſt, antequam, vſque ad cancellos, qui ſub arcu habentur, vbi Clericorum pſallentium ſtare mos eſt, accedat, ſtatim aut arripitur à dæmone, aut cadens in pauimento, ſpiritum amittit.*

In diem 12. Martij.

Extat (vt notat Baronius) vetus memoria eiuſdem via Aurelia, vbi S. Greg. Papa habuit homiliam vigeſimam ſeptimam in Euang. ibidem & vene-

venerandum corpus eius sepultum est. Vnde hęc ibi in fine: *Ad martyris tumbam consistimus, qui ad cæleste regnum ex qua morte peruenerit scimus, &c.* Abstulit olim eam Ecclesiam idem S. Gregor. à Presbyteris negligenter curantibus, deditque Monachis, qui ad sanctissimum Martyris corpus quotidie opus Dei peragerent.

§. 4. *Tumulus S. Lusonis pueri motu suo tremulo quorundam irreuerentiam damnat.*

IN Dolensi Biturigi termini vico B. Luso Leucadi quondam Senatoris filius requiescit, qui fertur in albis migrasse à sæculo: in crypta verò positus super pauimentum sepulcrum habens ex marmore Pario mirabiliter exsculptum. Factum est autem, vt quadam vice S. Germanus Parisiacæ vrbis Episcopus ad hunc tumulum vigilias celebraret, haud procul formulam habens, in qua genua, cùm necessitas cogeret, deflectebat. Factum est autem in vna vigiliarum nocte, dum psalmos lectionis Dauidicæ decantarent, stationis labore lassi Clerici, quasi pro aliquo releuamine se super sepulcrum Sancti defixis vlnarum compagibus sustētarent. Contremuit illico beati tumulus Confessoris, & sibi iniuriam irrogari pręsenti vibratione fatetur. At Germanus Pontifex terrore perterritus amoueri desuper præcepit somnolentos, dicens: Absistite, ô segnes, procul à tumulo, ne Sancto Dei molestia inferatur. quibus amotis tremorem illum deinceps non senserunt.

Greg. Tur. de gloria Confessorū c. 92. Surius 4. Nouēb. vbi Lusor appellatur.

§. 5. *Inuentio corporis sanctæ Eulaliæ Barcinonensis.*

CVm incognitum diu sacrum D. Eulalię corpus iacuisset, Fredonio Barcinonensi Episcopo diuinitus reuelatum ferunt anno 878. Audierat Episcopus tumulatā Eulaliam ad ædem D. MA-

Petrus Ribadeneira 12. Febr.

D. MARIÆ haud procul ab Vrbe: ergo cùm diu sacrum pignus sedulò vestigandum curasset, triduanum tum vniuersę ciuitati, tum finitimis circà locis ieiunium, solennemque ad id templum supplicationem indixit. neque incassùm missæ preces. Sacrum Pontificio ritu peregerat Episcopus, cùm altaris cornu pastorali pedo percutit, cauum omnino deprehendit. Ea re lætus saxa terramque circumquaq; effodi iubet. paretur: marmoreus tumulus reperitur, quo aperto mira cęlestis odoris suauitas in omnium animos incurrit. Inde tumulo exemptum corpus, vesteque tectum byssina, feretro impositum, solenni pompa in vrbem defertur. Ad ciuitatis propè portas ventum erat, cùm ecce derepente sarcina alioqui non magna tanto pondere deprimitur, vt eam qui priùs gestauerant, loco iam mouere haud quaquam possent. Ad hæc omniũ animis iniectus metus, ac religio. Episcopus rei nouę miraculo stupefactus, precibus conciliandum Numen ratus, supplex humi genua ponit, ceterisque vt idem pręstent, edicit. Finierat, iamque in pedes erectus, lacrymisque vbertim manantibus perfusus, humeros feretro supponit, virisque è Clero vniuerso primarijs inuicem succollare iussis, sacrum corpus ad ædem cathedralem à sancta Cruce nominatam defert; cumque inibi ad principem aram dies aliquot sublime constituisset, in reliquiaria deinceps theca conclusum est. Huic inuentioni ab Ecclesia Barcinonensi 23°. Octobris indictus, hodieque seruatur. Haud ita multò post sacratum hoc pignus ad augustum eodem in templo sacellum translatum fuisse constat, spectante Ioanne Arragonio Rege, huius nominis primo, stipantibus Regis liberis; magnaque principum regij stemmatis, magnatumque corona assectante. Translationi porrò isti quotannis celebrandæ 2.

Iulij

inlij Dominica destinata. Vitam Eulalia illustri Martyrio (vt diximus suprà) 12. Feb. anno 304. clausit, Diocletiano, Maximianoque rerum summa potientibus. Eulaliæ Virginis Martyrisque meminere Martyrologia quatuor. D. Eulogius Martyr Cordubensis, Illust. Baronius, alijque. *Baron. in notis ad Martyrol. & tomo 2. annal.*

§. 6. *Puer S. Benedicti Monachus sepulcro eiectus impositione S. Eucharistiæ conquiescit.*

QVadam die dum quidam S. Benedicti puerulus Monachus parentes suos vltra quàm deberet diligeret, atque ad eorum habitaculum tendens sine benedictione de monasterio exisset; eodem die mox vt ad eos peruenit, defunctus est: cumque esset sepultus die altero, proiectum foras corpus eius repertum est, quod rursum tradere sepulturæ curauerunt; sed sequenti die iterum proiectum exterius, atque inhumatum sicut prius inuenerunt. Tunc concitè ad Benedicti Patris vestigia currentes, magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur; quibus vir Dei manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc Dominicum corpus supra pectus eius cum magna reuerentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite: quod cùm factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit. *D. Greg. lib. 2. Dialog.*

§. 7. *Duorum cum suo Præceptore puerorum inhumatio, & miraculosæ reliquiæ.*

PVeri duo cum suo Præceptore inuitati à paruulo IESV, cùm ad condictam diem post sacrum, cui ministrauerant, inter mortales esse desijssent (vt diximus c. 1. §. 7.) omnes tres in eodem fuere recōditi tumulo, & aliquanto tempore pòst elapso eorū corpora fuerunt ex humili loco ad altiorem translata; repositaque in vno sepulcro in capella, quę Regum dici consueuit. Mi- *Ex Chron. FF. Prædicatorum.*

raculosa quoque hæc historia fuit super idem sepulcrum depicta, & per traditionem quadam ab antiquis acceptam, fama ad hæc nostra tempora peruenit. Tandem anno 1277. cùm in eodem loco quo tale erat sepulcrum, portam quandam oporteret aperiri, inuentæ sunt horum sacrorum corporum reliquiæ, & quidem paruulorum vno supertectæ linteamine, prædicti verò Patris eorum magistri, alio. quod verò easdem omnes illorum trium reliquias simul cooperiebat, linteamen, adeo candidum, integrum & incorruptum fuit repertum, quasi à paucis diebus ante fuisset ibi repositum. Huius rei fama mox per ciuitatem spargitur, accurrit mox ad rem stupendam vniuersus populus, & quę erga hos beatos habebatur deuotio, & memoria, augetur: & instrumento publico ad posterorum memoriam hęc omnia per testes priùs sacramento adstrictos examinata scripto traduntur.

§. 8. *Ex sepulcro puerorum cum S. Laurentio Presbytero conditorum salubris fluit liquor.*

Baron notis in d. em 30. Aprilis

NOuariæ cum S. Laurentio Martyre passi sunt 30. Aprilis pueri, quos ille educandos susceperat, de quibus affert Baronius in Martyrologio antiquum Epigramma exsculptum in sepulcro marmoreo, quod dictorum SS. Martyrum sacris ossibus est refertum, ex quibus medicus liquor manare consueuit, & sic habet:

Aspicis hoc marmor tumuli de more cauatum?
Id solidum est intus, rima nec vlla patet,
Vnde queat tellus occultas mittere lymphas;
Manat ab ingestis ossibus iste liquor.
Si dubitas, medio fulantes tolle sepulcro
Relliquias, dices; Vnda salubris vbi est?

§. 9. Sa-

§. 9. *Salun pueri innocentissimi liliatum sepulcrum.*

TEmpore Vrbani V. circa annum Domini 1350. florebat in innocentia, simplicitate, & sanctitate vitæ admodum austeræ, pauper, rudis, & simplex mendicus nomine Salun, qui in annis puerilibus ad scholas missus nihil aliud potuisset discere quàm hæc verba Latina, AVE MARIA. Cumque in Britannia Gallica ostiatim per pagos panem quæritaret, repetebat supradicta verba ter, quater, quinquies, & sexies ordinariè. Quamobrem illius prouinciæ habitatores ipsius innoxiam & sanctam simplicitatem intuentes, porrigebant ei quod comedere ipsimet statuerant. Tunc Salun conferebat se ad certum quendam fontem ab vrbe Landeuenec vnâ ferme leucâ dissitū, in cuius aquis suum panem, & quicquid mendicatò acceperat, macerare & condire solebat, nullo vnquam alio potu ciboue vtens, quàm pane madefacto in supradicto fonte. Lectus eius nuda erat humus, capitis ceruical lapis, idque sub arbore tortuosa, & modicum à terra erecta iuxta illum fontem. Hiberno tempore cum præ frigore rigesceret, ascendebat illam arborem, & ramos flexiles apprehēdens, librabat corpus sursum, deorsumque, & hac motoria agitatione temperabat algoris sæuitiam, pleno decantans ore sexies O MARIA. Cumque aliquando increfceret hyemis asperitas, in aquas fontium, per antiperistasin & contrarietatem qualitatum fumantes, insiliebat; hinc factum est, vt incolæ talia facta conspicientes eum fatuum vocitarent: sed Deus admirabilis in sanctis suis, volens Matris suæ famulum excusatum habere ob innocentiam, & nomen Virginis MARIÆ celebratius reddere, miraculum

D. Ioannes de Longoesneu Abbas cœnobij regalis Lādeuenecēsis in Britannia Gallica hæc se vidisse testatur, habetur que in legendis Sanctorum per Doctores Parisienses vulgatis ad 1. Nou. Raderus Viridarij p. 2. c. 5.

quod sequitur edidit: nam cùm defunctum hunc innocentem & simplicem Salun vicini sub arbore sepeliissent, eodem loco vbi solebat sibi lectum sternere, qui erat nuda humus fonti adiacens, accidit vt postea pulcherrimum lilium miraculose super ipsius tumulum cresceret, cuius flores repræsentabant hæc verba, A V E M A-R I A, aureis literis exarata.

§. 10. *Ad tumulum pueri Achas Psalmus* De profundis *percurri non potest.*

Thomas à Cantiprato de Apib. li. 2. cap. 28.

AD sepulcrum pueri Achas cùm orātes quidam è fratribus Psalmum *De profundis* dicere de more voluissent, nullo conatu, nulla reiteratione hunc dicere vel finire potuerunt; vt vel sic intelligeretur, nullis sanctam illam animam orationum suffragiis indigere. Credo (inquit Thomas) quod & idem mihi ad sepulcrum illius contigerit roganti.

§. 11. *S. Agnetis sepulcrum Emerentianæ morte, & Constantiæ recuperata sanitate nobile.*

D. Ambros. ser 91. extat de hac S. Virgine hymnus elegantissimus Prudentij.

PArentes S. Agnetis ob tam gloriosum filiæ suæ certamen peractum, nullam penitus tristitiam habentes, cum omni gaudio abstulerunt corpus eius, & posuerunt illud in prędiolo suo, non longe ab vrbe, in via quę dicitur Numentana. Vbi cùm omnium turba cocurreret, insidias à paganis perpessi sunt. Et videntes populum infidelium super se venientem armatum, omnes fugerunt. Emerentiana autem quę fuerat collectanea eius, adhuc Catechumena constanter & intrepida stabat, & iis verbis exprobrabat eis: Superflui, miseri, caduci, atrocissimi, Deum colentem occidistis, & percussione lapidum homines innocentes impetitis. hęc & similia verba cùm turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis; & orans iuxta sepulcrum Agnetis beatissimę, emisit

emisit spiritum. Eadem hora fit terræ motus vehementissimus; & cùm nimia esset cęli serenitas, tantæ coruscationes, tantaque fulgura & tonitrua extiterunt, vt pars maxima infani populi expiraret. Venientes autem parentes B. Agnetis cum Sacerdotibus nocte abstulerunt corpus Emerentianæ Virg. & sepelierunt illud in confinio beatissimę virginis Agnetis.

Porrò contigit post aliquot annos, vt visio, qua B. Agnes parentibus suis ad sepulcrum vigilantibus apparuerat (vt habetur c. sequenti) Constantiæ Constantini filiæ, ab ijs qui viderant, narraretur. Erat autem ipsa Constantia, Regina, virgo prudentissima, sed ita obsessa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandę salutis, venit ad tumulum Martyris nocte, & licet Pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat; quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur, & vidit per visum beatissimam Agnen talia sibi monita proferentem: *Constanter age Constantia*, & crede Dominum I. C. filium Dei esse Saluatorem tuum, per quem modò consequeris omnium vulerum, quæ in tuo corpore pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana. & sic sana, vt nec signum in eius membris alicuius remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & Patri suo Augusto, & fratribus suis Imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: fit lętitia militantibus, atque priuatis, & vniuersis audientibus hæc. Infidelitas Gentium confundebatur. & fides Dominica lætabatur. Interea patre & fratres Augustos rogat, vt basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illic mausoleum collocari precepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot ad eius sepulcrum ad-

 uenis-

uenissent, sanabantur, quacumque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat vsque in hodiernum diem. Perseuerauit autem Constantia in virginitate, per quam multæ virgines, & mediocres, & nobiles, & illustres sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, vsque in hodiernum diem multę Virgines Romanæ Agnem beatissimam quasi in corpore manentem attendunt, & eius exemplo agentes viriliter, integræ perseuerant, credentes sine dubio, quod perseuerantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant. Hęc Ambrosius.

§. 12. *Puer quidam sepultus, Ioannes nomine, post quadriennium habitu Sancti Francisci indutus reperitur.*

Ex Chron. S. Frãcisci l. 4. c. 21. AD Eboram Lusitanię vrbem duo coniuges beato Francisco, & ordini Seraphico addictissimi, Puerum habebant etiam Religiosorum amantissimum, quos si quando contigisset eò diuertere, quibus poterat officijs, atque propensæ voluntatis significatione prosequebatur. Hic cùm in lethalem morbum incidisset, & iam sibi ex hac vita migrandum esse animaduerteret, aperuit matri, illud vnicum orare se, atque obtestari, vt defuncto sibi vel hęc iusta persoluat, in Franciscanorum monasterio tumulari liceat, & sacro eorum habitu hac postrema vitæ scena conuestiri. Cui illa respondit, prius illud facile tot meritis suis concessum iri, at posterius non nisi magnatibus, & summi beneficij loco permitti. Cùm ergo animam exhalasset, in Franciscanorum cœmeterio conditus est in crypta: quò cùm aliud fortè cadauer post quadriennium inferri contigisset, repertus est Ioannes habitu S. Frãcisci indutus, non sine admiratione omnium, quibus

quibus constabat loco illo communi, solere Religiosorum sepeliri neminem. Re intellecta mater,quale pueri moriturı fuerit desiderium,exponit, fitque palam, hunc illi vestitum a Deo concessum, qui virtutem potiùs respicit, quam clari nominis celebritatem.


§. 13. *Ad Studiosi cuiusdam tumulum visa Virgo Mater.*

IN ciuitate Bonnensi quædam Inclusa erat habitans, satis religiosa & deuota. Hęc cùm quadam nocte rimulis cellæ suæ splendorem immitti cerneret, & diem esse putaret, tertiia propter horas nondum dictas, surrexit, fenestram versus cœmeterium aperuit: & ecce, iuxta caput sepulcri cuiusdam Scholaris recenter illic sepulti, miri decoris feminam stare conspexit. Gloria verò corporis eius eandem lucem creauerat. Stabat etiam columba niuea super tumulum, quam illa citò rapiens, misit in sinum suum. Inclusa verò licet iam intelligeret quę esset tamen cum reuerentia, quænam foret requisiuit. Cui illa: Ego sum Mater Christi, & animam Scholaris huius, qui verè Martyr est, tollere veni. Reuera Scholares si innocēter viuunt,& libēter discunt, Martyres sunt: quod si postea, artes doctas in charitate, maxime in Dei seruitio exercuerint,magnam ex hoc mercedem consequentur. *Cæsarius l. 12. mirac. c. 56.*

§. 14. *De effossione infantis.*

IVxta S. Idæ corpus, Comitis Ludolphi filium fortè sepelierant, qui die sequenti de tumulo extractus, ante ianuam vestibuli inuentus est, in quo inclusus erat. Stupefacti quibus res erat commissa, corpusculum denuo pristino loco abdiderunt; quod nihilominus inuisibili iterum violentia eminus proiectum repererunt: obstinatis ergo animis incassum laborem præstigijs *Surius in vita S. Idæ 4. Septemb.*

imputantes, tertiam vicem audenter auxerunt, sed in vanum vires expenderunt; quia quod hesterno labore fuerat oppilatum, tunc in extremo atrij angulo viderunt cuulsum: quo demum pudore multati ibidem terræ commiserunt. Quo portento apparuit, quibus meritis clareret Sancta Ida, cuius sepulcrum Deus nullo carnalis corruptelę fœtore in terris passus est maculari.



CAPVT XVII.

PVERORVM POST OBITVM APPARITIONES.

CVm nemini dubium sit, mortalium animas e corporibus euocatas suis, ad destinata sibi loca trāsmitti; quid causę esse putabimus, quòd eas rursus inter morituros versari cōtingat? inficiari non possumus, præter cōmunem ordinē, & ex Dei volūtate singulari fieri quandoq; apparitiones eiusmodi, quę in numerum miraculorum meritò venire debeant; fiuntque vel diuinæ gloriæ propagandæ causa, vel vtilitatis nostræ; qualiter a pueris quoque nostris editas ostendemus.

§. 1. *B. Agnes parentibus suis se videndam præbet.*

D. Ambros. serm. 91. DVm parentes B. Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant: inter quas vident

dent Beatam Agnetem simili veste fulgentem, & ad dextram eius Agnum niue candidiorem. Hæc itaque cùm viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed Beata Agnes rogat SS. Virgines parumper gradum figere, & stans parentibus suis, dixit: *Videte ne me quaso mortuam lugeatis; sed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi iuncta sum in calis, quem in terris posita, tota animi intentione dilexi.* & his dictis pertransijt. Apparuit deinde Constantię Constantini filiæ, eamque ab vlceribus, quibus tota cooperiebatur, curauit.

§. 2. *Puer sepultus auditur quotidie in choro canere.*

MVlier quædam filium suum vnicum ad monasterium adducens, Abbati tradidit erudiendum, videlicet vt factus Clericus, sanctis manciparetur officijs; verùm cùm iam spiritalibus eruditus esset literis, & cum reliquis Clericis in choro canentibus psalleret, modica pulsatus febre spiritum exhalauit. Concurrit mater orbata ad obsequium funeris plangens, sepeliuitque filium: verumtamen non suffecerunt hæ lacrymę dolori, quæ in exequijs sunt effusæ, sed per dies singulos veniebat, & super sepulcrum nati sui emissis in altum vocibus eiulabat. Cui tandem apparens per visum B. Mauritius ait: Quid tu, ô mulier, incessanter filij obitum plangens nunquam desistis? Cui illa: Dies, inquit, vitæ meæ hunc planctum non explent, sed quoad vixero, semper deflebo vnicum meum, nec vnquam mitigabor à lacrymis, donec oculos corporis huius debita mors concludet. Cui ille: Noli ita, aut quasi mortuum flere, sed æquanimiter age: nam scias eum nobiscum habitare, & sedentem vitæ perennis

Greg. Tur. li. 1. miraculorum.

perennis consortio nostro perfrui. Et vt veraciter credas certa esse quæ loquor, surge crastina die ad matutinũ, & audies vocem eius inter choros psallentium monachorum, & non solùm die crastina, sed etiam omnibus vitæ tuæ, cùm veneris, audies in psallentio vocem eius. Surgit mulier, longaque ducit suspiria, nec obdormit in strato suo, donec signum à monachis commoueatur ad surgendum: quo commoto accedit ad Ecclesiam aliqua de visione, quam viderat, probatura. Nihil enim præterijt de pollicitatione sancta, sed quæ fuerant diuinitus nunciata, mox impleta noscuntur: nam ibi cantato responso antiphonam suscepit caterua Monachorum, audit genitrix paruuli vocem, agnoscit, & gratias agit Deo. Sed & omnibus vitæ suæ diebus, vt promissum fuerat, cùm accessisset mulier psallentium, vocem eius audiebat inter reliqua vocum modulamina.

§. 3. *Puer se deuenisse in paradisum declarat.*

Petr. Cluniacensis li. 2. cap. 29.

Religioso cuidam probo pueri cõmissa fuerat cura; nec segnis ille mandatorum executor puerum commendatum suscipit, enutrit sacro religionis lacte, & nil rerum terrestrium sapere breui edocet, sed cęlum mente conspicere, cælestibus inhiare. Edoctus ille ab eo, non in vanum laborasse doctorem suum (vt quidam indisciplinati faciunt) ostendit; sed vt testa recens, bonum odorem quoad vixit semper seruauit. Verùm placuit Deo, ne puer tam benè educatus, tam sanctè edoctus, diu particeps mortalium fieret, vel aliquam de ipsorum consortio labem contraheret. Raptus est ergo, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio (quę quibusdam etiam religiosis quandoque familiaris esse solet) deciperet animam ipsius. Præueniens ergo in moriendo discipu-

discipulus magistrum, bonam quidem spem salutis suę; sed cum eadem spe, magnum illi ac pene intolerabilem de morte sua dolorem reliquit. Acceperat quippe illum à Priore suo ad educandum, sed eius bonos mores, sanctamque intentionem admirans, eum non solùm vt commendatum, sed vt filium vnice diligebat, atque idcirco eius tam celerem, immo quasi furtiuum de mundo recessum, pene assidue dolendo deflebat: eo tractus affectu orabat quotidie pro ipso, nec satiari orando pro ipsius anima poterat. Cumque hęc tam deuoti animi sui studia nullo fere tempore intermitteret, nec ab ijs, quantum facultas dabatur, cessaret, volens Deus hominem suum à tam duro labore leuare, & cuius meriti vel ipse, vel puer illius esset, ostendere; dignum fecit illum visione cælesti. Pernoctabat aliquando sub dio bonus vir, vt sæpe facere consueuerat, ac spiritum cælo intentum ab orationis labore vel studio non relaxabat: cumque defixis non solùm mentis, sed & corporis oculis in cælum, Deum, vt homini erat possibile, contemplaretur; ecce velut per medium discissi aeris lux longè omni corporea luce clarior ei desuper infulsit, eumque ac loca circumposita splendore immenso perfudit; viditque puerum dilectum, immo in Deo filium suum de cælis cum eadem luce descendere, atque vsque ad se lætum & radiantem venire, & in insueta visione gaudio simul & timore turbatus hærebat: ad quem is qui apparuerat puer: Quid, inquit, turbaris? an non agnoscis filium tuum? redi ad animũ, & mecum vt solitus eras, loquere. Sed vt ea quę circa me aguntur tibi aperiã, noueris multum profuisse mihi, quòd me tam tenerè Dei causa dilexisti, quòd morti meæ compassus es tam benignè, quòd pro me tam solicitas & continuas Deo orationes fudisti:

fudisti: amodo per Dei gratiam noueris me ad illum statum peruenisse, vt sicut tu hactenus mihi profuisti, sic ego tibi amodo apud ipsum prodesse valeam. Dixit hæc, & statim vnde venerat paulatim eo conspiciente regredi cœpit. Referebat autem illius visionis inspector, quod dum à se discederet, cælumque conscenderet, non auersa facie, vel huc illucque conuersa, vt vale-facientes solent, recessit; sed sicut ei collocutus facie ad faciem fuerat, sic semper ad se conuerso vultu ad superna tendens tam diu permansit, quousque patente cęlo receptus videri vltrà non potuit. Atque hęc non dormiens, sed vigilans sub dio positus, atque orationi toto corde intentus conspexit.

§. 4. *Puer paruo debito adstrictus adest è purgatorio.*

Speculum exemp. dist. 9. §. 101. ERat quidam puer nouem annorum facetus satis in verbis, qui cecidit in grauem infirmitatem, & sic obijt, & post mortem apparuit multum lamentabiliter. & mater quæsiuit quomodo se haberet? Respondit: In maximis pœnis sum. & mater: Quantæ sunt pœnæ tuæ? Et puer respondit horribile verbum, dicens: Si omnes carbones, quos carbonarij in vniuerso mundo à tempore Natiuitatis, vsque hodie arserũt, in vno cumulo arderent, & tu dilecta mater mea in medio cumulo stares, & arderes, non tantas pœnas sustineres, sicut iam in purgatorio sustineo. Mater quęsiuit à puero: Vnde meruisti tam acerbam pœnam, cùm satis obediens fuisti, & libenter orasti, nec iurasti? Puer respondit: Ego consueui accõmodare denarios à familia, & inde emere pyra, globulos, nuces: modò autem sic obij, quod non omnes exsoluerim; idcirco torqueor. Et mater; Possumne in aliquo suffragari? Si exsolueris, inquit,

inquit, pro me, statim liberabor. & sic disparuit. Mater autem vocauit ad se familiam dicens: Volo vt computetis debita filij mei. omnibus computatis puer nouem hallenses post se in debitis suis relinquerat; quos mater soluit, & eodem die puer rediens: O mater dilecta, inquit, gratias tibi ago, ex quo debita mea persoluisti, me à purgatorio liberasti; ideo cælos introibo, & pro te, ac fratribus meis, Deo supplicabo.

§. 5. *Puer de correctione gratias agit.*

IN Monasterio nigri ordinis, puer quidam nobilis à parentibus traditus est discipulus regularibus educandus; & quia erat decorus forma, naturæque donis insignitus, & supra talem ætatem, morum honorificentiâ gratiosus, seniores maxime qui officijs præerant, puero, vltra quàm necesse erat, habenas libertatis relaxabant. Prior autem qui conuentum sub Abbate regebat, discretiori mente & regimine, ipsius licet optimæ naturę, in tali ætate, credendum non putabat, quia vt dicit Philosophus, Pueri non tantum mouendi sunt verbis, sed etiam arctandi verberibus: aggressus est iam aliquantulum insolescentem puerum verbis, interdum & verbere ab illicitis refrænare; qui puer ad omnem informationem boni statim quasi mollis cera Prioris correptionem accipiens, in adolescentem sanctum & perfectum creuit, & circa viginti annos ętate finita mortuus, Priori apparuit, dicens: Tuæ correptioni gratias ago, Prior, qui mecum tuâ prouidentiâ id egisti, ne insolentiâ puerili paulatim defluerem, & tandem prolaberer in damnanda. hæc vt dixit, beata anima tanto splendore resplenduit, vt vix in loco angulus remaneret qui ab illo expers fuit.

Thom. Cãtipr. de Apibus li. 1. cap. 17.

§. 6. Puer

§. 6. *Puer socio apparet ex pacto.*

Villeras de fruct. Sacr. dist. 27.

ADolescentes duo literis ac pietati simul operam dantes, magnaque inter se familiaritate deuincti, mutuo sibi spoponderant, vt qui primus illorum è viuis excederet, alterum (permittente Deo) de statu suo certiorem redderet. Mortuus est non multo post vnus eorum, atque 16. dierum spatio elapso multa luce coruscus commilitoni suo apparuit, dicēs: Per gratiam Dei saluus factus sum, & ęterna gloria nunc perfruor. Cui alter: Qua potissimū re id promeruisti? & quid dum in terris viueres diuinæ maiestati in te maximè placuit? Respondit ille: Frequentatio Sacramentorum, pręcipuè verò sacrę communionis, cum deuotione, & pura conscientia, crebra perceptio. hæc me liberant ab innumeris peccatorum periculis.

§. 7. *Ad preces pro filio fundendas, non lacrymas, mater admonetur.*

Thom. Cantipr. de Apibus li. 2. cap. 53.

MAtris relatione didici quod narro. Auia mea filium primogenitum habuit, indole insignem, & decore præcipuum, quo mortuo inconsolabiliter doluit, nec fortè sine præsagio futuri mali: nam post illum habuit alium, qui pompa vanitatis illectus, dilapidator rerum fuit. Matre ergo, vt dictum est, primogenitum inconsolabiliter lamentante, apparuerunt ei iuuenes in via quadam, vt visum est ei, cum ingenti gaudio gradientes. cumque memor filij eum inter illos esse non videret, & fleret; ecce post alios filium suum lento gradu subsequentem agnouit. Cui mater cum graui clamore dixit: Et quid est quod solus, & non cum alijs graderis retardatus. Cui ille, in toga laterali magnum aquę pondus ostendens: Ecce, inquit, mater, lacrymæ, quas pro me inaniter effudisti, quarum pondere ab aliorum prose-

prosecutione retardor. ad Deum ergo lacrymas commutabis, & in præsentia sacrificij corporis Christi, cum eleemosynis pauperum pro me corpium & deuotum effundas, & tunc liberabor ab incommodo quo nunc grauor.

Nota tamen, Lector, dispensatione diuina, vel ad consolationem, vel ad correctionem matris, dixisse se mortuum iuuenem immodicis lacrymis a comitatu sodalium retardatum, quia meritis quidem viuentium defunctorum animæ adiuuari possunt, sed prorsus non possunt demeritis impediri.

§. 8. *Cellulam natiuitatis suæ mundari præcipit per visum B. Luso.*

B. Luso pauperi cuidam per visum apparuit, præcepitque cellulam emundari, in qua (vt ferunt) infantiæ vagitus exegerat: sed cùm pauper ille bis commonitus agere iussa differret, apparuit ei tertiò, dicens: Si feceris quę præcipio, vnum trientem pro obedientię famulatu recipies; ille verò consurgens, cellula scopis mundata, abluta, herbisque respersa, stabat attonitus pollicitam promissionem operiens, donec nutu Dei aduertit trientem in pauimēto lucere, quem colligens lætus abscessit. *Greg. Tur. de gloria Confessorū.*

§. 9. *Gertrudis nouem annorum puella post mortem ad chorum expianda redit.*

PVella quædam paruula, nouem, vt puto, annorum, in monte S. Saluatoris, quæ domus nostri ordinis est, in aduentu ipsius Saluatoris mortua est; defuncta verò clara die conuentu stante in choro, ipsa chorum intrauit: intrans, ante altare satis profunde se inclinauit, sic in locum vbi stare solita erat, recedens. Quam iuxta se alia puella pene eiusdem ætatis stare videns, & mortuam sciebat, tanto horrore concussa est, vt notaretur. Requisita verò à Domina Benigna Abbatissa *Cæsarius l. 12. c. p. 36.*

tiſſa (à cuius ore audiui quæ dicturus ſum) cur ita cõcuteretur, reſpondit; Sic & ſic ſoror Gertrudis in chorum venit, & cùm dictis Veſperis commemoratio fieret Dominę noſtræ, ad Collectam, ſe in terram ſtans iuxta me proſtrauit: finita verò Collecta ſe erigens, abijt: hæc fuit cauſa horroris. Abbatiſſa timens illuſiones diabolicas, ait puellę: Soror Margareta, ſi denuo venerit ad te Soror Gertrudis, dic ei, *Benedicite*: & ſi reſponderit tibi, *Dominus*; interroga vnde veniat, vel quid quęrat. Sequenti die, illa venit, & ſalutata cùm reſpondiſſet, *Dominus*; puella ſubiunxit: Bona ſoror Gertrudis; vnde tali hora venis? vel quid apud nos quæris? reſpondit illa: Ad ſatisfactionem huc veni; quia libenter tecum in choro ſuſurraui, ſemiplene verba proferens; idcirco in eodem loco iuſſa ſum ſatisfacere, vbi contigit me peccare, & niſi tibi de eodem vitio caueas, eandem pœnam moriens ſuſtinebis. Cùm quarta vice prædicto modo ſatisfeciſſet, ait conſorori: Modo ſatisfactionem compleui; de cętero non me videbis: quod ita factum eſt, nam ea aſpiciente tendebat verſus cœmeterium, mirabili virtute murum tranſcendens. Margareta verò ex comminatione defunctæ ſic territa eſt, vt infirmata ad extrema deueniret, quę rapta in exceſſum mentis, ſic iacuit, vt omnibus defuncta videretur: poſt horam reuerſa, quaſdam ex Sororibus in præſentia Dominæ noſtræ ſe vidiſſe, quaſdam ſe illic non vidiſſe teſtata eſt. Dicebat etiam quia eadem glorioſa Virgo MARIA coronam in manu haberet, quam Stepponis Sacerdotis eſſe dicebat. Idem Steppo Presbyter fuit valde religioſus, & mirè charitatiuus in eodem monte, Deo prædictiſque ſororibus ſeruiens.

§.10. VVil;

§. 10. *VVilhelmus puer ex purgatorio liberatur.*

ANte hos annos 12. inquit Author, Monachus quidam Wilhelmus nomine apud nos defunctus est; puer quidem ad ordinem venit, & vere puer, quia purus & impollutus: genere nobilis erat, sed virtus mentis illum magis nobilitabat. Completo anno probationis, sequenti die cœpit infirmari, & post paucos dies sancto fine decedens, expleuit tempora multa. Qui statim post mortem cuidam Monacho apparens, cùm de statu suo requireretur, respondit se esse in pœnis. De quo verbo cùm ille territus fleret, & diceret: Si tu es in pœnis, qui nunquam peccasti, quid fiet de me peccatore, meique similibus? Consolans eum defunctus ait: Noli flere, quia nullam aliam patior pœnam, nisi quod nondum vidi Deum: ipsam dilationem gloriæ pœnam reputans: Nec immerito; Spes quæ differtur, affligit animam. Et adiecit: Ah! quàm clarum erit quod statim veniet ante Deum! Rogate, inquit, ex parte mea, Abbatem, vt in capitulo orationes iniungat pro me ad tempus, & vt ipse pro me dicat Collectam, sicque liberabor. Dicente Monacho, vnde erit Collecta illa? Respondit, de S. Michaële. Manè cũ visio fuisset recitata D. Henrico Abbati nostro, ipse de eodem Archangelo statim Missam celebrauit; in capitulo Psalmum; *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, dicendum per septem dies omnibus pro eo iniungens: Mira virtus orationum. Conrado nunc Priore loci Sanctæ Mariæ, stante in choro, cùm in vno versiculo illius Psalmi, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, leuiter dormiret, sæpe dictum illW helmum sub pallio Beatę Dei genitricis stare conspexit, cum multa gratulatione dicentem:

Cæsarius l. 11. c. 37.

Nunc omnibus liberatus sum. Eodem tempor dicto Monacho secundò apparens, testat tantùm septẽ diebus se fuisse in purgatorio, carentia diuinæ visionis: multa illi de statu rumdam animarum reuelans.

§. 11. *Puer viuenti similis nostro sacerdoti apparet.*


Ex lit. Soc. anni 1595. prou. Mexicana Coll. Tepozotlano.

FVit hic annorum 12. filius viri principi nunc Ciapam (Prouinciæ id nomen) ad strat: cuius auus ante imperium Hispanor ea gente regnum obtinuerat. ea fuit morui positione, ac modestia, vt & facile generis n tatem præ se ferret, & in tenera adhuc ætat ctimonia nomen fortiretur: vulgò enim *Pa ctus* vocabatur. Octiduum tantum ægrotaui tempore quinquies Confessionis repetijt mentum; sub mortem, memor calculi piac Rosario inserti, ad indulgentiã postremùm sequendam illum postulauit, intimaque p IESV ac MARIÆ nomine iterum, ac pronunciato, inter pia cum Christo cruci-fi colloquia, puram animã emisit. Fuit qui ill tẽpore narrauit eum à se in suo cubiculo v & valẽtem, & fulgentibus auro vestibus o pecunctantique sibi, quî tam citò conualui quid sibi tanta species ornatus vellet, Se qu respondit, ægrotasse; sed nunc recepta valet cælum conscendere: parentum se tamen m ri, eorumque qui calamitosa in hac vita re ferunt: his dictis euanuisse. Testatur suis lit Prouincialis, visum, & morientis virtuti co taneum, & auctoris fide digni testimonio, gnum iudicasse, quod literis annuis insere

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.	Lege.	Pag.	Lege.
[illegible] 4. veneratis, solita	[illegible]	3[illegible]8 in med. prouocaret	pr[illegible]caret
[illegible] a fine, quaetem &	[illegible] apparet, &	[illegible]9 [illegible]	es[illegible]ges
8 au[illegible]ire	audi[illegible]	41[illegible] [illegible]	S[illegible]a
[illegible]edi[illegible], ingrediens	[illegible]	415. l. 3 [illegible]enes	cum [illegible] eius
4[illegible]. [illegible]raid,	[illegible]do	421 [illegible]	[illegible]atori
5[illegible], Atque	Itaque	4[illegible]. in m[illegible] vidit	v[illegible]i
[illegible] 4 Viro	vir	435. in med. [illegible]udit	au[illegible]er
6[illegible]. in margine Benyon.	Ben[illegible]o.	438. [illegible]	vnica
[illegible] Cerus	[illegible]nus	[illegible]	am[illegible]tus
[illegible]. In margine, Opij	O[illegible]j	4[illegible]. El[illegible]	E[illegible]carus
[illegible] Hebraeis	Hebraei	45[illegible]. l. pe[illegible] citanti	[illegible]citanti
[illegible]18 [illegible] cum	P[illegible] mericum	462. sacr[illegible]	sac[illegible]entum
[illegible]stantium	[illegible]	4[illegible]8. in m[illegible], Martyr	in Ma[illegible]
[illegible]38 [illegible]gi	A[illegible]gi	45[illegible] [illegible]	nutu
[illegible]8. V[illegible]ridia	V[illegible]aria	[illegible] a[illegible]ctiones	afflict[illegible]iones
[illegible]3. IV	I[illegible]	540. in med. cordi	cordis
[illegible]4 Iubi[illegible]um	Iud[illegible]undum	549 B[illegible] ter	Birgi[illegible]a
[illegible] p[illegible]rato	in[illegible]rato	[illegible]	fulcinulis
[illegible] a[illegible]ductum	ad[illegible]ctum	5[illegible]nium	Parthenium
212 l. 5. infantis	[illegible]	590. l. 7. h[illegible]orem	honorem
234. l. 7. attulerant	atti[illegible]runt	6[illegible]	Crescentius
236. sub finem	den[illegible]um	6[illegible]2. l. 4 a fine, earum	eo[illegible]n
[illegible]. precio	p[illegible]ce	[illegible] quidem	quidam
24[illegible]. l. 5. fecit	fac[illegible]	6[illegible]9 [illegible]nio	Antonino
282. paternos	pat[illegible]nos	69[illegible] in med. viro	v[illegible]
28[illegible] l. 3. a fine nolentem	d[illegible]m	61[illegible] [illegible]tus	solutis
302. [illegible]nam	[illegible]	[illegible] exul[illegible]ntes	exultantis
[illegible]97. in marg. Gagnimus	[illegible]us	7[illegible]3. [illegible]	illuc
3[illegible]8. Ganilius	G[illegible]s	[illegible]4[illegible] la[illegible]em	latantem
319 eulg lantes	e[illegible]es	[illegible] l. 4. a fine, frigore	ri[illegible]re
[illegible]78. in med. ducturus	d[illegible]ctu[illegible]	8[illegible]. VV[illegible]n	[illegible]
[illegible]6. ardet Deum	ard[illegible]d Deum	8[illegible] De[illegible]	De[illegible]
[illegible]8[illegible]. in med expireretur	ex[illegible]tire ut	8[illegible] v[illegible]rum	vulnerum
[illegible]83. l. 1. Sicut	Sunt	8[illegible]5 l. [illegible]xio	q[illegible]si
[illegible]9[illegible]. Lu[illegible]gardi	Lutg[illegible]	843. [illegible] penult. in VVhelmum	VVilhelmum





INDEX RERVM, ET PERSONARVM.

A.

num

Nunc omnibus liberatus sum. Eodem tempore p
dicto Monacho secundò apparens, testatus
tantùm septẽ diebus se fuisse in purgatorio, id
carentia diuinę visionis: multa illi de statu q
rumdam animarum reuelans.

§. 11. *Puer viuenti similis nostro sacerdoti apparet.*

Ex lit. Soc. annu 1595. prou. Mexicana Coll. Tepozotlano.

FVit hic annorum 12. filius viri principis,
nunc Ciapam (Prouinciæ id nomen) admi
strat: cuius auus ante imperium Hispanorum
ea gente regnum obtinuerat. ea fuit morum
positione, ac modestia, vt & facile generis nob
tatem præ se ferret, & in tenera adhuc ætate à
ctimonia nomen sortiretur: vulgò enim *Puer*
ctus vocabatur. Octiduum tantum ægrotauit:
tempore quinquies Confessionis repetijt sa
mentum; sub mortem, memor calculi piacul
Rosario inserti, ad indulgentiã postremùm c
sequendam illum postulauit, intimaque pie
IESV ac MARIÆ nomine iterum, ac te
pronunciato, inter pia cum Christo cruci-fus
colloquia, puram anima emisit. Fuit qui illo
tẽpore narrauit eum à se in suo cubiculo vis
& valẽtem, & fulgentibus auro vestibus orn
percunctantique sibi, quî tam citò conualuisse
quid sibi tanta species ornatus vellet, Se quid
respondit, ęgrotasse; sed nunc recepta valetuc
cęlum conscendere: parentum se tamen mis
ri, eorumq́ue qui calamitosa in hac vita rem
ferunt: his dictis euãnuisse. Testatur suis liter
Prouincialis, visum, & morientis virtuti con
taneum, & auctoris fide digni testimonio, se
gnum iudicasse, quod literis annuis inserere

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.	Lege.
[illegible] 4. veneratu, sol ta	veneratu [illegible] lira
[illegible] a fine, quietem &	[illegible] apparet, &
[illegible] audire	audiret
[illegible] medio, ingrediens	egrediens
4 [illegible]	Gerardo
5 [illegible] Atque	Itaque
[illegible] 4 Viro	vir
6[illegible] in margine Benyon.	Benyon.
[illegible] seruus	ceruus
[illegible] in margine, Opij	Opij
[illegible] Hebrxis	Hebræi
[illegible] [illegible]nicum	Parmenicum
[illegible] [illegible]anum	[illegible]um
258 [illegible]gi	A[illegible]gi
[illegible]2. V[illegible]dia	V[illegible]aria
[illegible] I V	I V
[illegible]ubiludum	ludibundum
[illegible]6. [illegible] p[illegible]ato	in [illegible]erato
[illegible] a.ductum	ad[illegible]um
212 l 5. infantis	[illegible]
2[illegible]4. [illegible] 7. attulerant	attulerunt
[illegible]36. sub finem	dentium
241. precio	prece
247. l. 5. facit	faci
282. paternos	p[illegible]ones
[illegible] l. [illegible] a fine nolentem	d[illegible]m
[illegible]2. trinam	tri[illegible]m
[illegible]97. in marg. Gagnimus	G[illegible]nus
[illegible] 8. Gant[illegible]us	G[illegible]
3 9 eu[illegible]lantes	e[illegible]es
[illegible]8. in med. ducturus	ducturu
[illegible] 6. ardore Deum	ardore ad Deum
[illegible] in med expireretur	ex[illegible]rare ut
[illegible] Sicut	Sunt
[illegible] Lu[illegible]gardi	Lutgardis

Pag.	Lege.
3[illegible]8 in med. prouocaret	pr[illegible]caret
[illegible]9 [illegible]agnes	[illegible]agnes
4[illegible] [illegible]yl[illegible]	Sy[illegible]a
4[illegible]5 l [illegible] a [illegible], eos	eu[illegible] in eius
421 [illegible]	[illegible]gatori
422. in m[illegible]	vidi
43[illegible] [illegible] audit	au[illegible]et
438. [illegible]	vnica
[illegible]	[illegible]n lex[illegible]us
[illegible] Elze[illegible]s	Elzear[illegible]us
4[illegible] l pe[illegible]itanti	[illegible]tanti
462. sac[illegible]ment	sacramentum
[illegible] in m[illegible]n. Martyr	in Mari
457 [illegible]u	nutu
52[illegible] a. [illegible]ne	afflictiones
540. in med. cordi	cordis
549 B[illegible] ter	Birgitta
[illegible]5 [illegible]lis	fulcimentis
5[illegible] [illegible]enium	Parthenium
590. l 7 h[illegible]rem	honorem
[illegible] lig[illegible]	Crescentius
[illegible] l 4 a fine, earum	eorum
[illegible] quidem	quidam
[illegible] in [illegible]o	Antonino
69[illegible] in me[illegible], viro	viri
[illegible] f[illegible]tus	solutis
[illegible] e[illegible]	exultantis
[illegible] l 3 [illegible]c	illuc
[illegible]42 [illegible]tem	latantem
[illegible] 4. [illegible]ne, frigore	rigore
8[illegible]. VVi[illegible]n	Non
8[illegible]. Dei reddidit	Deo
8[illegible] v[illegible]erum	vulnerum
8[illegible] l [illegible]xio	quasi
8[illegible] post [illegible] Vvilhelmum	Vvillhelmum



INDEX RERVM, ET PERSONARVM.

A.

ñ colebant,

n

C.

Colobium

Cuthbert.

E.

F.

G. S.

G.

S.G

H.

Israël

Marti...

N.

O.

P. Pa-

P.

S. Prali-

Q.

R.

Religio-

Pue

S

T.

V.

Vladislaus

FINIS.



INDEX CATECHISTICVS.

CAPVT I.

De fide, & Symbolo Apostolorum.

De Fidei dono.

De virtute & efficacia fidei.

Pueri multa passi ut fidem Cathol. susciperent, vel susceptam retinerent.

Ut in fide sit constanter ad mortem perseuerandum.

S. Vit

SYMBOLI

ARTICVLVS I.

Vnum Deum eſſe.

Deum eſſe trinum in perſonis.

Deum esse omnipotentem, creatorem.

ARTICVLVS II.

De nomine IESV.

ARTICVLVS III.

De perpetuâ Deiparæ virginitate.

Christi conceptio, natiuitas.

De Sanctis, quorum primus ortus luce noua radiauit.

Paruuli IESV recèns nati anniuersaria veneratio; & cunarum eius miracula. 78.

ARTICVLVS IIII.

De Passione Christi frequenter à pijs recolenda.

De crucis imagine veneranda.

De vsu, & antiquitate signi S. Crucis.

Varij effectus signi Crucis.

ARTICVLVS VI.

Ascendit ad cælos.

ARTICVLVS VIII.

De Spiritu S. tertia SS. Trinitatis persona, ac de eius proprietatibus, & donis.

Visiones, ecstases, reuelationes, quibus Spiritu S. afflati illustrantur. 546.

Virtus Spiritus S. in hoc quoque elucet, quòd admodum pueri magno virtutis feruore polleant.

ARTICVLVS IX.

De Eccleſia notis: quod ſit ſancta in ſe, & in membris ſuis.

De alia nota, dono ſcilicet miraculorum.

De alia nota, dono castitatis, quod in Ecclesia reperitur singulare.

De alia nota; quæ est, tot Martyrum sanguis, etiam puerorum, tam constanter pro eadem fide effusus.

ARTICVLVS X.

Remissionem peccatorum esse in Ecclesia.

ARTICVLVS XI.

Carnis resurrectionem probant tot ad vitam suscitati.

Mira

Sanctorum adhuc in terris degentium corpora interdum etiam affici dotibus corporum gloriosorum.

De apparitione Spirituum beatorum.

CAPVT II.

De Spe, & Oratione, qua spes fulcitur.

De desperatione.

De timore Dei.

Oratio-

Oratio innocentium puerorum ab alijs sæpe ad res magnas adhibita.

De vi & effectu orationis.

Idolum

De Oratione Dominica.

PETITIO I.

De sanctificando Dei nomine.

PETITIO II.

Desiderium patriæ cælestis.

PETITIO III.

Voluntati diuinæ nostram esse accommodandam.

PETITIO IV.

Diuina prouidentia quo ad victum, & vestitum.

PETITIO V.

Dimittenda proximo iniuria.

PETITIO VI.

Vtilitas tentationum, ac tribulationum.

De tentationibus quibus vtitur Mundus, & modo ijs resistendi.

Variæ dæmonum apparitiones & illusiones, ex quibus etiam eorum imbecillitas apparet.

PETITIO VII.

De fiducia in rebus aduersis ad Deum habenda, vide suprà, de Spe.

De liberatis à malo tum corporis, tum animæ.

De salutatione Angelica.

AVE MARIA.

De salutationis Angelicæ vsu, & iteratione.

De Salut. Angelicæ vtilitate.

Et benedictus fructus ventris tui.

Mira de pueris adhuc vtero materno conclusis.

IESVS.

De nomine IESV, vide Articulo ij.

Ora pro nobis peccatoribus.

Nunc, & in hora mortis.

B. Virginem suis seruis in articulo mortis adesse.

De Rosarij pietate admiranda.

Do

De Cantico Salue Regina.

Rectè templa in honorem Deiparæ V. erigi.

De beneficijs spiritualibus, à D. Virgine concessis.

De beneficijs temporalibus.

De beneficijs B. Virg. corporalibus; & primo de mortuis ad vitam suscitatis.

De seruatis à submersione.

Pueris vario morbo affectis, incolumitatem à B. Virgine restitutam esse.

Hero

Alij alijs exempti periculis, malisve.

De blasphemorum in Sanctissimam Dei matrem, pœnis.

CAPVT III.

De charitate, & Præceptis.

De charitate in Deum.

De charitate in proximum.

De dilectione inimicorum.

De proximo rectè ædificando, seu de bono exemplo alijs dando.

DECALOGVS.

Præceptum primum.

De Deo colendo, & inuocando.

De Idololatria, quæ primo præcepto aduersatur.

De Magia, & incantationibus.

De fugiendis Hæreticis.

Puerorum cum Hæreticis certamen.

Licet Angelos colere, nec non Sanctos, eorumque reliquias ac imagines venerari, & Agnum Dei gestare.

De Angelis.

De deuotione erga Angelos habenda.

Cùm

S. N

DE SANCTIS.

Qua fide Sanctorum opem quidam extorserint.

Templa in honorem Sanctorum rectè consecrari; & qua ingredientibus concessa beneficia.

Iudæus

De reliquijs Sanctorum.

De miraculis per Sanctorum reliquias factis.

Reliquias Sanctorum, & sepulcra, quomodo Deus honoret.

De peregrinationibus ad templa, & loca Sanctorum.

De Imaginibus.

De vsu & cultu sacrarum imaginum.

De beneficijs tam animæ quàm corporis collatis sacrarum imaginum cultoribus.

Iconoclastæ puniti.

De Agno Dei, eiusque virtute.

PRÆCEPTVM II.

De nomine IESV Christi sanctè vsurpando.

De

De periurio.

De blasphemia.

DE VOTIS.

Vota Deo gratissima esse, ab eoque sæpissime exaudiri.

Vota esse adimplenda.

PRÆCEPTVM III.

De Sabbatho colendo, quod fit audiendo Verbum Dei, & legendo scripturam sacram; deque earum rerum effectu.

PRÆCEPTVM IIII.

De parentum officio erga liberos.

De nimia indulgentia parentum.

S. Casa-

De pueris, qui parentes ſuos ex pietate reprehenderunt, vel eos ad Chriſti fidem perduxerunt. 486.

De temporali liberorum pœna ob parentum peccata.

De honore Præceptoribus deferendo.

Seruorum in Dominos obseruantia.

Irrisores superiorum puniti.

PRÆCEPTVM V.

Homicidium aliquo tandem proditur indicio.

PRÆCEPTVM VII.

De furto, eiusq́; pœnis.

De restitutione.

PRÆCEPTVM VIII.

De calumnijs, & testium falsorum pœnis.

Puerili loquela ab insontibus abstersa calumnia. 120.

De detractione.

De iudicio temerario.

PRÆCEPTVM IX.

De concupiscentia, & prauis cogitationibus.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ.

Festos dies piè celebrandos esse, & vitandam esse venationem, aleas, choreas.

Missam audiendam esse, & deuotè.

Missa prodest etiam defunctis.

De abstinentia & ieiunio.

Simeon

Sacri ieiunij vis.

De cærimonijs Ecclesiæ.

CAPVT

CAPVT IIII.

DE SACRAMENTIS.

De Baptismo, omnibus ad salutem primùm & maximè necessario.

De dignitate ac praestantia baptismi.

De baptismo sanguinis.

Quod pueri etiam baptizare possint.

Baptismi suscipiendi desiderium.

Baptismi effectus tum spirituales, tum corporales.

Puer

De Confirmatione.

De Euchariſtia.

De vera & reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia.

De sacra Eucharistia adoranda.

De cælestibus sacræ communionis ministris.

De effectibus Eucharistiæ spiritualibus & corporalibus.

Sub mortem sacrum viaticum sumendum.

De ijs qui indignè communicant.

De tribus Pœnitentiæ partibus.

De extrema vnctione.

De Ordine.

A pueris de Episcopatu præmoniti, aut etiam viuæ eorum vocis oraculo renunciati.

De Matrimonio.

Matrimonio praferenda virginitas.

In Matrimonio seruari posse virginitatem.

S. Emes

De primo Matrimonij bono, videlicet prole.

De secundo Matrimonij bono, vid. fide coniugali.

CAPVT V.

De Iustitia Christiana, quæ est abstinere à malo, & facere bonum.

De peccato in genere, detestando.

De peccatis venialibus.

De conuersione peccatorum ad meliorem frugem.

De peccatis capitalibus, & virtutibus illis contrarijs.

De Superbia, & inani gloria.

De ingratitudine.

De Humilitate.

De patientia, vt opponitur iræ.

De virtutibus Cardinalibus.

De Prudentia.

De Fortitudine.

De Temperantia, vide alibi passim.

De triplici bonorum operum genere.

De ieiunio.

De alijs carnem macerandi modis.

De oratione, vide ſuprà, c. 2.

De eleemoſyna in genere.

De fructu & compenſatione eleemoſynæ.

De operibus misericordiæ corporalibus.

De operibus misericordiæ spiritualibus.

De consilijs Euangelicis.

De dignitate vitæ Religiosæ.

De infantibus ab vtero, & prima ætate Deo vel Religioni consecratis, vide p. 153. & seq.

Prognostica quædam in pueris animaduersa, & Religionis statum significantia.

Affectus in Religionem primis annis innatus. 383.

De

De Castitate perpetua.

De Obedientiæ voto.

De triplici humani generis hoste superando, vide Petitione 6.

DE IIII. NOVISSIMIS.

DE MORTE.

Felix puerorum obitus. 957.

De iudicio.

Infernus hinc excluditur.

De Purgatorio.

De Sanctorum è calesti gloria apparitione.

FINIS.

